




18

Borrull

DE

[Faint, illegible text]

A
12-129



7. a. 6. 1

OPERA HOUSE
A
12
129

29-3-1.



Del



Del. Col. de las imp. de H. de Granada R. 3946 3138
R. P. MATTHIÆ

BORRULL

VALENTINI

E SOCIET. IESV,

Sacrae Theologiae primarij Professoris

TRACTATUS DVO

*De Essentia, & Attributis, & Visione Dei,
cum Procepalibus Theologia.*



LUGDVNI,

Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVR. ARNAVD,
PETRI BORDE, & GVILL. BARBER.

M. DC. **LXIV.**

CVM PRIVILEGIO REGIS.




1812
R. 414

11828043

VALLINNI

VALLETTA





Sanctissimæ Dei Genitrici

M A R I Æ E X
M E R I T I S F I L I I E I V S
A B O R I G I N A L I C V L P A
præseruatæ.



Aspiratura Virgini primordia Theologie, purrissima eius interposita Conceptione, vouemus; ut è tanta vena vite sitientibus scaturiat sapientie fons, vel ex Oceano rivulus, aut ex vellere guttula. Hinc, è Maria scilicet inquit Taumaturgus, nobis sapientie scaturiunt fontes, qui limpidissimos, & puros riuos pietatis effundunt. Hinc nobis diuinæ cognitionis resplendent thesauri. Fabulosum inter Rabbinos hoc circumferbatur Oraculum; Si luna Ioui coniuncta, super caput serpentis collocetur, interimque scientiam à Deo petas, impetrabis. Profana hæc fuit delirantis Astrologie superstitio; qua tamen in plenilunio Mariano benignum mihi, faustumque pretendit omen. Fabulantur illi, irrita non fore scientie vota, precesque, si pro ea impetranda rogaretur Deus, dum luna Ioui coniuncta contereret serpentis caput. Elegantem Mariæ formam plenilunio comparatam, quis nesciat? dum pulchra ut luna toties Maria commendatur.

Serm. 2. in
Annunciatione.

EPISTOLA

Genes. 3.

Eam insuper in Conceptione sua supra caput serpentis collocatam, festiuis plausibus sententia pia canit, et colit; Ipsa conteret caput tuum. Non ergo desperandum, sed nobis potius diuina scientia comparanda, erigenda spes., utpote pro illa Numen exorantibus; dum luna uictrix, uero Ioui coniuncta, supra caput serpentis collocatur.

Scim. 146.

Ecclesiast. 1.

Genes. 3.

Quod si rivulus hic noster Theologicus faustè ex Mariano Oceano natus effluxerit; quid mirum, si iure suo reuertatur ad illum. Unum nomen inditum est mari, et Mariæ. Congregationes aquarum uocantur maria, et Dei genitrix nominatur Maria. Quia Maria, inquit Chrysologus, mare est, unde redundant gratiarum, donorumque fluentia. Maria mare vocabatur, et quomodo non Maria mare, congregationes inquit aquarum appellauit Maria. Rivuli autem oriuntur e mari, et remeant ad illud, tributum, quo nascuntur adstricti, reddituri. Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur. Mariana Conceptio mare quidem est maledictionis fulmine nullatenus tactum, nam Protoparente lapsa, non aquis, sed terra dicitur, maledicta terra in opere tuo. Si forte ergo rivulus hic noster Theologicus e Conceptionis limpidissima pelago natus sit, jure suo reuertatur ad illud, debiti obsequij tributum redditurus.

Et quis miraretur singulare hoc Mariæ privilegium, qui eam Dei matrem introspiciat. Verte lumina in supremi Opificis dexteram ultimam imagini sue manum imponentem. Luteam massam manibus suis uersabat animandam. Iecit crurium fundamenta, ut duplici basi solidior hominis structura firmaretur. Induruere ossa. Emollit caro. Intertextis venarum fibris fluxit sanguis. Costis armauit pectus. Protendit brachia. Extendit palmas. Distinxit digitos. Tornauit collum. Scidit os. Purpurea intumescere labra. Linguam acuit volubilem, dentibus

valla

DEDICATORIA.

vallatam. Terebrauit nares. Intinxit rubore genas. Oculorum faces accendit. Flexit in arcum supercilia. Expleuit frontem. Dispersit cesariem. Iacebat elaborata corporis moles, cum subito, inspirante Deo spiraculum vitæ, stetit, vixit, & suimet mirata pulchritudinem plausit oculis. Transcende nunc ad interioris hominis imaginem subtiliori penicillo, longèq; pulchriori colorum varietate depictam; erubuisse quis dubitet corporis elegantiam, ad Iustitiæ originalis, donorumque pulchritudinem. Si ergo Deus opus, quod fecerat propagando mundo, si nobilitat. Quomodo Matrem, quam reparando mundo, sibi delegerat, cõmuni submergi naufragio pateretur? Petro porrigit dexteram, ne naufragus succumbat aquis; & Matrem permetteret in profundum demergi? Naviculam, qua vehebatur, eripit à tempestate; & Matrem, in cuius utero gestandus erat, auerni faucibus relinqueret absorbendam?

Sed animus nunc non est, nec instituti nostri, huius priuilegij testimonia, probationesque producere, sed pronum semper, tenerumque cordis affectũ erga nitidiorem sole Virginis conceptionem aperire, ei que præ gaudio gestientes gratulari. Spoliis ergo contriti serpentis coronata gaude Maria, exulta victrix capta draconis præda, latere palma, gloriare triumpho; & interim sapientiæ tuæ spolia diuide. Huiusce spei anchora ingenij nostri nauiculam firmatura, vela damus læti, diuinum Theologia pelagus lustraturi. Cœlestis utinam tanta Matris zephyrus aspiret, arceat scopulos, semitamque dirigat ad portum, quæ in naufragio mundo secura statione portum tenuit. Tu candida Virgo dirige calamus, admoue manum exiguo dono, & solitã clementiã sub vmbra alarum tuarum protege nos semper.

Perpetuus, minimusque Dominæ suæ seruus.

MATTHIAS BORRULL,



LECTORI.



N vnum hunc fasciculum, mi Lector, collegimus, breuitate solita, potissima fundamenta, ab aliquibus desiderata, vnde clariorem lucem accipiant Tractatus nostri, quos in primam partem S. Thomæ paucis ab hinc annis prælo dedimus; maximè tractatus de Trinitate, in quo aliqua fundamenta, ex professo nunc stabilienda, supposita sunt. Ea omnia, claritate, qua potuimus, hoc volumine digesta, non tam censuræ, quàm pietati, & commiserationi tuæ commendamus, Lector amice. Quis enim præsumat in tanta ingeniorum, opinionumque varietate, se omnibus in cunctis placiturum? Quod si quæ aliquando opiniones nostræ non arriserint, bona nostra pertingendæ veritatis vota, & desideria tu excipias, vt quos diuiserit opinio, coniungat veritatis amor; sic enim dissimiles inter se ingeniorum facies, vno in Dei gloriam conciliabuntur fœdere charitatis. Nec mirum id, quando Hominis, Aquilæ, Leonis, & Bouis facies, adeo inter se dissimiles, vno vitæ spiritu coniunctæ, vno eiusdem impetu gradiebantur reptantes gloriæ Dei rhedam, nec citior Aquila, nec tardior Bos, nec velocior Leo, nec segnior Homo, sed vnus omnium gressus, & mira omnium in vno spiritu concordia; ea, quam enixè intendimus, placebit saltem in elucubrationibus nostris, si cœtera pro tenuitate displiceant. Vale.



I N D E X

Disputationum, & Sectionum.

DISPUTATIO I.

De Prooemialibus Scholasticæ Theologiæ. pag. 1

SECTIO I. **D** De subiecto, & obiecto materiali Theologiæ,
& an habeat obiectum attributionis. p. 2.



II. Exponitur obiectum formale Theologiæ.

pag. 9

III. De Principiis Conclusionis Theologiæ, seu præmissis. p. 19

IV. An Conclusio Theologica sit metaphysicè certa, & euidens, supernaturalis, practica, & speculatiua. p. 32

V. An habitus Theologiæ sit in substantia supernaturalis, & infusus, & à cæteris distinctus. p. 45

VI. De subiecto habitus Theologiæ. p. 53

VII. De locis Theologicis. p. 59

VIII. De Scriptura Sacra, & in quo sensu conclusionibus Theologicis inseruire possit. p. 62

DISPUTATIO II.

Quanta, & quali certitudine, & euidencia constet existentia Dei, eiusque vnitas. pag. 67

SECT. I. **A**N Deum esse est veritas per se nota. *ibid.*

II. An Deum esse demonstratur à posteriori. p. 76

III. An demonstratur unicum tantum esse Deum. p. 83

IV. An existentia Dei possit à priori positiuè saltem logicè, seu nostro modo concipiendi demonstrari. p. 87

V. An

Index Disputationum,

- V. *An existentia necessaria essentia propria possit à priori demonstrari per ipsammet essentiam virtualiter priorem.* p.95
VI. *An existentia Dei, eiusque unitas, certo nobis consent fide diuina.* p.102
VII. *Soluantur obiectiones.* p.110
VIII. *An existentia Dei possit inuincibiliter ignorari.* p.114
-

DISPUTATIO III.

Quo pacto Deo competat ratio substantiæ, & subsistentiæ. p.117

- SECT. I. **A**N, & quo pacto ratio substantiæ diuinis perfectionibus competat. pag.118
II. *An dentur in Deo subsistentiæ reuelatiuæ.* p.124
III. *An ultra subsistentias relatiuas subsistentia aliqua absoluta concedenda sit Deo.* p.128
IV. *Soluantur obiectiones.* p.134
V. *Dubia aliquot circa subsistentiam absolutam resoluuntur.* p.141
-

DISPUTATIO IV.

Quo pacto sit Deus substantia spiritalis viuens, & intelligens. pag.147

- SECT. I. **A**N sit Deus viuens, & intelligens in actu primo; seu an sit in Deo actus primus intelligendi. pag.148
II. *An actus primus intelligendi diuinus sit realis formalis.* p.156
III. *An actus primus intelligendi sit virtualiter distinctus ab actuali intellectu, vel solo nostro modo concipiendi.* p.159
IV. *Soluantur obiectiones.* p.166
V. *An actus primus diuinus tam intelligendi, quam volendi, sit proximus, vel remotus.* p.173
-

DISPUTATIO V.

In quo stet constitutum, seu Essentia Dei. pag.179

- SECT. I. **V**aria acceptiones constitutiui, seu essentia discernuntur. *ibid.*
II. *Quanam*

& Sectionum.

- II. *Quenam predicata sint de essentia physica, seu materiali Dei.* pag. 184
- III. *An volitio necessaria sit de constitutiuo metaphysico essentia Dei.* p. 193
- IV. *An voluntas diuina sit de constitutiuo metaphysico virtuali essentia Dei.* p. 205
- V. *An actualis intellectio necessaria sit de constitutiuo metaphysico virtuali essentia Dei.* p. 203
- VI. *Vera sententia de constitutiuo metaphysico virtuali essentia Dei.* p. 213
- VII. *An existentia necessaria propria essentia sit de constitutiuo metaphysico virtuali illius.* p. 218
- VIII. *De constitutiuo metaphysico Dei nostro modo concipiendi.* pag. 221
-

DISPUTATIO VI.

De Attributis Dei in communi; eorumque inclusione, & emanatione ab essentia. pag. 232

SECT. I. **Q**uid, & quotuplex sit *Attributum diuina Essentia.* pag. 233

- II. *An sint in Deo Attributa purè logica, seu nostro tantum modo concipiendi.* p. 236
- III. *An essentia diuina includat formaliter attributa, vel includatur in illis.* p. 240
- IV. *Quo pacto Essentia metaphysica Dei continent attributa virtualiter ab ipsa distincta.* p. 247
- V. *An essentia diuina sit immediatum principium virtualiter productiuum omnium attributorum.* p. 253
-

DISPUTATIO VII.

De distinctione attributorum ab essentia, & inter se. p. 256

SECT. I. **A**N attributa distinguantur ab essentia, & inter se formaliter ex natura rei. *ibid.*

- II. *In quo consistat distinctio virtualis. Aliorum placita.* p. 263
- III. *Nostra sententia de distinctione virtuali intrinseca.* p. 272
- IV. *An*

Index Disputationum,

- IV. *An admittenda sit in creatis distinctio virtualis.* p.283
 V. *Reliqua obiectiones ad distinctionem pertinentes solvuntur.*
 pag.292
 VI. *Quae perfectiones divinae distinguantur virtualiter inter se.*
 pag.300
 VII. *An perfectiones divinae virtualiter inter se distinctae distinguantur etiam formaliter obiectivè.* p.308
-

DISPUTATIO VIII.

De Attribute divinæ Omnipotentiae. pag.315

- SECT. I. **A**N Omnipotentia constituatur formaliter virtute omnium creaturarum productiva. p.316
 II. *An Omnipotentia sit causa principaliter, & immediatè omnium creaturarum productiva.* p.321
 III. *An, & cur effectus formalis Omnipotentis creaturæ, communicari non possit.* p.330
 IV. *An Omnipotentia sit virtualiter distincta à cæteris aliis perfectionibus divinis necessariis,* p.334
 V. *An Omnipotentia connexa sit cum creaturis possibilibus.* p.339
 VI. *Solvuntur obiectiones.* p.348
 VII. *An sit in Deo, & quo constituatur Omnipotentia quoad efficaciam.* p.363
-

DISPUTATIO IX.

De Æternitate, & Immenfitate Dei. pag.366

- SECT. I. **Q**uid sit Immenfitas, & Æternitas Dei. *ibid.*
 II. *An, & quomodo repugnet creatura esse immensam, & aternam.* p.369
 III. *An futura absoluta contingentia ratione aternitatis physicè Deo ab aeterno coexistent.* p.372
 IV. *Infringitur ulterius presentia futurorum in aternitate.* p.377
 V. *Solvuntur obiectiones.* p.383
 VI. *An Deus ab aeterno sit praesens physicè creaturis in tempore futuris.* p.387

DISPUTATIO X.

De Ente simpliciter necessario, & à se. pag.393

SECT. I. **Q**uid sit ens simpliciter necessarium. *ibid.*
II. De ente à se. p.396

DISPUTATIO XI.

De Immutabilitate Dei. pag.398

SECT. I. **I**n quo stet utraque Dei Immutabilitas. p.399
III. An possit Deus decretum prius habitum per subsequens oppositum reuocare. p.401
III. An Dei decretum possit incipere nunc, vel cessare, quin antea praecesserit, vel postea subsequatur oppositum. p.408
IV. Soluuntur obiectiones. p.413
V. An immutabilitas possit competere alicui creaturae. p.424

DISPUTATIO XII.

Expenduntur cœtera alia attributa Dei. pag.429

SECT. I. **D**e Perfectione Dei, eiusque infinitate. p.430
II. De Vnitate, & simplicitate Dei. p.435
III. De Immortalitate, & Ineffabilitate Dei. p.438
IV. De Actu purissimo. p.439
V. An Attributa transcendentia multiplicentur in singulis perfectionibus diuinis tam absolutis, quam relatiuis. p.441

DISPUTATIO XIII.

De constitutiuo Entis supernaturalis. pag.449

SECT. I. **S**tatus quaestionis, & sententia proponuntur. p.450
II. Vera sententia pro constitutiuo primario, & absoluto entis supernaturalis creati. p.459

III. De

Index Disputationum,

- III. *De conceptu respectivo entis superni ad naturam, quem alij
vocat secundarium.* p.470
IV. *Soluuntur argumenta contraria.* p.479
-

DISPUTATIO XIV.

De cognoscibilitate entis supernaturalis. pag.485

- SECT. I. **A**N possit ens supernaturale viribus natura euidenter
cognosci. p.486
II. *Alia argumenta diluuntur.* p.492
III. *Singularibus pro visione obiectionibus satisfi.* p.498
IV. *An possit ens supernaturale probabiliter ante reuelationem
cognosci.* p.502
-

DISPUTATIO XV.

An, & quo pacto Deus à creatura videri possit. pag.504

- SECT. I. **A**N sit possibilis creatura rationali intellectualis visio
Dei. p.505
II. *An possibile sit creaturam videre Deum per scientiam increa-
tam.* p.510
III. *An possibile sit creaturam videre Deum potentia, aut visione
materiali.* p.515
-

DISPUTATIO XVI.

An, & vnde omnis visio beata supernaturalis sit. p.519

- SECT. I. **A**N visio prout de facto supernaturalis sit, & quo
pacto. ibid.
II. *An visio Dei, ut vnus est, sit necessario in substantia superna-
turalis.* p.524

& Sectionum.

DISPUTATIO XVII.

An sit possibilis substantia, vel potentia intellectiua cui visio Dei esset connaturalis. pag. 527

SECT. I. **A**N sit possibilis substantia supernaturalis creata. *ibidem.*

II. An sit possibilis intellectus supernaturalis. p. 535

DISPUTATIO XVIII.

An visio Dei sit supra appetitum substantiæ rationalis. p. 539

SECT. I. **A**N substantia rationalis habeat appetitum innatum ad visionem. *ibid.*

II. An, & qualis appetitus elicited visionis sit possibilis nature rationali. p. 541

DISPUTATIO XIX.

An sit possibilis visio beata, quæ Dei comprehensio sit. p. 545

SECT. I. **A**N Deus sit comprehensibilis à creatura. p. 546

II. Unde repugnet creatura intensiua comprehensio Dei. p. 550

III. Unde repugnet creatura extensiua Dei comprehensio. p. 556

IV. An in hac vita visio beata fuerit alicui concessa. p. 560

DISPUTATIO XX.

De lumine gloriæ, & an sit dispositio, vel causa materialis, vel formalis visionis. pag. 563

SECT. I. **A**N lumen gloria sit dispositio, ut essentia diuina uniat in intellectu per modum speciei, seu forma intelligibilis. *ibid.*

Index Disputationum,

- II. *An permissa ea unione lumen disponeret ad illam, vel ad visionem beatam recipiendam.* p.570
III. *An lumen sit subiectum, siue causa materialis, aut formalis visionis beatæ.* p.576
IV. *An de facto lumen gloria sit species impressa.* p.581
V. *Munus luminis, eiusque necessitas.* p.584
-

DISPUTATIO XXI.

De causa efficienti visionis beatificæ. pag.590

SECT. I. **A**N lumen sit tota ratio agendi proxima visionem. *ibidem.*

- II. *An lumen sit causa principalis visionis.* p.598
III. *An intellectus sit causa principalis, vel instrumentalis visionis.* p.602
-

DISPUTATIO XXII.

De specie impressa intuitiua Dei. pag.605

SECT. I. **A**N sit possibilis species impressa Dei. *ibid.*
II. *Eligitur sententia affirmans possibilem speciem impressam Dei.* p.609

- III. *An de facto existat species impressa Dei.* p.612
IV. *Qua virtute concurrat Deus per modum obiecti ad visionem beatam.* p.615
-

DISPUTATIO XXIII.

De obiecto visionis beatæ. pag.621

SECT. I. **D**E obiecto increato necessario visionis beatæ. p.622
II. *De obiecto increato libero visionis beatæ.* p.626

- III. *An diuinitus possit videri essentia non visis attributis, & è contra.* p.630
IV. *An, & qua creatura in se ipsis possint, & de facto videantur.*

& Sectionum.

tur à beatis.

V. *De visione creaturarum in verbo.*

p.633

p.636

DISPUTATIO XXIV.

De inæqualitate visionum.

pag.640

SECT. I. **A**N sint possibiles, & de facto existentes visiones inæquales ex parte obiecti. p.641

II. *De inæqualitate visionum ex parte principij.* p.644

III. *Soluuntur obiectiones.* p.648

IV. *De inæqualitate visionum ex maiori intensione, & modo tendendi.* p.652

DISPUTATIO VLTIMA.

De perfectionibus visionis beatæ,

p.653

SECT. I. **A**N visio beata sit species expressa seu similitudo formalis Dei. p.654

II. *An visio beata sit similitudo obiectiua, seu verbum mentis.*

pag.655

SECT. VLT. *Dubia aliqua circa visionem beatam resoluuntur.*

pag.658

Licentia

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu in
Prouincia Aragonia.

EGO Dominicus Langa Societatis Iesu Præpositus Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ, potestate ad id mihi facta à R. admodum Patre Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali eiusdem Societatis facultatem concedo; vt *Tractatus de Essentia, & Attributis, & visione Dei; cum Proœmialibus Theologia*, à P. MATTHIA BORRULL nostræ Societatis, ac Sacræ Theologiæ in nostro Collegio Valentino olim primario Professore compositus, & eiusdem Societatis grauium Theologorum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus; Cæsaraugustæ. Die 31. Ianuarij. Anno 1664.

DOMINICVS LANGA.

EGO infra scriptus Prouincialis in Prouinciâ Lugdunensi Societatis Iesu, juxta Privilegium eidem Societati à Christianissimis Regibus, Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. Ludouico XIV. Regnante 23. Decemb. 1650. Concessum, quo bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant. Permitto PHILIPPO BORDE, LAURENTIO ARNAVD, PETRO BORDE, ET GVILLELMO BARBIER Bibliopolis Lugdunensibus, vt librum cui inscriptio est *Tractatus duo de Essentia & Attributis & Visione Dei, cum Proœmialibus Theologia*, Authore Patre MATTHIA BORRULL Valentino Societatis Iesu, compositum ad 10. Proximos Annos imprimere & libere diuendere possint, dat. Lugd. 21. Nouembris anni 1664.

GVILLELMVS DE LANGE.

A.R.P.




A. R. P.

MATTHIÆ BORRVLL

VALENTINI,

E' SOCIET. IESV,

TRACTATUS I.

De Essentia, & Attributis Dei.

DISPUTATIO I.

De Proemialibus Scholasticæ Theologiæ.

HEOLOGIÆ dignitatem ipsa nominis
 ethymologia commendat, idem enim
 est, ac sermo de Deo. Diuidi solet com-
 munitè in positiuam, scholasticam, &
 moralem. Positiua in scripturis sacris explicandis po-
 nendisq; præmissarum Fidei fundamentis potissi-
 mum occupatur. Scholasticæ est, ex præiactis à posi-
 tiua fundamentis suas conclusiones eruere. Inde dicta
 Scolastica, quia scholarum more tota argumenta-

Diuisio
 Theologiæ
 dignitas, &
 necessitas
 illius.

2 Tract. I. De Essentia & Attributis.

tionibus incumbit. Moralis, quæ fortè scholasticæ pars est, decidendis conscientiæ casibus inuigilat. De scholastica in sequentibus futurus est nobis sermo, cuius necessitas, mirum quanta. Illius enim est rediuuias errorum hydras, in tanta ingeniorum varietate perpetuò renascentes amputare; vt stabilitate firmata, morum candor, & fidei puritas illibata consistant. Nec momenti æstimandæ sunt hæreticorum calumniæ, Theologiam scholasticam tanquam inutilem, & perniciosam execrantes; infirmæ enim oculorum pupillæ cœcutiunt splendore lucis, & cœcò nox est clara dies.

S E C T I O I.

De subiecto, & obiecto materiali Theologia, & an habeat obiectum attributionis.

Subiectum
qualiter
vsurpandum
in presenti.

2 S ubiectum non hîc sumitur pro causa materiali habitus, aut actûs Theologici receptiua, qualis est intellectus, sed pro illa parte propositionis, de qua aliquid affirmatur, vel negatur; seu pro subiecto quatenus distinguitur, à prædicato, vt in hac propositione, *Petrus est animal*, Petrus, de quo dicitur animal, est subiectum; animal verò, quod de Petro dicitur, est prædicatum. Vnde subiectum, & obiectum Theologiæ ab aliquibus immeritò confunduntur; licet enim omne subiectum sit obiectum, non tamen è contra. Difficultas ergo est prima, quodnam sit subiectum, de quo Theologia suis actibus aliquid negat, vel affirmat; siue illud sit magis, aut minus præcipuum, de quo modo non dissero, quid tamen dicendum, constabit infra.

Opiniones
Magistri
Durandi.

3. Magister 1. sent. dist. 2. docet, signa, seu symbola rerum.

Disp. I. De Proœmialibus Theol. Sect. I. 3

rum diuinarum, & res per illa significatas, subiectum esse Theologiae. Durandus verò quaest. 5. prologi censet, actum meritorium subiectum esse. Gregorius autem quaest. 4. prologi art. 2. Marsilius quaest. 2. art. 5. Et Albertus in 2. dist. 1. existimant, Deum sub ratione glorificatoris esse subiectum Theologiae. S. Bonauentura quaest. 1. prologi, solum Christum Deum, & hominem contendit esse subiectum Theologiae. Gonzalez de Albenda 1. part. quaest. 1. art. 7. disput. 7. num. 99. solum Deum asserit esse subiectum Theologiae, existimans num. 101. S. Thomam ea quaestione, & art. retractasse quod docuerat quaest. 1. prologi in 1. sentent. art. 4. quod non placet aliis Thomistis; nam S. Doctor quaest. 1. art. 7. solum tractat de subiecto præcipuo, & attributis, quod licet solus Deus sit: non excludit alia subiecta minus præcipua tradita, quaest. 5. prologi in 1. sent. Denique P. Arriaga 1. parte disp. 1. sect. 1. subsect. 2. num. 6. tenet, non omnia reuelata, esse subiectum Theologiae, sed ea tantum mysteria, quæ speciali aliquo modo ad Dei notitiam spectant, vt gratia, actus humani, Angeli, &c. Theologiae enim scholasticae non est considerare quoto anno Saul inceperit regnare, vel vbi habebat hastam, quando Dauid ad eum noctu venit, & innumera similia.

4. Afferendum est primò, subiectum adæquatum Theologiae, non esse solum Deum, nec solum Christum, sed etiam ea omnia, siue creata, siue increata, de quibus Theologia suis conclusionibus aliquid affirmare potest, vel negare, ex aliquo saltem principio reuelato, quodcunque sit illud. Ea scilicet sunt, Deus, Angeli, homines, Gratia, peccatum, Incarnatio, Sacramenta, &c. Ita communiter Doctores, P. Gillius lib. 5. commentationum Theolog. tract. 3. cap. 4. P. Artubal 1. part. disp. 6. cap. 3. & 4. P. Ribas disp. 2. cap. 1. num. 2. & docti Recentiores. Ratio est, quia subiectum adæquatum complectitur omnia illa, de quibus scientia, aut facultas potest suis actibus aliquid affirmare, vel negare: Theologia suis conclusionibus plurima potest de illis omnibus affir-

A 2 mare,

Gregorij
Marsilij
Alberti
Bonauenturae
Gonzalez
P. Arriagae.



Subiectum
est Theolo-
giae omne id
de quo ipsa
aliquid affir-
mare potest
vel negare.



4 *Tract. I. De Essentia & Attributis.*

mare, vel negare ex aliquo principio reuelato, quodcumque illud sit, cum nullum stet, quod alicuius conclusionis non possit esse præmissa: ergo ea omnia erunt subiectum adæquatum Theologiæ.

Ad fidem spectat omnis reuelatio: ergo ad Theologiã omne reuelatum.

5 Confirmatur, ad fidem non solum spectat reuelatio obiecti ad maiorem Dei notitiam speciali modo pertinentis, sed reuelatio etiam cuiuscunque obiecti: ergo ad Theologiam non solum spectabit principium reuelatum speciali modo ad Dei notitiam pertinens; sed etiam principium quodcumque reuelatum, siue speciali modo ad Dei notitiam conducatur, siue non. Antecedens admititur à P. Arriaga, & negari non potest. Consequentia probatur, nam sicut fides est reuelatorum, ita Theologia est ex reuelatis: quodcumque autem reuelatum spectat ad fidem, siue ad maiorem Dei notitiam specialiter conducatur, siue non: ergo similiter quodcumque ex reuelatis deductum pertinebit ad Theologiam, siue ad maiorem Dei notitiam specialiter conducatur, siue non. Id enim sicut necessarium non est ad omnem fidei assensum, neque apparet, vnde necessarium esse possit ad omnem Theologicam conclusionem.

6. Nec dici potest, Theologiam, vtpote virtutem intellectualem erga Deum, vt ipsa nominis ethymogia præ se fert, sola respicere subiecta reuelata, quæ speciali modo ad maiorem Dei notitiam concipiendam conducere valent. Non inquam id dici potest; nam etiam Fides est virtus Theologica erga Deum, & plus Theologica, quã ipsa Theologia, cum eius motiuum sit diuina veracitas, eiusque testimonium; motiuum verò Theologiæ sit idemitas extremorum cum medio, vel etiam inter se, quæ ex magna, & maiori parte, quid creatum est: ergo sicut de ratione fidei Theologiæ non est respicere sola subiecta, quæ specialiter pleniorum Dei notitiam excitare possunt, sed quæcumque etiam alia, quæ à Deo reuelata sunt; ita de ratione Theologiæ non erit sola illa subiecta respicere, sed quæcumque etiam alia, de quibus aliquid, ex vno saltem principio reuelato, concludi potest



test
om
cial
fint
7
The
per
que
cter
rita
prin
obi
illu
hæc
rum
stre
scie
rali
ex v
mat
prin
tum
8
logi
præ
quo
tem
ergo
rial
9
trib
est,
trib
tùs
rial
vt c
refe

test. Idem firmat Charitas Theologica, extendens se ad omnia subiecta, informatâ diuinâ bonitate, siue ea speciali modo ad maiorem Dei dilectionem conducere possint, siue non.

7. Afferendum est secundò, obiectum materiale Theologiæ esse omnia illa, de quibus ipsa tractat, siue per modum subiecti, siue per modum prædicati; vtrumque enim actûs Theologici obiectum est. Quæ autem tractentur à Theologia? Respondeo tractari eas omnes veritates, seu conclusiones obiectiuas, quæ ex vno saltem principio reuelato deducuntur. Probaturs conclusio, quia obiectum materiale cuiusvis scientiæ, aut facultatis, est illud, de quo ipsa tractat; atque adeò erit in Theologia: hæc autem, vt constabit infra, non est habitus principiorum, seu præmissarum, cum istæ ab habitu fidei ministrantur, vel etiam aliquando vna cum illo ab habitu scientiæ naturalis, quando altera præmissarum est naturalis euidens: ergo Theologia erit habitus conclusionum ex vno saltem principio reuelato, atque adeò obiectum materiale illius erit conclusio obiectiua, ex vno saltem principio reuelato, & omnis ea conclusio erit adæquatam obiectum materiale.

Obiectum materiale. Theologiæ declaratum.

8. Afferendum est tertio, subiectum precipuum Theologiæ, esse Deum. Ratio est manifesta, nam subiectum precipuum in quavis scientia, & facultate, est illud, quod cæteris omnibus nobilius est, & perfectius: talis autem sine dubio est Deus inter omnia subiecta Theologiæ: ergo & precipuum illius subiectum, & obiectum materiale.

Subiectum precipuum Theologiæ solus est Deus.

9. Difficultas tamen maior est circa subiectum attributionis, pro cuius clariore decisione supponendum est, quod tradidimus in Logica, videlicet, obiectum attributionis debere sub ratione formali scientiæ, vel habitus contineri, aliter enim non posset esse obiectum materiale illius. Insuper ad obiectum attributionis opus est, vt cætera omnia sub ratione formali scientiæ contenta, referantur ad illud. Quod tamen dupliciter contingere

Quidditas & natura obiecti attributionis in cõmuni.

6 Tract. I. De Essentia & Attributis.

potest; primò, si ex natura sua, & per intrinsecam exigentiam referantur; secundò si extrinsecè tantùm ex intentione operantis, & per meram non repugnantiam reducantur, vt essent scientiarum principes, & inuentores. Vnde duplex attributionis obiectum, aut subiectum distinguui debet, vnum intrinsecum, ad quod cætera omnia ex natura sua, & per intrinsecam exigentiam referuntur; aliud extrinsecum, ad quod cætera omnia extrinsecè tantùm ex intentione operantis, & per meram non repugnantiam reducantur.

Qualiter
obiecta at-
tributa re-
ferri debeant
ad attribu-
tionis obie-
ctum.

10. An autem obiecta attributa referri debeant ad attributionis obiectum, prout omnia subsunt eidem rationi formalis scientiæ, vel habitûs; vel sufficiat sub alia ratione formali extranea scientiæ, vel habitui referri: res est non ab omnibus explicata. Censeo tamen, hoc secundum non sufficere, & primum necessariò requisitum esse. Ratio est, quia nulla res potest esse obiectum materiale alicuius scientiæ, nisi quatenus subest rationi formali talis scientiæ: ergo neque poterit esse obiectum attributionis eiusdem scientiæ, nisi cætera ordinentur ad illud, prout omnia subsunt rationi formali talis scientiæ. Referri enim submotiuo extraneo, & peregrino alicui scientiæ, non est talem scientiam habere obiectum attributionis, sed aliam cuius motiuum illud proprium est. Aliiter fides haberet obiectum attributionis intrinsecum, scilicet Deum, ad quem omnia reuelata creata per exigentiam intrinsecam, sub ratione effectûs ad causam, referuntur.

Sententiæ
Doctorum
circa obie-
ctum attri-
butionis
Theologiæ.
Durandus.
P. Mæratius,
P. Arriaga.

11. Prior ergo sententia indiscriminatim, & absolute docet, Theologiam habere subiectum attributionis, in eo tamen declarando illius authores non conueniunt. Nam Durandus quæst. 5. prologi tenet, esse actum meritorem. P. verò Mæratius hic disp. 1. sect. 2. & P. Arriaga disp. 1. sect. 1. subsect. 2. num. 8. docent, esse Deum in se, seu secundum rationem Deitatis. Alij denique ajunt, esse Deum, sub ratione saluatoris, & glorificatoris. Posterior sententia concedit Theologiæ obiectum attributionis

tionis extrinsecum, nempe Deum, & negat intrinsecum; ita docti Recentiores.

12. Afferendum est quartò, Theologiam nullum habere obiectum attributionis intrinsecum. A priori probatur primò conclusio, nam vt Deus, vel aliud quidpiam, esset obiectum attributionis intrinsecum Theologiæ, necesse est, quod cætera omnia subiecta, intra latitudinem illius contenta, naturâ suâ, & per exigentiam intrinsecam ordinentur, & referantur ad Deum; ordinentur inquam, non vtcumque, & sub qualibet ratione formali, sed quatenus omnia subsunt rationi formali Theologiæ, vt ostensum est: Subiecta autem omnia, intra latitudinem Theologiæ contenta, non ita ordinantur ad Deum, nec ad aliud quidpiam: ergo. Minor probatur, quia Deus, quatenus subest rationi formali Theologiæ, est Deus, quatenus de illo concludi aliquid potest ex vno saltem principio reuelato; iuxta inferius dicenda: ad Deum autem vt sic, non ordinantur ex intrinseca natura & exigentia cætera omnia subiecta Theologiæ, vt videtur euidenter, cum reuelatio principij: ex quo aliquid de Deo inferri, & reuelationes omnes principiorum, ex quibus de creaturis aliquid concludi valet, nullam inter intrinsecam habeant exigentiam, sed per accidens tantum coniungantur: ergo.

Theologia nullam habet obiectum attributionis intrinsecum.

13. Confirmatur, nam potuit Deus non reuelare ea principia diuina, quæ de facto reuelata sunt, & ex quibus Theologia aliquas veritates de Deo concludit, ponamus ergo Deum non illa reuelasse, sed alia tantum principia creata, ex quibus aliquid de creatura concludi potest. Tunc autem subiecta Theologiæ nullam dicerent exigentiam intrinsecam ad Deum sub ratione formali subiecti Theologiæ, cum talis non esset, eo quod nihil de illo ex principio reuelato inferri posset: ergo neque de facto consistit talis exigentia, cum de facto eadem subiecta sint, quæ tunc essent, eiusdemque naturæ extrinsecæ: ergo sicut tunc de nouo reuelante Deo principium diuinum, ex quo aliquid de Deo concludi potest, id per accidens

Firmatur ex potentia nõ reuelandi, quæ reuelata sunt de facto.

8 Tract. I. De Essentia & Attributis.

dens adueniret aliis subiectis Theologicis creatis, ita nunc de facto per accidens & mere extrinsecè omnia illa coniungentur; atque adeò neque Deus in se, neque sub ratione deitatis, neque sub ratione saluatoris, aut glorificatoris, neque meritum, aut aliud quidpiam: erit obiectum attributionis intrinsecum respectu Theologiæ, nam eadem est de omnibus ratio.

Idem firmatur ex fide nullum habente obiectum attributionis intrinsecum.

14 Secundò probatur conclusio. Nam, vt concedit P. Arriaga num. 9. fides nullum habet obiectum attributionis intrinsecum, seu proprium, vt ipse ait: ergo neque Theologia. Probatur consequentia, ideò fides nullum habet obiectum attributionis intrinsecum, quia quantum est ex se non habet certa vlla obiecta, sed extenditur ad omnia reuelata, siue intrinsecè connexa, siue inconnexa, vt patet in latissimo scripturarum campo, vbi innumera inter se inconnexa de fide sunt: Theologia autem quantum est ex se non habet certa vlla obiecta, sed extenditur ad omnia quæ ex vno saltem principio reuelato inferri possunt, siue inter se connexa sint, siue inconnexa, vt assertionem 1. ostensum est: ergo nullum habet obiectum attributionis intrinsecum. *Confirmatur*, ideò fides ad obiecta inconnexa extendi potest, quia eius motiuum, nempe diuina reuelatio, ad illa extendi valet; idemq; est de scientiis naturalibus obiecta inter se inconnexa respicientibus, & obiectum attributionis intrinsecum non habentibus: motiuum autem Theologiæ, nempe concludere aliquid ex vno saltem principio reuelato, extendi potest ad obiecta inconnexa, cum omnia reuelata assumi possint tanquam principium: ergo & Theologia extendi poterit ad illa.

15 Tertio, nam etiam si Theologia solas respiceret veritates, quæ ad maiorem Dei notitiam conducere possent, quales sunt Angeli, homines, creatio mundi, gratia, peccatum, sacramenta, &c. nullo adhuc probatur fundamento, ea omnia ex intrinseca natura, & exigentia ordinari, vt plenior cognitio creata de Deo existat, aliud enim est, ea omnia posse me ducere in cognitionem Dei, quia

Disp. I. De Proemialibus Theol. Sect. I. 9

quia signa illius sunt, aliud exigere me id cognoscere; sicut aliud est, effectum posse ducere me in cognitionem causæ, aliud exigere me id cognoscere: ergo licet Theologia respiceret solas illas veritates, quæ pleniorum Dei notitiam excitare possunt, cum tamen non omnes ad eam notitiam inducendam extrinseca natura, & exigentia propendeant, nec obiectum attributionis intrinsecum conuincant. Etenim productio cœli, terræ, Angeli, hominis, gratiæ, Incarnationis, &c. ex intrinseca natura, & exigentia non postulat, quod creatura aliqua eam cognoscat, atque adeò neque postulabit, quod creatura aliqua Deum in illa cognoscat, quamuis possit.

16. Asserendum est quintò, obiectum, aut subiectum attributionis extrinsecum Theologiæ, esse Deum, quatenus de illo Theologia aliquid concludere potest ex vno saltem principio reuelato. Probat, nam obiectum attributionis extrinsecum est illud, cuius cognitio potissimum, & vltimate intenditur ab authore scientiæ, aut facultatis: ergo obiectum attributionis intrinsecum Theologiæ illud erit, cuius cognitio potissimum & vltimate intenditur à Deo, Theologici habitûs authore: à Deo autem, infusione habitus Theologici, potissimum intenditur, & vltimate, cognitio ipsius Dei ex vno saltem principio reuelato: ergo. Minor satis constat, tum quia omnia propter semetipsum operatus est Deus, tum quia Paulus 1. corint. 3. satis idem innuit dicens. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.* Vbi etiam Christus vltimate refertur ad Deum.

Obiectum attributionis extrinsecum Theologiæ Deus est.

SECTIO II.

Exponitur obiectum formale Theologiæ.

17. **O**bjectum formale duplex communiter respectu conclusionis formalis distingui solet, vnum intrinsecum, & extrinsecum alterum. Intrinsecum dicitur

Quid sit obiectum formale intrinsecum, quid extrinsecum.

B quod

quod re ipsa, & formaliter attingitur ab actu conclusionis, tanquam motuum assentiendi obiecto materiali. Extrinsicum dicitur, quod formaliter, & re ipsa non ab actu conclusionis attingitur, sed mouere, & influere dicitur in illam, quia cognitum per actus præmissarum, determinat intellectum ad conclusionis assensum. Potissima ergo controuersia tantum præcedit circa obiectum formale intrinsicum Theologiæ; nam extrinsecum idem erit ac motuum intrinsicum præmissarum, quod tamen re ipsa non attingatur ab actu Theologiæ conclusionis sed mouere tantum dicatur, quatenus cognitum per actus præmissarum, determinat intellectum ad conclusionis assensum.

Ratio formalis sub qua, quid, & quotuplex.

18. Ratio autem formalis sub qua Theologiæ est illa quæ ex parte obiecti, vel potentia, supponitur necessario ad actum Theologicum, ipsa tamen, vt talis est, expressè non attingitur per actum. Duplex est, alia se tenet ex parte obiecti, estque capacitas intrinseca illius ad terminandum actum; quæ hoc differt ab obiecto formali intrinseco, quod istud explicitè per actum exprimitur, illa verò, quæ talis non attingitur; color enim explicitè cernitur per visum, non verò capacitas, seu visibilitas illius, quæ talis est. Alia est ratio formalis sub qua, tenens se ex parte potentia, seu scientia, & est capacitas illius ad producendum suum actum. Id tamen, quod omni scientia commune est, obseruauimus nunc, non quia in præsentia momenti sit, sed ne terminorum nouitas aut mentem perturbet, aut magnum aliquid sub illis uocibus latere præsumas.

Prima sententia docens, solas præmissas obiectiuas esse obiectum formale intrinsicum Theologiæ.
P. Arriaga
P. Ribas.

19 Prima, & communis sententia asserit, obiectum formale intrinsicum Theologiæ, solas esse præmissas obiectiuas, quarum vna saltem reuelata sit, & fide diuina credita; reuelationem autem esse tantum obiectum formale extrinsecum, ratione vnus saltem præmissæ fidei, cuius est obiectum formale intrinsicum reuelatio. Ita P. Arriaga hinc disp. 1. sect. 1. subsect. 3. P. Ribas disp. 2. cap. 2. & plures alij supponentes ex Philosophia, solas præmissas

missas obiectiuas esse motiuum intrinsecum cuiuscumque conclusionis. Nam intellectus, cum sit causa necessaria, habens omnia prærequisita, operatur quantum potest; cumque duæ præmissæ formales proponant debite, & approximent identitatem extremorum cum medio, tanquam motiuum sufficiens, ad assentiendum propter illud identitati extremorum inter se; inde assentiri debet identitati extremorum inter se, propter solam identitatem earum cum medio; alia enim motiua ad hunc scopum per accidens se habent.

20. Secunda sententia docet, non solas præmissas obiectiuas, sed bonitatem etiam illationis, rectam scilicet dispositionem medij cum extremis, & reuelationem insuper mediatam, esse obiectum formale intrinsecum Theologiæ. Reuelationem mediatam vocat illam, quæ reuelat effectum in causa essentialiter cum illa connexa; vt in hoc discursu Theologico, *Omnis homo est risibilis: sed Christus est homo, quia Deus dicit: ergo Christus est risibilis*, reuelatio dicens Christum esse hominem mediatè dicit risibilitatis proprietatem necessariò hominis essentiam consecutam. Ita Cardinalis de Lugo disp. 1. de Fide sect. 13.

21. Affero primò, reuelationem adhuc vt constabit ex dicendis, actus & habitus Theologiæ adæquatè distinguuntur ab actu & habitu fidei, non solum ex modo tendendi, sed ex obiecto formali: Reuelatio autem, etiam mediata, est obiectum formale intrinsecum fidei, iuxta dicenda in proprio tractatu: ergo non erit obiectum formale intrinsecum Theologiæ. *Confirmatur*, nam conclusio Theologiæ est assensus extremorum inter se: præmissæ autem obiectiuæ, scilicet identitas extremorum cum medio, seorsim à reuelatione, plenum, & sufficiens sunt motiuum assensus identitatis extremorum inter se, maxime in sententia Cardinalis de Lugo, aliud simile motiuum, non exigente ad conclusiones aliarum scientiarum, ultra præmissas obiectiuas, & bonitatem illationis; nam quod necessitat ad assensum identitatis extremorum in-

Secunda
sententia
addens bo-
nitatem illa-
tionis, & re-
uelationem
mediatam.

Reuelatio
adhuc
mediata
non est ob-
iectum for-
male intrin-
secum Theo-
logiæ.

*Confirmatur in obij. Gale
in my. de lib. Theol. q.
Præmissæ & constabit &c.*

12 Tract. I. De Essentia & Attributis.

ter se, non est testimonium dicens identitatem eorum cum medio, sed ipsa identitas: ergo hæc sola Theologica conclusioni sufficiens motiuum erit.

Simplicitas
esset obiectū
formale etiā
esset imme-
diata.

22. Secundò, quia si reuelatio mediata esset obiectum formale intrinsecum Theologiæ, etiã esset immediata quando videlicet ambæ præmissæ sunt de fide, vt in hoc syllogismo, *Omnes Apostoli acceperunt spiritum sanctum, quia Deus dicit: S. Petrus est Apostolus, quia Deus dicit: ergo accepit spiritum sanctum.* Hæc conclusio attingeret reuelationem illam vniuersalem: reuelatio autem vniuersalis est reuelatio formalis, & immediata singularium, quamuis minus explicita, vt fatetur ipse Lugo: ergo conclusio asserens S. Petrum accepisse spiritum sanctum, propter eam reuelationem, non esset propter mediatam, sed immediatam reuelationem: ergo non posset esse Theologiæ, sed fidei.

23. Dicere posses, conclusionem illam esse Theologicam, & non fidei; quia de ratione fidei est credere soli Deo, seu moueri ad credendum propter solam Dei reuelationem; illa autem conclusio non credit soli Deo, sed etiam veritati præmissarum, ex qua etiam mouetur, vnde assensus fidei non erit, sed Theologicus.

Tentata ex
p. gitor
responsio.

24. Contra, quia idem actus ex diuersis motiuis potest esse fides, & scientia, & ad vtriusque motiuum extendi, vt cum communi sententia tenet Cardinalis de Lugo disp. 2. de fide sect. 3. num. 3. Et in voluntate idem actus potest esse charitatis propter Deum, & misericordiæ propter subuentionem pauperis: ergo licet conclusio illa non moueatur ex sola reuelatione diuina, sed vltèrius se extendat ad motiuum præmissarum, non inde deficiet à ratione actus fidei. Nec dici potest, conclusionem Theologicam non moueri perfectè ex reuelatione, quod necessarium est ad actum fidei; eo quod intellectus sola proposita reuelatione, non præberet assensum per actum solius fidei. Non inquam id dici potest, nam conclusio Theologica supponit intellectum fidei adhærentem in præmissis ex sola reuelatione diuina, atque adeò paratum ad

Disp. I. De Proœmialibus Theol. Sect. II. 13

ad credendum ex sola illa, quidquid sibi sufficienter proponatur: ergo ex eo capite conclusio Theologica non deficiet à ratione fidei; atque adeò solum erit Theologica ratione præmissarum, quatenus fides, & Theologia distinguuntur inter se.

25. Affero secundò, bonitatem illationis, rectam, scilicet dispositionem medijs cum extremis, speciali actu reflexè cognitam, distincto ab assensu præmissarum, & conclusionis, & correspondente particulæ *ergo*, non esse obiectum formale intrinsecum Theologiæ. Ratio est, tum quia præmissæ sufficienter disponunt medium cum extremis, modo quo id conclusioni necessarium est; conclusio enim ritam illam exigit dispositionem, non verò quòd ego actu speciali illam ut talem cognoscam. Tum etiam, quia talis actus Dialectici potius est, quàm Theologi. Tum præterea, quia præmissæ non necessitant ad iudicandum, rite esse dispositum medium cum extremis, id enim, quando præstatur ab intellectu, iam supponit conclusionem necessariò ortam ex præmissis; cum identitas extremorum cum medio proposita, necessariò inferat identitatem extremorum inter se. Tum denique quia specialis illa cognitio cognoscit medium rite esse dispositum cum extremis: ergo eam dispositionem supponit ex parte obiecti, & consequenter totum fundamentum identitatis extremorum inter se.

26. Affero tertio, solas præmissas obiectivas non esse obiectum formale intrinsecum, & adæquatum habitus Theologiæ. Dixi habitus, quia respectu aliquorum actuum posse solas illas esse obiectum adæquatum non negamus. Probat, nã ut docui in Philosophia, ex præmissis subsequi potest actus assentiens identitati extremorum inter se, non propter identitatè eorũ cum medio, sed propter solam intrinsecã illius veritatè. Quod ut ostendam suppono, possibilem esse actum, attingentem obiectum materiale huius conclusionis V. L. *Petrus est animal*, propter solam intrinsecam veritatem identitatis extremorum inter se, siue talis actus sit conclusio, siue non, à quo nunc præ-

Bonitas illationis reflexe cognita non est obiectum formale intrinsecum Theologi.

Solæ præmissæ obiectivæ non sunt obiectum formale adæquatum Theologiæ.

cindo. Id quod meo iudicio negari non potest, cum præmissæ ita attingant sua obiecta, vt hoc obiectum, *Petrus est animal*, per actum qui præmissa sit, vel simplex iudicium, attingi possit.

Ex præmissis
se quid va-
let assensus
extremorum
propter in-
trinsecam
veritatem.

27. Modo sic. Intellectus, vt aiunt aduersarij, cum sit causa necessaria, habens omnia requisita, operatur quantum potest: istæ autem præmissæ, *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo*, ritè proponunt, & approximant veritatem identitatis animalis cum Petro, tanquam motiuum sufficiens actus suprapositi, nempe, *Petrus est animal*, propter solam veritatem illius intrinsecam: ergo talis actus potest, & subsequi necessariò debet ex præmissis, si argumentatio aduersariorum solida est. Probatur consequentia, nam ideò per vos potest, & necessariò sequi debet ex eisdem præmissis actus assentiens identitati extremorum inter se, propter identitatem cum tertio, quia hæc scilicet identitas cum tertio, sufficienter proponitur à præmissis tanquam motiuum sufficiens illi actui: veritas autem identitatis extremorum inter se, sufficienter etiam proponitur ab iisdem præmissis, tanquam motiuum, sufficiens actui assentiens identitati extremorum inter se, propter intrinsecam, & propriam veritatem: ergo poterit talis actus, & necessariò ex præmissis, sequi debet: Minor probatur, quia motiuum veritatis identitatis extremorum inter se, est ipsamet identitas eorum: identitas enim extremorum inter se sufficienter proponitur per præmissas formales, aliter subsequi non posset assensus illius: ergo & motiuum proponitur sufficienter.

28. Nec dicas, motiuum cuiuslibet assensus debere præcedere explicitè præcognitum per alium actum. Nam licet id verum esset, quando motiuum distinctum est ab obiecto materiali, non verò quando est ipsummet obiectum materiale; tunc enim antecedens approximatio, quæ sufficit obiecto materiali, sufficiens quoque est formali, cum istud sit ipsummet obiectum materiale, vt patet in præmissis assentientibus obiecto materiali propter intrinsecam illius veritatem, in quibus eadem applicatio, quæ

quæ sufficit obiecto materiali, sufficiens etiam est formali, eò quòd sint omninò idem: præmissæ autem sufficienter applicant obiectum materiale, nempe identitatem extremorum inter se: ergo & formale ab ea identitate indistinctum.

29. Dices, assensibus præmissarum proponi explicitè motiuum per antecedentem apprehensionem illius. Contra *primò*, nam per eas apprehensiones etiam explicitè proponitur obiectum materiale: ergo eadem approximatior, quæ sufficit obiecto materiali, sufficiens est formali indistincto à materiali: ergo præmissæ, quæ sufficienter applicant obiectum materiale, pariter applicabunt formale indistinctum à materiali. *Secundò*, quia præmissæ non excludunt, imò necessariò inferunt apprehensionem identitatis extremorum inter se, apprehensionem inquam antecedentem ad conclusionis assensum: ergo à tali apprehensione sufficienter proponitur motiuum intrinsecæ veritatis, sicut per apprehensionem proponitur præmissis, & cuilibet simplici iudicio. Vnde etiam si ex præmissis nunquam sequeretur assensus identitatis extremorum inter se propter intrinsecam veritatem solam, propter illam tamen simul præmissas obiectiuas, stante aduersariorum fundamento, sequi deberet, cum totum hoc motiuum sit sufficienter applicatum, & intellectus causa necessaria, quæ ritè applicata operatur quantum potest: atque adeò non solæ præmissæ essent motiuum intrinsecum conclusionis.

30. Fundamento aduersariorum respondemus, intellectum supposito præmissarum assensu, non teneri ad operandum quantum potest de se ex parte præmissarum; nam inde plures dissimilesque tum numero, tum intensione, tum etiam perfectione substantiali, prodire possunt conclusiones, nec tamen ad producendas illas omnes vllâ lege tenetur. Adstringitur ergo ad operandum intellectus ex assensu præmissarum, non quantum inde potest, sed quantum cogitur, partim ex præmissis reddentibus impossibilem dissensum conclusionis, & tantum ad aliquem assensum

Satis fir ad-
uersariorum
fundamento
vbi ad quid
& quomodo
necessitent
præmissæ.

assensum sub disiunctione compellentibus; partim ex Deo preparante omnipotentiam ad solam hanc conclusionem præ aliis. Ex quo duplici capite, posito præmissarum assensu, necessitatur intellectus ad hanc numero conclusionem præ aliis. Similiter dicimus, cum ex præmissis subsequi possit, vel assensus extremorum inter se propter solas præmissas obiectiuas, vel propter solam intrinsecam veritatem, vel etiam propter vtramque, ad solum illum necessitari intellectum, nullâ stante voluntatis electione libera, ad quem solum Deus, prohibitis aliis paratam habuerit omnipotentiam suam. Quenam autem hæc sit? Iudico frequentius preparari à Deo omnipotentiam ad assensum identitatis extremorum inter se propter solam intrinsecam eius veritatem; nam in conclusionibus frequentius à nobis elicitis, nullum experimur recursum ad præmissas obiectiuas, imò tales eliciuntur, quæ concessæ subrogantur ad vltiores syllogismos, loco simplicis præmissæ.

31. Quod autem obijciebant aliqui, videlicet, admissâ conclusione propter solam intrinsecam extremorum veritatem, non esse rationem, vnde ex triplici actu syllogismi, vnus potius, quam alter sit conclusio, ipsos vrget, in assignanda ratione; cur ex duplici præmissarum actu, vnus sit maior, vel minor; maximè quando vtraque singularis est. *Respondeo* igitur ex triplici actu syllogismum formalem componente, illos esse præmissas, qui disponunt medium cum extremis, quid autem id sit consule summulas, illum verò conclusionem qui assentitur identitati extremorum inter se, ex quocumque motu id contingat.

Obiectum
formale
adequatum
Theologiæ
identitas
extremorum
cum medio,
& inter se.

32. Assero quartò, obiectum formale intrinsecum, & adequatum habitus Theologiæ, neque esse solas præmissas obiectiuas, quarum vna saltem reuelata sit, neque solam intrinsecam veritatem conclusionis obiectiuæ, sed complexum vtriusque, quamuis quælibet earum seorsim ab altera actum Theologicum mouere possit. Sicut obiectum formale adequatum fidei complectitur omnem reuela

reuelationem, etiam si vna seorsim ab altera actum fidei mouere possit. Ratio assertionis est, quia Theologia est habitus conclusionum ex vno saltem principio reuelato: ergo eius obiectum formale intrinsecum adæquatum erit omne illud, quod actum conclusionis mouere potest: Id autem præstare possunt, tam præmissæ obiectiuæ, quam ipsa veritas conclusionis intrinseca: ergo totum id constituet obiectum formale intrinsecum habitus Theologiæ, quod omnibus scientiis in obiecto proprio commune est.

33. Objicies, omnis cõclusio Theologica pēdet essentialiter à reuelatione principiorum saltem vnius: ea autem dependentia consistere non potest, nisi reuelatio sit obiectum formale intrinsecum: ergo. Maior videtur certa, cum omnis conclusio Theologica necessariò, & ineuitaliter debeat esse ex vno saltem principio reuelato. Minor probatur, quia conclusio Theologica non pendet essentialiter à reuelatione tanquam obiecto, vt nos fatemur; neque tanquam à causa, vt est certum; neque tanquam ab approximante obiectum, quia id non à reuelatione præstatur, sed ab assensibus præmissarum: alius modus dependentiæ non apparet: ergo nisi reuelatio sit obiectum formale intrinsecum, ea dependentia non consistit. *Respondeo* concessa maiori, negans minorem. Ad probationem concessâ similiter maiori, neganda est minor. Conclusio enim Theologica, quâ talis, pendet essentialiter à reuelatione, non immediatè, sed mediatè, quatenus videlicet pendet immediatè, vel à præmissarum assensu, quarum saltem vna pendet essentialiter à reuelatione, cum sit assensus obiecti, quia Deus dicit illud, vel à præmissa ab eo fidei assensu deriuata.

34. Instabis, licet conclusio, quâ talis, pendeat essentialiter à præmissis formalibus, entitas autem actus non pendet ab illis, sed ad summum ab obiectiuis, quando intrinsecè mouetur ex illis: ergo neque entitas actus conclusionis Theologiæ poterit medio assensu præmissarum formalium à reuelatione pendere: Antecedens probatur,

Quo pacto conclusio Theologica à reuelatione dependeat.

Difficilior instantia nobis obiecta.

nam assensus præmissarum requisiti tantum sunt ad conclusionis actum, vt approximent illi obiectum materiale, & formale, & determinent intellectum: id autem totum fieri potest, saltem diuinitus, absquẽ præmissarum assensu, per solam apprehensionem obiecti materialis, & formalis, aut speciem impressam illius, & decretum Dei efficax determinans intellectum. Et quamuis actus conclusionis Theologiæ penderet essentialiter ab assensibus præmissarum, sufficerent illi præmissæ assentientes identitati extremorum cum medio propter intrinsecam veritatem, solam; nam ad assensum identitatis extremorum inter se propter intrinsecam veritatem, vel propter præmissas obiectiuas, sufficiunt præmissæ approximantes obiectum materiale, & formale, & determinantes intellectum, quod præstarent illæ: esse autem possibles huiusmodi præmissas, etiam certas, & obscuras, si id conclusioni Theologiæ necessarium sit, quid obstare potest absolute Dei potentia: ergo si actus conclusionis Theologiæ solas respiceret, tanquam motiuum intrinsecum, præmissas obiectiuas, & non reuelationem, nullam haberet dependentiam essentialem ab ista.

Modus dependentiæ
qualitatis
actus Theologici à reuelatione.

35. Respondeo, entitatem omnem, seu qualitatem actus conclusionis Theologiæ, quidquid sit de aliquibus, non pendere essentialiter à præmissis formalibus existentibus, vt benè probat instantia, & consequenter neque per illas à reuelatione diuina existenti, quamuis ab vtrisque possibilibus essentialiter pendeat; actio verò, qui ea qualitas ab habitu Theologico intrinsecè discursiuo, potius quàm ab altero non ita discursiuo procedit, pendet essentialiter ab actuali approximatione obiecti per vnam saltem fidei præmissam, vel à fide deriuatam, & ratione illius à reuelatione diuina existenti; eò quòd habitus Theologiæ intrinsecè discursiuus sit, & in præsuppositis fidei principiis essentialiter fundatus, & radicans, vnde sine illis determinare se non potest ad productionem sui actus, sicut nec alij habitus intrinsecè discursiu.

S E C T I O III.

De principiis conclusionis Theologica, seu
præmissis.

36. **P**Rincipium hîc non sumitur pro causa efficiens conclusionis productiua, sed idem valet, ac prærequisitum tam ex parte obiecti, quam ex parte præmissarum formalium, idem inquam, ac præmissæ, tam obiectiuæ, quam formales, quocumque modo conclusioni deseruiant. Difficultas ergo est qualia debent esse huiusmodi principia, quæque sufficiant conclusioni Theologica, quæ omnia sequentibus assentiobus aperio.

37. Affero primò, vtramque præmissam obiectiuam, & vtramque formalem fidei, id est, assentientem obiectiuæ propter reuelationem, conclusioni Theologicae sufficientes esse. Ratio est manifesta, nam Theologia principis fidei fundata est: ergo si ambo reuelata sint, & fidei credita, sufficienti conclusio Theologica fundamento consistit, vt patet in his syllogismis; *Omnes Apostoli acciperunt Spiritum sanctum quia Deus dicit. Actor. 2. sed sanctus Petrus & Andreas sunt Apostoli, quia Deus dicit. Matth. 4. & Marci 1. ergo acceperunt Spiritum Sanctum. Item, Petrus antequam gallus cantaret ter negaturus erat Christum, quia Deus dicit, Matth. 26. Sed gallus cantauit, quia Deus dicit, ibidem: ergo ter Christum negauit.* Quæ & innumerae alie conclusiones illis similes in scripturis contentæ, Theologicae sunt etiam si certum obiectum fides sit, & propter reuelationem propriam credi possit, quia id non obstat conclusioni Theologicae, cum hæc moueatur, non ex reuelatione, vt vidimus, sed ex identitate, vel extremorum inter se, vel cum medio.

Vtraque
præmissa
reuelata
conclusioni
Theologicae
sufficiens.

38. Affero secundò, nullam præmissam probabilem conclusioni Theologicae aptam esse. Ratio est, quia omnis conclusio Theologica, vt constabit sect. sequenti, est

Nulla præmissa probabilis conclusioni Theologicae sufficiens.

metaphysicè certa, & infallibilis, & impotens subesse falso: talis autem non est conclusio ex aliqua præmissa probabili deducta: ergo. Minor probatur, quia conclusio eo pacto inter se connectit extrema, quæ supponuntur in præmissis connexa cum medio: si autem vna præmissarum probabilis sit, non supponuntur extrema infallibiter connexa cum medio, cum præmissa probabilis fallibilis sit: ergo. *Confirmatur*, quamuis vna præmissa sit evidens, si altera obscura sit, conclusio ex illis concepta evidens esse non potest, sed obscura: ergo quamuis vna præmissa certa sit, si altera tantum sit probabilis, conclusio non poterit esse certa, sed probabilis tantum.

Aliqua præmissa fidei conclusioni Theologicæ necessaria.

39. Affero tertio, aliquam præmissam fidei necessariam esse omni conclusioni Theologicæ, quæ tali. Loquor de Theologia ordinaria viatorum, de qua solum differitur à nobis: de Theologia tamen extraordinaria, & beatorum, libabimus aliquid se et sequenti. Præmissam fidei voco, assensum mysterij, vel propter diuinam reuelationem, vel ab ea originem trahentem, & dependentem, qualis est mysterij rei propter auctoritatem Ecclesiæ, Pontificis, aut Concilij Generalis legitime coacti. Probatur, quia huiusmodi assensus certus est, infallibilis, & à reuelatione dependens, saltem mediate, & insuper obscurus, & de obiecto reuelato: ergo & necessarius omni Theologicæ conclusioni, quæ necessariò est conclusio ex vno saltem principio reuelato. Minor quoad omnes illius partes supponenda nunc est ex tract. de fide, nam auctoritas Ecclesiæ dicit assistentiam Spiritus sancti ad res fidei infallibiliter definiendas promissam à Deo, & reuelatam ab ipso, quidquid insuper Ecclesia credendum proponit in aliqua reuelatione, saltem generali, dictum à Deo est; denique assensus mysterij propter auctoritatem Ecclesiæ supponit assensum ipsius auctoritatis propter reuelationem, vel eam attingit. Quæ omnia assensum infallibilem, obscurum, de obiecto reuelato, & à reuelatione pendentem generare possunt.

Aliqua præmissa super-

40. Affero quarto, vnam saltem præmissam in substantia

stantia supernam ad quamcumque conclusionem Theologicam, vt talem, de facto necessariam simpliciter esse. Est contra P. Ribas disp. 3. cap. 2. num 10. & Vasquium apud ipsum num. 8. docentes, sufficere præmissas naturales simpliciter infallibiles. Probatum quia principia Theologiæ, saltem aliquod pendere debet à reuelatione diuina, eique connecti, aliter ad quid obiecta reuelata, saltem aliquod necessarium esset? reuelatio autem diuina est in substantia superna, vt pono ex materia de fide: ergo & aliqua præmissa superna debet esse. Probatum consequentia, quia quidquid ab aliquo supernaturali dependet, eique connectitur, supernaturale est, vt videbimus tract. 2. de visione. Aliqua autem præmissa Theologiæ necessariò à reuelatione dependet, eique connectitur: ergo superna necessariò futura est; sicut actus fidei propter dependentiam à reuelatione supernus est. Dixi de facto, quia si possibilis sit alia reuelatio diuina, & fides naturalis, ab existenti distincta, non renuerem admittere etiam possibilem aliam Theologiam ab existente de facto distinctam, quæ solis principiis naturalibus niteretur.

41. Maior tamen difficultas est, an conclusioni Theologiæ vtraque præmissa superna necessaria sit, vel sufficiat vna naturalis euidens, & altera superna fidei. Affirmat communis sententia sufficere vnã præmissam fidei, & alteram naturalem euidens, vt in hoc syllogismo. *Omnis homo est risibilis: sed Christus est homo, quia Deus dicit: ergo Christus est risibilis.* In quo maior est naturalis euidens, minor fidei, & conclusio Theologica. Ita P. Soarius disp. 3. de fide sect. 11. citans pro se num. 3. Gregorium, Maiorem, Gabrielem, Capreolum, Caietanum, & num 7. Valentiam, & Cordubam. Insuper P. Molina 1. part. quæst. 1. art. 2. disp. 1. & 2. Pater Petrus Hurtado disp. 12. de fide sect. 1. Cardinalis de Lugo. disp. 1. de fide sect. 13. §. 1. num. 261. P. Ribas suo apparatu ad Theologiam disp. 3. num. 4. & innumeri in procemio.

42. Pro quæstionis resolutione aduertendum est, propositionem vniuersalem euidens, quæ conclusioni

na ad quam-
cūque con-
clusionem
Theologicā
necessaria.

Sufficere
vnã natu-
ralem eui-
dentem
tuentur.
P. Soarius.
Gregorius.
Maior.
Gabriel.
Capreolus.
Caietanus.
Corduba.
P. Valentia.
P. Molina.
C. de Lugo.
P. Ribas.

Expenditur
qualitas
propositio-

22 Tract. I. De Essentia & Attributis.

nis naturalis
potens con-
clusioni
Theologicæ
deseruire.

Theologicæ inferuire posset, duplicem esse; vnā, quæ soli conclusioni de obiecto naturali deseruire potest, quæque in tota sui obiecti latitudine nihil supernaturale contineat, sed obiecta solum naturalia, altera, quæ intra latitudinem sui obiecti aliquid contineat supernum, quamuis confusè cognitum, quæque conclusioni Theologicæ inferuiat de obiecto superno, qualis est maior illius syllogismi, *Omnis homo est risibilis*, in cuius obiecto quid supernum continetur, nempe Christus. Idemque est de maiori istius syllogismi: *Omne quod existit possibile est: sed visio beata existit, quia Deus dicit: ergo possibilis est*. Maior autem vniuersalis attingens confusè obiectum singulare supernum, videl. *Omnis homo est risibilis*, dupliciter potest attingere obiectum de quo risibilitatem affirmat. Primò, non adhærendo positiuè illius existentia, aut possibilitati, nec illi dissentiendo, sed ab his omnibus præscindendo, imbibita in actu hac conditionali, omnes homines, si dentur, vel supposito quod dentur, risibiles sunt. Secundò nulla imbibita simili conditione, sed firmiter, & absolute adhærendo existentia, vel possibilitati subiecti, per connexionem absolutam, & essentialē cum illo, etiam si ea possibilitas, aut existentia non affirmentur, vtfrequens est, tum in omni assensu supernaturali, tum etiam in pluribus naturalibus. Hoc posito.

Præmissa na-
turalis con-
clusioni
Theologicæ
de obiecto
naturalis suf-
ficiens.

43. Assero quintò præmissam naturalem euentē de obiecto adæquato naturali, vna cum altera fidei sufficientem esse conclusioni Theologicæ de obiecto naturali. Ratio est, quia præmissa illa, quantumuis naturalis, infallibiliter nectit extremum cum medio, & coniunctio illius cum præmissa fidei sufficienter saluat dependentiam conclusionis, à fide, & reuelatione diuina, quæ sufficientiunt conclusioni Theologicæ: ergo.

Etiā con-
clusioni de
obiecto su-
perno, si
conditiona-
re attingat
illud.

44. Assero sextò, præmissam naturalem euentem, & complectentem aliquod subiectum singulare supernum, sub conditione, si detur, coniunctam alteri fidei, aptam esse conclusioni Theologicæ de subiecto superno. Ratio est, quia præmissa illa v. g. *Omnis homo est risibilis*: licet

licet sub conditione, videlicet, si detur homo, vel ex suppositione quod detur, infallibiliter connectit extremum cum medio, quod sufficit, vt coniuncta minori fidei, scilicet, *Christus est homo, quia Deus dicit*, inferatur conclusio Theologica, nempe, *Christus est risibilis*.

45. Objicies primò contra vtramque præcedentem conclusionem, præmissa naturalis euidens non connectit supernaturaliter extremum cum medio: ergo neque sufficiens erit conclusioni Theologicæ supernaturaliter inter se extrema connectenti, vt constabit sect. sequenti, vbi ostendemus omnem conclusionem Theologicam tam de obiecto naturali, quàm superno supernam esse. Consequentia probatur, nam ideò præmissa probabilis sufficiens non est, quia non connectit infallibiliter extremum cum medio, & conclusio Theologica debet infallibiliter extrema inter se connectere: sed etiam debet supernaturaliter extrema inter se connectere: ergo cum id non præstet præmissa naturalis, neque poterit esse sufficiens: nam eo tantum modo connecti possunt à conclusione extrema inter se, quo supponuntur à præmissis connexa cum medio. *Confirmatur*, nam ob eandem rationem si vna præmissa confusa est, conclusio non potest esse euidens: ergo si vna naturalis sit, non potest esse superna.

46. Respondeo, concessio antecedenti, negans consequentiam. Ad probationem, concessis præmissis, neganda est consequentia. Disparitas est, nam certitudo, & euidencia identitatis extremorum inter se, respectiue ad conclusionem, commensuratur ex certitudine, aut euidencia identitatis extremorum cum medio, sicut veritas; vnde si certitudo ex aliquo capite deficiat, idemque est de euidencia, deficere debet etiam in conclusione: supernaturalitas autem conclusionis Theologicæ nõ commensuratur ex supernaturalitate extremorum cum medio, sed ex dependentia à reuelatione diuina, cumque ista consistere possit ratione vnus tantum præmissæ fidei, inde vtraque superna necessaria non est supernaturalitati conclusionis, ex quocumque enim capite res aliqua ab ali-

Discrimen inter certitudinem, euidenciam & supernaturalitatem conclusionis Theologicæ.

quo

quo supernaturali dependeat, superna euadit.

47. Objicies secundo, conclusio Theologica non potest maiori certitudine connectere inter se extrema, quam connexa sint cum medio per præmissas: id falsum esset, stante aliqua præmissa naturali: ergo hæc conclusioni Theologicæ apta non est. Maior probatur, nam omnis conclusio superna certior est qualibet naturali cognitione, etiam euidenti: ergo conclusio Theologica, utpote superna, maiori certitudine connecteret extrema inter se, quam connexa essent cum medio per præmissam naturalem euidentem. *Respondeo*, ex dicendis sect. 4. conclusionem Theologicam non connectere inter se extrema maiori certitudine ex parte obiecti, quidquid sit ex parte principij, aut reuelationis, quod nihil obstat; aliter ex nulla præmissa naturali euidenti, & altera superna, siue clara, siue obscura, siue de obiecto superno, siue naturali, deduci posset conclusio aliqua superna, etiam quæ Theologica non esset.

48. Objicies tertio, præmissæ necessitant ad conclusionem, eique connectuntur: ergo neutra potest esse naturalis. Probatur consequentia, quia nihil naturale connecti potest cum aliquo superno: conclusio autem Theologica superna est: ergo nihil naturale potest illi connecti. Præmissa autem naturalis connecteretur, cum esset vis inadæquatè necessitans, non minus quam superna, vna enim præmissa seorsim ab alia non necessitat, sed vtraque simul: ergo connexio & necessitas non est ratione solius præmissæ supernæ, sed æqualiter etiam ratione naturalis: ergo vtraque necessitabit, & connectetur; cum necessitas, & connexio proueniat ex identitate extremorum cum medio, quam non minus prestaret præmissa naturalis, quam superna.

Quo pacto
præmissa na-
turalis con-
iuncta su-
pernæ ne-
cessitet ad
conclusionē.

49. *Respondeo*, neque præmissam naturalem solam, neque solam supernam necessitare ad conclusionem Theologicam, sed vtramque coniunctim; diuersimode tamen coniunctim necessitat ratione præmissæ naturalis, & diuersimode ratione supernæ. Nam præmissa naturalis necessitat,

neces-
rò, c
xima
de n
Sicu
non
ratio
ctim
lum
est in
illust
& in

50
ficien
xima
repræ
tat fu
tute f
absq
uet q

51.
Recen
omnil
tioner
solum
quia p
efficie
hoc sy
duplici
scilicet
nalita
nem,
nam,
præmi
specia
tici.

52.

necessitat, quatenus eleuata à supernaturali, superna verò, quatenus eleuans naturalem, eo quod ista sit approxi-
 matio obiecti connaturalis illi, non verò è contra. Vnde non fit vtramque supernam esse, sed vnam tantum. Sicut licet coniunctum ex lumine gloriæ, & intellectu, non necessitet ad visionem ratione solius luminis, neque ratione solius intellectus, sed ratione vtriusque coniunctim; tamen quia intellectus eleuatur à lumine, istud solum supernaturale est, intellectus verò naturalis. Idem est in puncto auxiliorum de coniuncto ex voluntate, & illustratione superna intellectus necessitante ad sanctam & indeliberatam inspirationem voluntatis.

50. Instabis, præmissa naturalis non mouet physicè efficienter ad conclusionem, sed moraliter tantum, approximando obiectum conclusioni, quod præstat sui obiecti representatione; præmissa autem naturali non representat suum obiectum obedientialiter, aut eleuata, sed virtute sibi naturali, cum existere possit ea representatio absque aliquo superno: ergo præmissa naturalis non mouet quatenus eleuata.

51. Ad instantiam istam declinandam confugiunt Recentiores aliqui ad concursum efficientem præmissis omnibus concessum respectu conclusionis, vnde eleuationem præmissæ naturalis à superna explicant. Hos alij solum concursum morale admittentes, impugnant, quia præmissa superna præstaret aliquando concursum efficientem in conclusionem falsam, & hæreticam, vt in hoc syllogismo: *Omne constans duplici natura, constat etiam duplici personalitate: Christus constat duplici natura, diuina scilicet, & humana, quia Deus dicit: ergo constat duplici personalitate;* quæ conclusio hæretica est. Vnde fieret actionem, qua conclusio hæretica produceretur, fore supernam, vtpote connexam cum principio superno, scilicet præmissa fidei. Ex quo iterum fieret, Deum esse causam specialem talis actionis, & consequenter termini hæretici.

Quid iuuet ad solutionem instantiæ concursus efficiens præmissarū inconclusionem, quidque obstat.

52. Huiusmodi tamen impugnatores rem non satis
 D meditati

meditati sunt, nam præmissarum concursum, quem alij concedunt efficientem, ipsi concedunt moralem; vel ergo in eo syllogismo, præmissa superna concurret moraliter ad conclusionem hæreticam, vel non? si dicas non concurrere illam, sed loco illius aliam naturalem, idem ipsi dicent de concursu efficienti. Primum autem non admittent arguentes, aliter præmissa superna moueret, & Deus per illam, ad conclusionem hæreticam, quæ motio, & concursus moralis, non minus repugnat cognitioni supernæ, quam efficiens cum de ratione illius sit retrahere à malo, & falso: ergo impugnatio illa contra suos inuentores vires acuit.

Modus quo
præmissa
naturalis
elevator à
superna ad
conclusionem
Theo-
logicam.

53. Respondeo igitur, admissio solo concursu morali præmissarum in conclusionem præmissarum inquã inter se non pugnantium, eo quod vna alliciat, & alia positiuè retrahat ab assensu, vt contingit in syllogismo numeri præcedentis, in quo præmissa superna nõ mouet, sed naturalis loco illius. Respondeo inquã, præmissam naturalem non eleuari à superna, quoad representationem sui obiecti, vt præcisè talẽ, sed quoad vim mouendi, & necessitandi ad conclusionem quævis mouendi distincta realiter est à præcisa repræsentatione obiecti præmissæ naturalis, cum indiuisibiliter sit coniunctum vtrique præmissæ, quam motionem naturalis præstare non potest, nec sola coniuncta alteri naturali, idèò indiget eleuante superna; sicut intellectus ad virtutem proportionatam actionis supernæ, quam se solo præstare non potest, indiget principio eleuante. Nec obstat præmissam supernaturalem solam non mouere, & necessitare ad conclusionem, nec eleuet naturalem, vt patet in intellectu, qui eleuatur à principio superno, etiamsi hoc se solo sine intellectu agere non possit, sicut ergo intellectus eleuatur, quia comprincipium supernum debitum illi non est, hocque eleuat, quia intellectus indebitus illi non est, vt dicitur tract. 2. idem dicimus de præmissa naturali, & superna.

Quomodo
actus natu-
ralis mouere

54. Instabis iterum. Nullus actus naturalis potest per se mouere adhuc mediatè ad affectum voluntatis salutarem

rem

rem : si autem præmissa naturalis simul cum superna inferret conclusionem supernam , illa per se moueret salutem mediate ad affectum voluntatis salutarem : ergo. Maior certa est. Minor verò probatur ; Quia omnis cognitio superna mouet per se ad affectum voluntatis supernum, & consequenter salutarem : præmissa autem naturalis, vna cum superna, mouet ad cognitionem, seu conclusionem supernaturalem : ergo mediante ista moueret præmissa naturalis per se, ad affectum voluntatis salutarem. Respondeo ex dictis, actum naturalem non posse se solo, vlllo pacto ad affectum salutarem per se mouere, posse tamen adiutum, & eleuatum à superno ; sicut potentia naturalis, licet se sola nihil valeat supernum efficere, potest tamen adiuta, & eleuata comprincipio superno.

possit ad affectum salutarem.

55. Instabis denique, si actus naturalis posset adiutus & eleuatus à superno mouere ad affectum salutarem, apprehensio naturalis coniuncta supernæ, id quoque præstare posset ; id autem falsum est : ergo & actum naturalem adiutum, & eleuatum à superno posse mouere ad affectum voluntatis supernum. Maior videtur aperta, quia non apparet dispar ratio inter præmissam naturalem respectu conclusionis supernæ, & apprehensionem naturalem respectu affectus voluntatis, similiter superni. Minor verò probatur, quia quidquid præstaret apprehensio naturalis coniuncta supernæ, præstaretur à sola superna, se sola sufficiente ad mouendum salutarem voluntatis affectum, cum id non alia ratione præstet apprehensio, quam ostensione proportionata bonitatis obiecti, quod præstaret planè & perfectè sola apprehensio superna, etiamsi nulla naturalis sibi coexisteret : ergo inutilis, & superuacanea omnino esset eleuatio apprehensionis naturalis à superna.

Discrimen inter præmissam naturalem, & apprehensionem, ad mouendum voluntatis affectum supernaturalem.

56. Respondeo negans sequelam de facto, disparitas inter præmissas respectu conclusionis, & apprehensiones respectu affectus voluntatis superni, est. Quia ad conclusionem nulla præmissarum seorsim ab altera mouere potest, inde quæ naturalis est eleuari debet à superna,

cum nec ista sola sufficiens sit ad inferendam conclusionem. Apprehensio autem superna se sola mouere potest affectum voluntatis supernum, vt optimè conuincit instantia, atque adeò otiosa esset eleuatio apprehensionis naturalis, & inde rejicienda. Idem iudico dicendum, casu, quo in syllogismo Theologico, minori supernæ duplex maior propositio iungeretur, vna superna, & naturalis altera, tunc enim naturalis, nec moueret, nec eleuaretur à superna ad conclusionem inferendam ob eandem rationem.

Quæ præmissa naturalis implicat pro Theologica conclusione.

57. Affero vltimò, præmissam naturalem, & vniuersalem euidentem, & complectentem aliquod obiectum singulare supernum, non sub conditione, si detur, sed firmiter, & absolute adhærendo existentia, vel possibilitati illius, impossibile omnino esse, & consequenter minimè aptam conclusioni Theologica. Probatur quia huiusmodi præmissa futura est necessariò superna, & naturalis esse non potest: ergo. Antecedens probatur quia præmissa illa essentialiter esset cum ente supernaturali connexa: ergo naturalis esse non potest, sed superna. Consequentia optima est ex dicendis tract. 2. disp. 13. sect. 2. Antecedens probatur, tum quia præmissa vniuersalis. v.g. *Omnis homo est risibilis*, dicit saltem confuse obiectum conclusionis, videlicet, *Christum esse risibilem*, quod obiectum supernum est, aliter conclusio superna non esset ex obiecto: huiusmodi autem obiectum non dicitur à præmissa probabiliter: ergo certo, confusio enim non opponitur certitudini, & connexioni. Tum etiam quia obiectum illius propositionis videlicet, *Omnis homo*, includit Christum, qui supernaturalis est, atque adeò attingi non potest actu naturali certo. Tum præterea, quia propositio vniuersalis attingit, licet confuse, differentias omnium singularium; ergo etiam differentiam Christi, quæ superna est. Tum insuper, quia propositio vniuersalis euidens deficeret deficiente singulari sub illa contento, cū deficeret aliquod illius obiectum; & hoc ipso, quod Christus non esset risibilis falsa esset, cum Christus sit vnum ex singularibus sub illa

illa contentum : ergo connectitur cum Christo risibili : ergo sicut conclusio propter eam connexionem superna est , pariter quoque præmissa erit. Tum denique quia res absolutè connexa cum coniuncto ex naturali & superno, superna est ; illa autem præmissa connexa esset absolutè cum subiecto omnis hominis , quod esset coniunctum ex naturali , & superno : ergo superna esset.

58. Hinc colligo ; omnes propositiones vniuersales evidentes , & complectentes aliquod singulare supernum necessariò futuras esse supernas , si firmiter , & absolutè adhereant existentia vel possibilitati obiecti , videlicet, *Omne quod existit non implicat existere* : sed visio, aut vnio hypostatica existunt, quia Deus dicit: ergo non implicat existere. Itè *omne ens reale potest existere* , sed visio beata est ens reale: ergo potest existere. Quia eadem est ratio de his , & aliis similibus, ac de ista : *Omnis homo est risibilis* , vt expendenti patebit. Dixi , si firmiter adhæreant existentia aut possibilitati subiecti , quia si aliter attingant illud , videlicet conditionatè, constat ex dictis quid dicendum sit.

Alia propositiones vniuersales explicatae.

59. Objicies primò , maior vniuersalis , videlicet. *Omne quod existit non implicat existere* ; idem est de aliis similibus, est de se indifferens vt coniuncta cum hac propositione minori , *sed sol existit* , hanc aliam conclusionem inferat : *ergo potest existere* : in hoc autem syllogismo maior propositio superna non est , sed naturalis : ergo neque in syllogismo Theologico superna erit. Minor ostenditur , quia solemne est inter Philosophos dari demonstrationes constantes præmissis certis , & naturalibus quæ autem melius in illarum numero collocari potest , quam ista ? *Omne quod existit non implicat existere : sol existit : ergo non implicat existere* : ergo maior huius syllogismi naturalis est : ergo cum eadem ipsissima esse possit in alio syllogismo Theologico, ibi quoque naturalis erit ; cum actus ab intrinseco habeat esse naturale , vel supernum. *Respondeo* , maiorem illam in vtroque syllogismo supernam esse, si firmiter & absolutè adhæreat existentia obiecti etiam superni ; nam illius veritas essentialiter pendet ab eo , quod visio beata,

Indifferètia propositionis vniuersalis obiecta & declarata.

quæ est subiectum illius propositionis, possibilis sit. Inter Philosophicas autem demonstrationes, non illa intercedit præmissa, sed altera subiectum supernum attingens, non absolute sed subconditionatè, si detur, quæ conditio virtualiter saltem imbibita est in præmissa naturali. Vel si non ista intercedit, altera quæ ad sola subiecta naturalia se extendat.

Obiectio
sumpta ab
actu ratione
communem
attingente.

60. Objicies secundo, non implicata actu naturali certo attingi rationem communem enti naturali, & superno, non distinguendo, & discernendo inter vnum, & aliud: ergo actu naturali certo attingi potest ratio non implicantiæ communis visioni supernæ, & aliis entibus naturalibus. Talis autem actus sufficienter proponit obiectum conclusionis simul cum minori superna: ergo ex actu naturali certo, & ex præmissa superna deduci poterit conclusio de obiecto superno. Maior probatur, tum quia ex hoc principio lumine naturæ noto, tria, & quatuor sunt septem, deduci potest, sacramenta nouæ legis esse septem, quia Deus dicit, esse tria, & quatuor, & lumine naturæ notum est, tria & quatuor septem esse. Tum etiam quia definitione mentali, quæ est actus certus, definimus rationes communes enti superno, & naturali: videlicet rationem qualitatis, cognitionis, &c. ita ut mala esset definitio, si alicui ex illis non conueniret. Tum denique quia, à cognitione naturali, & superna præscindi potest ratio cognitionis, illa autem præmissa non superaret attingentiam naturalem certam: ergo. Maior probatur, quia sola obesse poterat supernaturalitas: ab hac autem præscinderet ratio illa cognitionis: ergo.

61. Respondeo distinguens antecedens, non implicat certo attingi rationem communem enti naturali, & superno, per actum attingentem subiectum modo conditionato, si detur, concedo: modo absoluto, & firmiter adhærenti possibilitati, vel existentia subiecti, nego. Vnde patet ad omnes instantias. Nam propositio illa naturalis euidens, tres & quatuor sunt septem; complecti potest sacramenta nouæ legis sub conditione, si dentur; non
verò

verò absolutè adhærèdo, quod dentur. Idemq; est de præcisione cognitionis à naturali, & superna. Adde argumentum istud ad rem non esse, à nobis enim non probatur supernaturalitas præmissæ vniuersalis ex connexionè illius cum ratione communi enti naturali, & superno, sed ex connexionè illius cum differentia supernaturali; nam veritas huius propositionis: *Omnis homo est risibilis*, pendet essentialiter ab hac singulari, *Christus est risibilis*, si enim Christus risibilis non esset, hoc ipso propositio illa falsa foret. Idemque est de aliis complectentibus aliquod singulare supernum, & absolutè subiectum adæquatum attingentibus.

62. Sed instare potes, nam veritas illius propositionis, *omnis homo est risibilis*, quocunque modo attingat subiectum, siue absolutè, siue conditionatè, vel ex suppositione, pendet essentialiter ab eo quod Christus risibilis sit, si enim Christus risibilis non esset, hoc ipso propositio illa vniuersalis falsa foret: ergo quocunque modo illa præmissa superna erit. *Respondeo*, distinguendo antecedens, pendet ab eo quod Christus, supposito quod detur, sit risibilis, concedo; pendet ab eo quod detur reipsa Christus & risibilis sit, nego. Et nego consequentiam, nam propositio vniuersalis absolutè attingens, & adherens existentia subiecti, est absoluta connexio cum illa, absoluta autem connexio cum superna, superna est; propositio verò conditionatè tantum attingens subiectum, si detur, & asserens de illo ex suppositione quod detur, aliquod prædicatum euidenter illi, ex tali suppositione conueniens, non connectitur cum existentia subiecti, sed cum prædicato asserto, supposito quod subiectum sit, quæ connexio absoluta non est sed tantum conditionata, & ex suppositione, quæ non superat ens naturale, vt dicitur tract. 2. disp. 13. sect. 2.

S E C T I O I V.

*An conclusio Theologica sit metaphysicè certa,
evidens, supernaturalis, practica,
& speculativa.*

Ad certitudinem metaphysicam veritas actus necessario requisita.

63. **C**ertum est omnibus primò, ad metaphysicam certitudinem alicuius actus requisitam esse veritatem illius. Ratio est, quia contingentia falsitatis reddit actum incertum, illumque extrahit à linea certitudinis, ut mox constabit: ergo potiori iure actualis falsitas extrahet actum à linea certitudinis; atque adeò, ut actus sit metaphysicè certus, verus esse debet. Tum etiam, nam qui se aliquid certissime scire gloriantur, & postea convincuntur, decepti erubescunt, & alij iactantiam certitudinis irrident, utrisque consentientibus, certitudinem actui falso impingere rubore, & risu dignum esse.

Requisita etiam repugnantia actus cum falsitate.

64. Certum etiam est omnibus secundò, ad metaphysicam actus certitudinem sufficientem non esse præcisam illius veritatem, sed ulterius repugnantiam illius cum falsitate requisitam esse. Ratio est quia actus de se indifferens falsitati, & veritati, hoc ipso incertus est, etiam si re ipsa verus sit, ut patet in opinionibus contradictoriis utrinque probabilibus, quarum neutra certa est (etiam si una earum re ipsa vera sit) eo quod quælibet ex modo tendendi actus, possit esse falsa. Dixi ex modo tendendi actus, quia ad metaphysicam certitudinem sufficiens non est repugnantia cum falsitate ex immobilitate obiecti, qualem habet actus probabiliter tantum asserens dari Trinitatem; repugnantia enim cum falsitate certitudinis sufficiens oriri debet ex intrinseca natura, & modo tendendi actus in obiectum; taliter postulante ex intrinseca natura & modo tendendi actus in obiectum, taliter postulante ex intrinseca sua differentia, obiectum ita re ipsa

ipsa esse, ac asseritur ab ipso, ut si per impossibile aliter se haberet, actus existere non posset. Quæ repugnantia cum falsitate est intrinseca, & infallibilis firmitas, & connexio actus cum obiecto, ita se habente; ac asseritur ab ipso, nec aliter existere valentis ex intrinseca natura actus & propria ipsius differentia.

65. An autem ad certitudinem metaphysicam aliquid amplius desideretur, ultra infallibilem illam connexionem actus cum obiecto; negant. P. Ripalda disp. 11. de fide, & P. Arriaga disp. 3. num. 77. Affirmant. P. Coninch disp. 14. dub. 4. num. 44. Et Cardinalis de Lugo disp. 6. etiam de fide sect. 1. longè tamen de similibus fundamentis. Nam P. Coninch exigit ultra infallibilem connexionem actus cum obiecto, actum reflexum de tali connexionem certificantem, & securum reddentem intellectum. Quod displicet communiter & merito. Tum quia absque eo actu reflexo visio beata, & assensus fidei certissimi sunt. Tum etiam quia vel actus reflexus per se ipsum reddit securum intellectum citra connexionem actus directi ab ipso assertam, vel non? si secundum nulla erit certitudo ex actu reflexo, sed alter reflexus sine termino necessarius esset. Si primum: ergo, sicut actus reflexus per se ipsum certificat intellectum de suo obiecto, cur non idem præstare poterit directus de suo obiecto. Tum prætereà quia actus reflexus iudicat directum de suo esse infallibilem, & falsitati repugnantem, quod aliud non est, quam esse certum: ergo sicut non dat illi infallibilitatem, sed supponit, neque certitudinem dare poterit, sed supponet illam in actu directo.

66. Cardinalis verò de Lugo, num. 14. docet ultra connexionem illam actus cum obiecto, necessariam esse firmam adhesionem intellectus ad obiectum excludentem omnem formidinem actualem. Nam qualibet ex his duabus conditionibus deficiente, non stat cognitio certa, etenim licet assensus probabilis de rationalitate hominis non possit esse falsus, non est certus, quia non adhæret firmiter obiecto, sed cum formidine; è contra assensus

P. Ripalda.
P. Arriaga.
P. Coninch.
C. de Lugo.

Actus reflexus de connexionem certitudini minime requisitus.

Sententia C. de Lugo circa certitudinem actus.

fus erroneus, quo sine formidine adhæret firmiter aliquis suo errori, non est certus, quia non habet necessariam connexionem cum veritate. Idem Cardinalis tertiam his conditionibus superaddit num. 18. videlicet, quod taliter actui proponatur obiectum, ut cognosci, & iudicari evidenter possit repugnantia cum prudenti dubitatione. Quibus omnibus actum simpliciter certum constituit. Nam si quis ex præmissis veris in materia necessaria, sed quæ non clarè penetrantur, inferat conclusionem etiam veram, poterit voluntate sibi imperare saltem imprudentem assensum firmum, & omnem formidinem excludentem, tam circa præmissas, quam circa conclusionem: quæ tunc haberet connexionem cum veritate, ratione materiæ necessariæ, & firmam adhæSIONem ex imperio voluntatis, non tamen esset simpliciter certa, eo quod obiectum non ponatur taliter, ut iudicari possit evidenter repugnantia omnimoda assensus cum prudenti dubitatione.

Actus probabilis etiã de obiecto necessario non est intrinsecè cum veritate connexus.

67. Hoc tamen fundamentum firmum non est, solum enim probat repugnantiam cum falsitate ortam ex immobilitate obiecti necessarij, sufficientem non esse actui certo, non verò euincit, repugnantiam cum falsitate, ortam ex intrinseca natura, & propria differentia actus, quam nullus actus probabilis etiã de obiecto necessario habet, nec habere potest sufficientem non esse. Vnde progressio ad novas condiciones certitudinis, ex falsa suppositione, quod connexio cum veritate actui certo à Doctoribus citatis destinata, reperiri possit in actu probabili de obiecto necessario, nulla est.

Discrimen inter evidentiam & certitudinẽ.

68. Nec conditio illa adhæSIONis expellentis formidinem actualem distinctam, necessaria est actui certo. Hoc enim differunt inter se certitudo obscuritatis, & evidentia; quod certitudo evidentia metaphysicæ importat repugnantiam intrinsecam, & inconiungibilitatem physicam cum actuali formidine de veritate obiecti, eo quod evidentia veritatis, ita firmat, & affigit intellectum obiecto, ut se ipsa formaliter resistat, quibuscunque rationibus

bus,
nec
form
dic
iung
fim
nos
imp
gibi
delib
mid
oppo
habe
ne p
scuri
form
suo c
retur

6
fum
Nan
disti
ta in
obie
effe
tiam
nec
conn

7
tis m
fam
intri
ab il
sua,
pote
fica
certu

bus, suadentibus oppositum, quin patiatur intellectum nec physicè ex se, nec moraliter ex imperio voluntatis formidare, aut dubitare. Certitudo verò obscuritatis non dicit intrinsecam, & physicam repugnantiam, & inconiungibilitatem, cum actuali formidine indeliberata, passim enim dum credimus aliquod mysterium inuadunt nos dubia, & formidines de certudine illius, quibus per imperium voluntatis resistimus, nec similem inconiungibilem habet, scilicet physicam, cum actuali formidine deliberata, nam deliberatio, & consensus voluntatis formidandi, & dubitandi inducere non potest physicam oppositionem inter actus intellectus, illam alioqui non habentes, sed moralem tantum, remouendo fidem ratione peccati contra illam formidantis. Certitudo ergo obscuritatis tantum dicit repugnantiam moralem cum formidine actuali deliberata, quia nisi voluntas imperio suo quasumque rationes in contrarium, tanquam falsas retundat, & excutiat, remouenda erit fides.

69. Nec inde fit, vt contendit Card. de Lugo assensum fidei fore iatrinsecè, & naturâ sua formidolosum. Nam ad id satis non est, posse physicè cum formidine distincta coniungi, sed vltius opus esset, quod prædicata intrinseca actus fidei intra se ipsa ex modo tendendi in obiectum dubia fluctuarent, quo dubio fluctuanti nulla esset intrinseca certitudo actus; atque adeò repugnantiam & inconiungibilitatem cum tali dubio indistincto necessariam ad certitudinem supponunt omnes, quia connexioni actus cum veritate necessaria omnino est.

70. Affero ergo primò cum Ripalda, & Arriaga citatis metaphysicam certitudinem actus intellectus, præscisam ab euidencia consistere in connexionione infallibili, & intrinseca actus cum obiecto, ita se habente, ac asseritur ab illo, nec aliter existere valentis ex intrinseca natura sua, & differentia propria, etiam spectata absoluta Dei potentia, quo distinguitur certitudo metaphysica à physica, & morali, nam actus physicè tantum, aut moraliter certus, potest, attenda absoluta Dei potentia, falsitatem

Cur assensus fidei non sit intrinsecè formidolosus.

Metaphysica certitudo intrinseca & infallibilis est connexio actus cum obiecto.

incurrere, & permanere non stante obiecto. Hæc conclusio constat ex dictis; nam ad metaphysicam certitudinem aliquid amplius, ultra eam connexionem desiderari, probatum hætenus non est, sicut nec eam connexionem extra actum certum reperiri: ergo.

Quid sit intellectualis formido, eiusque obiectum.

71. Sed ad clariorem præcedentium notitiam inquireret aliquis, in quo consistat intellectualis formido toties repetita? Respondeo consistere in actu Iudicij his verbis respondente. *Fortè non ita res est ut ego iudico*. De cuius obiecto varij sunt Doctores. Aliqui cum Cardinali de Lugo docent, negari ab illo actu firmitatem motiui iudicando illud esse infirmum: Alij quibus id non placet, tenent formidinem nec iudicare de motiui directè, nec de re iudicata, sed de ipso iudicio, asserèdo, posse illud esse falsum. Id mihi displicet, nã intellectus formidare potest directè, non solù de veritate iudicij dicens, *Fortè iudicium hoc verum non est*; sed etiam de existentia obiecti, & motiui, dicens. *Fortè obiectum non ita est, aut motiui non ita firmum*; imò particule illæ, *fortè non ita res est*, expressius, & directius explicant obiectum. Nec video quid implicare possit formido immediata de existentia alicuius obiecti aut motiui.

Modus tendendi actus formidinis in obiectum.

72. Assero ergo secundò, posse ea omnia immediatè iudicium formidolosum terminare. Hic tamen aduertendum est, formidinem negare quidem, aut affirmare prædicatù de subiecto, vnde verus, vel falsus euadit; negare inquam, non omnimoda adhæsione, vt hic actus, *non ita res est*: sed cum aliqua fluctuatione, quam denotat particula *fortè*, ratione cuius intellectus non omnimodè adhæret contra iudicium certum; id enim esse duo sibi contradictoria suadere, sed ex modo tendendi formidinis in obiectum suspensus aliquo modo manet intellectus circa illud, eo quod sit iudicium cum fluctuatione, quia non dicit absolutè, rem non esse, sed fortè non esse, quod est limitatio inter vtrumque iudicium absolutum affirmans, & negans cum adhæsione, & modus tendendi in obiectum specialis. Nam particula *fortè* in actu formidinis

nis

nis non se tenet ex parte obiecti, sed est modus tendendi actus; sicut particula *vel* in actu disiunctiuo non est aliquid se tenens ex parte obiecti, sed ipsemet modus tendendi actus. Quare sicut actus disiunctiuus, & determinatus non differunt ex parte obiecti, sed ex modo tendendi in illud; idem dicimus de iudicio omnino absoluto, seu adhæsiuo, & formidoloso.

73. His præparatis contra nostram de certitudine sententiam, tract. de fide recenter excessu disp. 7. sect. 1. obijcit nobis P. Oxea. Ad certitudinem necessaria est intrinseca firmitas actus, id est, actus qui ex modo tendendi non fluctuet: dari autem potest actus intrinsecè connexus cum veritate, qui non sit intrinsecè firmus: ergo ultra connexionem intrinsecam actus cum obiecto, nouum quid ab ea connexionem distinctum desideratur. Minor ostenditur, quia fieri potest: vt quis assensum præstet in aliquod obiectum verè existens, & propter motiuum ex se infallibile, cui intrinsecè repugnet ducere nisi in verum & tamen non cognoscatur vt tale, sed vt indifferens ad hoc, vt ducat in verum vel falsum, & vt voluntas imperet intellectui, ne assentiatur propter illud motiuum, nisi iuxta meritum, & exigentiam illius, secundum quod est in apprehensione, scilicet, vt potentis ducere in falsum: tunc autem intellectus non assentiet per assensum intrinsecè firmum, sed potius per infirmum hoc est formidolosum, ac dubium: ergo.

Regens de
certitudine
iudicium
P. Oxea.

74. Assumptum explicat, & efficaciter confirmat. Demus aliquem Prophetam, cui Deus immediatè loquatur, ipso Propheta euidencia metaphysica cognoscente illas locutiones esse Dei. Demus insuper hunc Prophetam habere errorem inuincibilem, quæ existimet posse Deum mentiri. Tunc posset credere propheta propter testimonium Dei, quod euidenter cognoscit esse Dei: assensus autem ille haberet motiuum intrinsecè, & essentialiter infallibile, ac proinde esset intrinsecè connexus cum veritate; & tamen esset intrinsecè infirmus, & formidolosus: ergo ad certitudinem assensus non sufficit esse in-

Vberior ex-
plicatio &
confirmatio.

trinfecè connexum cum veritate, sed ulterius requiritur intrinfeca firmitudo. Et ratio est, quia firmitas, & infirmitas assensus stat in modo tendendi ipsi assensui intrinfeco, & essentiali. Vnde sicut assensus falsi possunt habere modum tendendi firmum, vt patet in hæreticis firmissimè suos errores tenentibus: sic etiam assensus veri, & essentialiter cum veritate connexi possunt habere modum tendendi formidolosum & infirmum.

Iudicium de
præunte
sententia, &
fundamenti
solutio.

75. In his tamen nihil reperio, quo à proposito sententiæ nostræ recedere conamur. Quare Respondeo motiuum infallibile, nisi modo infallibili attingatur ab actu, non reddere actum intrinfecè cum veritate connexum, sed extrinfecè tantum, vt patet in actu probabiliter tantum attingente motiuum de se infallibile. Vnde negamus tam in casu argumenti, quam in casu confirmationis sequi assensum intrinfecè cum veritate connexum. Quod verò additur, actum scilicet falsum posse habere modum tendendi firmum. Dicimus actum falsum posse quidem habere modum tendendi negatiue firmum, id est, intrinfecè non fluctuantem, eo quod obiectū apprehendendi possit ita esse verum, vt nulla occurrat ratio dubitandi; vel si occurrat expellatur per voluntatis imperium; non tamen habere præst modum tendendi intrinfecè, & positiuè firmum; nam ad id ultra modum tendendi intrinfecè non fluctuantem; opus est intrinfeca cum veritate connexio, quam actus falsus habere non potest. Quamuis autem assensus falsus habere possit modum tendendi intrinfecè non fluctuantem, non inde actus cum veritate connexus habere potest modum tendendi intrinfecè fluctuantem; nam iste expositus est falsitati, vt patet in omni actu opinatiuo, cum falsitas repugnet actui intrinfecè cum veritate connexio, inde etiam repugnat illi modus tendendi formidolosus.

Omnis con-
clusio Theo-
logica est
metaphysicè
certa.

76. Affero tertio, omnem conclusionem Theologicam esse metaphysicè certam. Ratio est, quia omnis conclusio, Theologica est intrinfecè, & quoad substantiam supernaturalis, vt infra constabit: omnis autem actus in sub-
stantia

stantia supernus, est metaphysicè certus, & intrinsecè cum veritate connexus: ergo & omnis conclusio Theologica talis erit. Maior constabit ex dicendis. Minor autem communis est inter Theologos, docentes, quamcumque cognitionem supernam ex modo tendendi in obiectum esse omnino infallibilem, & falsitati penitus repugnantem, etiam spectata absoluta Dei potentia; eo quod ordo supernus excellentiâ sua superet naturalem, & naturam de se fallibilem, euehat ad altiorem modum operandi, & muniat ad veritates infallibiliter cognoscendas; ad cognitiones enim fallibiles, quid opus esset superni eleuatio principij. Tum etiam, quia si semel actus supernus fallibilitati coniungi posset, firmitas fidei diuinæ, vel inconcussa non maneret, vel difficile saltem probaretur. Alia nunc mitto fundamenta, quia præsentis instituti non sunt.

77. Affero quartò cum communi sententia, nullam conclusionem nostræ Theologiæ euidens esse, atque adeò nec scientiam. Dixi *nostra*, quia Theologiam beatorum scientificam & euidens esse suppono cum communi sententia, eo quod beatis euidenter constet diuina reuelatio, idemque dicendum est de Theologia extraordinaria eorum viatorum, quibus euidenter constaret diuinum testimonium, quam P. Ribas disp. 4. num. 7. cap. 1. cum nostris Coninch & Arrubale apud ipsum, concedit Angelis, B. vjrgini, Adamo, Prophetis, & Apostolis. Suadetur assertio, quia omnis conclusio nostræ Theologiæ, scilicet ordinariæ viatorum, pendet ab vna præmissa obscura, videlicet fidei, vel à fide deriuata: ergo nulla potest esse euidens. Probatur consequentia, quia conclusio quo ad certitudinem, & euidens pendet ab euidens, & certitudine vtriusque præmissæ: ergo sicut vna stante præmissa incerta, conclusio certa esse non potest, ita stante vna præmissa obscura, euidens esse non poterit.

78. Dices, id verum esse quando obiectum reuelatum non constat nobis euidenter seorsim à reuelatione ex altero

Nulla conclusio nostræ Theologiæ euidens est, & quid de Theologia extraordinaria & beatorum.

altero motiuo, quando verò constat, vt in hoc syllogismo, *omne quod existit possibile est: sed Deus existit, quia ipse dicit: ergo possibile est*, cur non poterit conclusio esse euidens cum ipsius motiuum non sit reuelatio, sed vel sola intrinseca veritas extremorum, vel identitas eorum cum medio, quæ omnia seorsim à reuelatione euidenter nobis constant, ex alio motiuo; nam omne existens esse possibile ex terminis euidenter patet, Deum insuper existere, euidenter à posteriori, ex creaturis demonstratur.

Idem actus
ex vno mo-
tiuio euides,
& ex alio
confusus
nihil impli-
cat.

79. Contra, quia licet reuelatio diuina non sit motiuum conclusionis Theologicæ; tamen motiuum est vnius præmissarum confuse cognitum, & id sufficit, vt præmissa non sit euidens, etiam respectu obiecti materialis, quamvis istud ex alio motiuo euidenter innotescat; nulla enim est oppositio, quod idem obiectum ex diuersis motiuis, vno actu clarè, & altero confuse cognoscatur; sicut nulla est oppositio, idem obiectum vno actu cognosci, & altero non cognosci: ergo etiam si idem obiectum, videlicet existentia Dei, sit vno actu, & motiuo euidenter cognitum, poterit alio actu, & motiuo confuse tantum cognosci. Quod verum existimo, non solum de actu fidei asserente Deum existere, quia ipse dicit, sed etiam de actu asserente Dei existentiam propter intrinsecam veritatem, originem trahente à primo assensu fidei, eo quod ab specie ab illo relicta genitus sit, nam talis species notitiam tantum confusam parere potest. Sicut actus descendens à cognitione Dei ex creaturis abstractius semper est, etiam si Deum propter intrinsecam veritatem cognoscat.

Omnis con-
clusio Theo-
logica est,
quoad sub-
stantiam
superna.
P. Molina.
P. Fonseca.
P. Gillius.
P. Torres.
P. Fasolus.

80. Affero quintò, omnem conclusionem Theologicam esse quoad substantiam supernaturalem. Est contra P. Ribas, & plures apud ipsum disp. 7. cap. 1. asserentes esse quoad substantiam naturalem; nostrum tamen assertum tenent. P. Molina 1. part. quæst. 1. art. 2. disp. 1. §. *diximus* & disp. 2. ad 4. P. Fonseca 6. Meta cap. 1. quæst. 6. sect. 8. P. Gillius lib. 1. tract. 4. cap. 12. P. Torres 2. 2. disp. 46. dub. 10. P. Fasolus 1. part. quæst. 1. art. 2. dub. 13. &

multi

multi Recentiores. Ratio est facilis ex hæcenus dictis, nam quidquid pendet ab aliquo superno re ipsa possibili, vel existente, supernum est: omnis autem conclusio Theologica pendet à reuelatione diuina, quæ superna est, vt suppono ex tractatu de fide: ergo omnis conclusio Theologica superna erit. Maior constabit ex dicendistractatu 2. disp. 13. vbi ostendam ens supernum superare totius naturæ connexionem. Minor verò constat ex dictis præcedentibus sectionibus, vbi ostensa est dependentia Theologiæ à reuelatione diuina, & vna saltem præmissa fidei.

81. Sed quæres, an certitudo conclusionis Theologiæ superet certitudinem cuiusuis assensus naturalis etiam metaphysicè eidentis. Dixi metaphysicè eidentis, quia superare actus naturales physicè tantum eidentes, mihi clarum est, nam quo maior est connexio actus cum obiecto, eo maior est certitudo: actus autem naturalis physicè tantum eidens, non habet metaphysicam connexionem cum obiecto, sed physicam tantum, quæ minor est connexionem metaphysicam, quam habet omnis conclusio Theologica: ergo certitudo istius maior est. *Prior sententia* negat, docens actum fidei supernum non superare certitudine scientiam naturalem, imò ab ipsa superari. Ita Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis part. 10. cap. 1. S. Bonauentura in 3. dist. 23. art. 1. quæst. 4. Alensis 3. part. quæst. 6. 8. art. 1. num. 9. *Posterior* & communis sententia affirmat, asserens, quemcumque assensum supernaturalem certiozem esse qualibet cognitione naturali, non solum physicè, sed etiam metaphysicè eidenti, atque adeò & conclusionem Theologicam, vtpote supernam talè esse. Pro illa citari solent P. Soarius. P. Molina. P. Hurtadus, P. Coninch. Card. de Lugo. P. Ripalda, & plures alij. Cæterum Cardinalis de Lugo, quo ad notitiam metaphysicè eidentem ita claram, vt non sinat intellectum dubitare de veritate obiecti, etiam ex imperio voluntatis, oppositum docet disputatione 6. de fide sect. 3. num. 53. aicens, huiusmodi notitiam certitudine à fide non superari,

Sententia
doctorum
Hugo.
S. Bonauent.
Alensis.
P. Soarius.
P. Molina.
P. Hurtadus.
P. Coninch.
C. de Lugo.
P. Ripalda.

42 Tract. I. De Essentia & Attributis.

& à fortiori idem de Theologia dicere tenetur.

Conclusio
nostræ
Theologiæ
nec superat,
nec æquat
certitudine
scientiam
naturalem.

82. Affero sextò, conclusionem nostræ Theologiæ, nec superare, nec æquare certitudine scientiam naturalem, ita methaphysicè certam, & evidentem, vt omnem formidinem excludat, quam possibilem esse saltem de absoluta potentia, circa obiectum naturale, non ambigo. Probatur conclusio, nam scientia naturalis, ita methaphysicè certa: & euidens, physicè, & formaliter excludit à subiecto omnem formidinem circa veritatem obiecti, ita vt intellectus in sensu composito talis scientiæ non possit de illa formidare, quod non præstat conclusio Theologica: ergo talis scientia reddit subiectum firmiter adhærens veritati obiecti, sicut enim qui sine vlla formidine adhæret obiecto, plus illi adhæret, quam formidans; ita qui cum impotentia formidandi adhæret subiecto, plus adhæret, quam potens formidare. Certitudo autem, ex intrinseca natura sua præstans impotentiam formidandi, maior est, quam id non præstans: ergo & certitudo illius scientiæ maior erit certitudine conclusionis Theologiæ. *Confirmatur*, nam visio beata non ex alio capite certior est conclusione Theologiæ, nisi quia euidencia illius nullum relinquit locum dubitandi, nullamque formidinem permittit circa veritatem obiecti: ergo id maioris certitudinis argumentum est.

83. Dices cum Ripalda, excessum illum scientiæ naturalis, respectu conclusionis Theologiæ, non esse in linea certitudinis consistentis in connexionione actus cum obiecto, quæ connexio, vtpote infallibilis, in vtroque actu æqualis est; excessus ergo euidentiæ in scientia naturali præstat formidinis expulsionem; atque adeò maior adhæsiõ inde petita non est in linea certitudinis, sed euidentiæ. Dux igitur sunt proprietates certitudinis ab euidentiæ præcisæ. Prima est connexio intrinseca, & infallibilis cum obiecto, & in ista æquales sunt scientia naturalis, & conclusio Theologica. Secunda est adhæsiõ extrinseca depellens omnem formidinem orta ex imperio voluntatis, seu dignitas intrinseca, ad talem adhæsiõnem.

&

& hæc maior est in conclusione Theologica superna, quam in scientia naturali euidenti; nam facta potestate, & necessitate eligendi vnam, & alteram relinquendi, præferenda esset conclusio Theologica scientiæ naturali, ratione dignitatis alterius ordinis ad eam adhæSIONEM.

84. Contra, quia licet scientia naturalis certitudine non excedat conclusionem Theologicam ex præcisa connexionione cum obiecto, quatenus distincta ab euidentiâ, excedit tamen ex maiori adhæSIONE intellectus ad obiectum, præstita à conceptu euidentiæ: ergo sicut maior adhæSIO orta ex imperio voluntatis, vel dignitas ad illam auget certitudinem, etiamsi non sit formaliter connexio actus cum obiecto, sed differentia illius, pariter euidentiâ augebit, etiamsi non sit formaliter connexio, sed differentia illius, nec nos intendimus aliud. *Confirmatur*, nam adhæSIO extrinseca ex imperio voluntatis depellente formidinem, extrinseca est conclusioni Theologicæ, & intrinseca, non actui intellectus, sed actui voluntatis: ergo augere non potest certitudinem actus intellectus, vtpote adæquatè sibi intrinsecam, sicut augere non potest connexionem illius cum obiecto.

85. Dices, certitudinem conclusionis Theologicæ non augeri intrinsecè ab imperio voluntatis, vtpote sibi extrinseco, augeri tamen à dignitate ad illam, quia conclusio Theologica digna est tali imperio, & hæc dignitas intrinseca sibi est vtpote consistens in intrinseca entitate actus supernaturalis.

86. Contra, nam licet conclusio Theologica titulo supernaturalis assensus, digna sit, vt quælibet superueniens formido repellatur à voluntate, ea tamen dignitas tanta non est, vt non possit voluntas saltem physicè imperare iudicium formidans de veritate obiecti: dignitas autem scientiæ naturalis metaphysicè certæ, & euidentiæ, tanta est, vt nullo modo compossibilis sit physicè cum iudicio formidante de veritate obiecti: ergo maior erit certitudo istius: Vnde licet ad alios effectus eligibilior sit conclusio superna, eo quod ad affectum aliquem salutarem

conducere possit, in ratione tamen certitudinis, & adhesionis ad obiectum eligibilior erit scientia naturalis, ita euidens, vt in compossibilis sit physicè cum iudicio formidante de veritate obiecti, etiam ex imperio voluntatis, in cuius possibilitate, saltem de absoluta potentia, quænam poterit assignari contradictio.

87. Objicies, quilibet actus supernaturalis excellentior est, & perfectior naturali: ergo & certior. *Respondeo*, concesso antecedenti, negans consequentiam; quia sicut ad maiorem excellentiam, & perfectionem actus superni, comparatione naturalis, necessarius non est excessus euidentiæ, ita neque certitudinis; sed sufficit esse supra totius naturæ connexionem, & conducere ad nobiliorum finem, scilicet, gloriam, ad quem nihil iuuat nec iuuare potest scientia naturalis, saltem per se: vt tract. de necessitate gratiæ fusè dictauimus.

Theologia
practica par-
tim, & par-
tim specu-
latiua.

88. Assero septimò, conclusionem Theologicam, aliam esse practicam, aliam speculatiuam. Probatur quia cognitio practica illa est, quæ dicitur modum operandi; speculatiua verò, quæ sistit in mera obiecti contemplatione; in Theologia autem dantur huiusmodi cognitiones: ergo. Maior ex logica supponenda est. Minor probatur sequentibus syllogismis. *Primus*. Deus in omnibus quæ præcipit obediendus est: præcipit autem accedere ad Eucharistiam in statu gratiæ, quia ipse dicit. I. corinth. II. ergo Eucharistia in statu gratiæ sumenda est. Quæ conclusio Theologica est, dictans modum ad Eucharistiam accedendi, & consequenter practica; *secundus*, omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo est risibilis. Quæ conclusio sistit in cõtemplatione obiecti, atque adeò speculatiua est. An autem idem actus possit esse practicus simul & speculatiuus, quæstio est logica, & quam vnusquisque ex fundamentis ibi jactis decidere poterit.

SECTIO V.

An habitus Theologiae sit in substantia supernaturalis, & infusus, & à cæteris distinctus.

89. **C**irca primum, an sit supernaturalis, & infusus. *Prima sententia* affirmat habitum Theologiae esse in substantia supernaturalem, sed non infusum. Ita P. Molina 1. part. quæst. 1. art. 2. disp. 1. §. *diximus*, & disp. 2. ad 4. P. Fonseca 6. metaphys. cap. 1. quæst. 6. sect. 8. P. Gillius lib. 1. tract. 4. cap. 12. P. Fasolus 1. part. quæst. 1. art. 2. dub. 13. Heruæus quodlibet 5. quæst. 15. & 17. & plures alij. *Secunda sententia* negat habitum Theologiae esse supernaturalem, & infusum, docens esse naturalem & acquisitum. Ita P. Soarius disp. 3. de fide sect. 11. num. 8. & disp. 6. sect. 4. num. 10. P. Vasquez 1. part. disp. 1. num. 9. P. Torres. disp. 44. de fide dubio 2. P. Coninch disp. 4. de actibus supernaturalibus dub. 6. num. 118. P. Arrubal. 1. part. disp. 5. num. 9. P. Granadus de natura Theologiae disp. 5. sect. 4. P. Ribas disp. disputat. 7. cap. 1. Pessantius quæst. 1. art. 7. disp. 2. Lorca 2. 2. sect. 1. disp. 5. num. 9. Frigosus 1. part. quæst. 1. art. 1. dub. 3. probatione 4. *Tertia sententia* docet habitum Theologiae, & infusum esse, & supernaturalem in substantia. Ita Cardinalis de Lugo disp. 1. de fide sect. 13. §. 7. & plures Recentiores.

Sententia
Doctorum
P. Molina.
P. Fonseca.
P. Gillius.
P. Fasolus.
P. Soarius.
P. Vasquez.
P. Torres.
P. Coninch,
P. Arrubal.
P. Granadus.
P. Ribas.
Pessantius.
Lorca.
Frigosus.
C. de Lugo.

90. Affero primò, habitum Theologiae esse in substantia supernum. Probatur, quia conclusio Theologica est supernaturalis quoad substantiam, ut ostensum est sect. præcedenti: ergo & habitus. Probatur consequentia, quia huiusmodi habitus est principium proportionatum, & connaturale suorum actuum in substantia supernorum: principium autem proportionatum, & connaturale actus in substantia superni, supernum etiam est in substantia, ut patet in habitu fidei, spei, &c. ergo & habitus Theologiae supernus erit. Maior ostenditur, tum ex aliis habi-

Habitus
Theologiae
est in sub-
stantia su-
pernum.

tibus fidei, spei, &c. qui sunt principium proportionatum, & connaturale suorum actuum supernorum. Tum etiam quia cum intellectus sit de suo improportionatus ad actus supernaturales producendos, eget comprincipio illum eleuante, siue intrinseco, quod est ipse habitus, siue extrinseco, scilicet omnipotentia, supplente defectum principij intrinseco: ergo habitus Theologicus proportionatus debet esse cum suo actu. Tum denique quia in ea habitus proportionem cum actu, nulla apparet repugnantia, vt ex dicendis constabit: ergo possibilis est: semel autem admissio possibili, non est cur de facto talis non sit.

Acquisitus
non est, sed
infusus.

91. Affero secundò, habitum Theologiæ acquisitum non esse, sed infusum. Probat, tum quia, fortè possibilis non sunt habitus superni acquisiti per actus, vt communior sententia tuetur: ergo habitus Theologicus, cum supernus sit, acquisitus non erit, sed infusus. Tum etiam quia, etiam si possibilis sint habitus acquisiti superni, isti supponunt infusum, à quo actus generaturi habitum acquisitum proportionatè procedant, & modo connaturaliori, vt patet in cæteris aliis virtutibus: ergo etiam si daretur Theologia acquisita, infusa, quam intendimus, neganda non erit.

S. Thomas
obiectus, &
& interpretatio-
nes ali-
quot reie-
ctæ.

92. Objicies primò S. Thomam in prologo sententiarum art. 3. afferentem Theologiam acquiri, non verò fidem. Respondent aliqui primò S. Doctorem ibi non loqui de propria, & stricta Theologia, sed de lata & impropria versante circa conclusiones probabiles inter Theologos controuersas. Sed hæc responsio non subsistit, nam sanctus Thomas appertissimè loquitur de Theologia cui fides principia subministrat. quæ stricta est, & propria. Verba eius sunt. *Non acquiritur habitus fidei, qui est quasi habitus principiorum, sed acquiritur habitus eorum, quæ ex eis deduntur*; scilicet ex principiis fidei. Vnde minus placet secunda aliorum responsio, videlicet S. Thomam locutum de habitu, quem conclusiones Theologiæ generant, qui naturalis est, & concurrat ad alias conclusiones, eleuatus ab infuso, vt dici solet, de aliis actibus supernaturalibus

rali
natu
tus
bus
acqu
fiden
verò
logia
sio a
acqu
com
press

93
stri
sed l
hoc p
non a
habe
quia
logia
quia
ex pr
preta
giam
est, f
clusio
tio e
nomi
nem

94
pern
retur
est: c
& fid
rustic
tiam
si Th

ralibus, scilicet generare habitum, non supernum, sed naturalem. Minus inquam placet, nam huiusmodi habitus acquisiti naturales, etiam generari deberent ab actibus fidei, atque adeò non minus fides, quam Theologia acquisita esset, & infusa: ergo cum S. Doctor, comparans fidem cum Theologia, asserat fidem non acquiri, bene verò Theologiam; signum est, nullam agnovisse Theologiam infusam. Ex eodem capite displicet tertia responsio aiens, locutum S. Thomam de speciebus impressis acquisitis per conclusiones Theologicas. Tum quia id commune etiam est actibus fidei: Tum etiam quia expresse sermo est de habitu fidei, & Theologiæ.

93. Respondeo ergo S. Thomam ibi non usurpasse strictè habitum acquisitum prout contraponitur infuso; sed late, quatenus contraponitur habitui principiorum, & hoc pacto ait acquiri habitum Theologiæ; fidem verò non acquiri. Quod idem est, ac dicere, habitum fidei non haberi dependenter ab alio habitu ministrante principia, quia ipse est habitus principiorum; habitum verò Theologiæ haberi dependenter à fide principia ministrante, quia ipse non est habitus principiorum, sed conclusionum, ex principiis à fide ministratis. Nec miranda est interpretatio nostra, nam ibidem S. Doctor sæpius Theologiam appellat scientiam, & hæc usurpatio stricta non est, sed latissima, cum Theologia non inferat suas conclusiones ex principiis certis, & evidentibus: interpretatio ergo quæ placet objicientibus circa usurpationem nominis *scientia*, non est cur displiceat circa usurpationem verbi *acquirō*.

94. Objicies secundò, si habitus Theologiæ esset supernus, & infusus, simul cum gratia sanctificante, donaretur à Deo sicut donatur alij habitus infusi: id falsum est: ergo. Minor probatur, quia plures gratiam habent & fidem, qui tamen Theologi non sunt, ut videre est in rusticis: ergo Theologia non comitatur fidem, & gratiam, nec cum illis infunditur à Deo. Confirmatur, nam si Theologia comitaretur gratiam aut fidem, & cum illa

Mens S.
Thomæ de-
clarata &
confirmata.

Obiectio
sumpta ex
infusione
habitus
Theologici
vnà cum
gratia.

illa infunderetur à Deo, fieret, ruſticos excellentioris gratiæ, aut fidei, excellentiores eſſe Theologos, cuius opoſitum docet Auguſtinus lib.4. de Trinitate cap.1. dicens: *Hac ſcientia (ſcilicet Theologia,) non polleant fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum.*

95. Reſpondeo, conceſſa maiori, negans minorem; ad cuius probationem diſtinguendum eſt antecedens; Theologi non ſunt Theologia habituali, & quoad entitatem, nego: Theologia quoad denominationem, qua ratione ſoli viri docti appellantur Theologi, concedo. Nam huiusmodi denominatio non ſumitur à præciſo habitu Theologiæ, ſed etiam ab ſpecibus comparatis ad diſpurandum circa obiecta Theologiæ, & plures inferendas concluſiones ex principiis reuelatis; ex quarum defectu multi qui habitum Theologiæ habent Theologi non appellantur. Sicut non appellatur temperans & miſericors, iuxta communem uſurpationem, infans baptizatus, aut etiam adultus, etiamſi vna cum habitu gratiæ habeat etiã habitus infuſos earum virtutum, quarum tamen actus nunquam exercuere, vnde ſolita eſt ſumi denominatio temperantis, & miſericordis. Vnde patet ad confirmationem; nam, etiamſi ruſticus excellentioris gratiæ, excellentiorem habeat Theologiam habitualem, & quoad entitatem, cum illam non habeat quoad denominationem, nec excellentior Theologus communi uſurpatione appellandus eſt.

Obiectio
fidei natu-
ralis poſſibi-
lis.

96. Objicies tertio, poſſibilis eſt reuelatio Dei naturalis circa obiectum, & finem naturalem, conſequenter poſſibilis erit etiam fides naturalis: ergo & Theologia naturalis. *Reſpondeo*, nos non agere de huiusmodi Theologia, ſed de Theologia de factò exiſtente ſubordinata reuelationi ſupernæ; quare licet, illa poſſibilis ſit, quid obſtare poterit ſupernaturalitati noſtræ Theologiæ.

97. Objicies quarto, concluſio Theologica eſt naturalis: ergo & habitus. Antecedens probatur, quia in primis ſi ſermo ſit de concluſione deducta ex vna præmiſſa fidei, & altera naturali euidenti, talis concluſio non po-
teſt

test non esse naturalis, nam conclusio iuxta receptum axioma, sequitur debiliorem partem, in vniuersalitate, & particularitate, in affirmatione, & negatione, in obscuritate, & euidencia, in certitudine, & probabilitate: ergo etiam in naturalitate, & supernaturalitate. Si verò sermo sit de conclusione deducta ex duplici præmissa superna, illa motiuum habet naturale: ergo superna esse non potest. Antecedens probatur, nam motiuum conclusionis est identitas extremorum cum medio, qua suppositâ, vt supponitur à conclusione, naturali lumine cognoscitur euidenter identitas extremorum inter se, propter identitatem cum tertio: ergo signum est, huiusmodi assensum naturalem esse, & non supernum.

98. Respondeo negans antecedens, cuius probationis disparitas exhibita iam est, sect. præcedenti. Quod verò additur de motiuo, non vrget nos, qui ad actum supernum non exigimus motiuum supernum, sed aduersarios, qui conclusionem Theologicam probant euidentem, cum tamen præmissæ saltem vna obscura sit. Quia tamen id contra nos objici potest, dicimus, hanc veritatem in creatis, *supposito, quod duo sint idem cum tertio sunt idem inter se*, quæ quidem in quacumque materia, lumine naturæ euidentissima est respectiuè ad actum facientem eam suppositionem ex parte obiecti, nec illi adharendo, nec dissentiendo, sed præcindendo, an ita re ipsa suppositio sit necne, & dicendo, *supposito quod duo sint idem cum tertio sunt idem inter se*. Sicut hic similis actus in quacumque materia euidens est, *supposito quod res existat possibilis est*. Conclusio autem Theologica non ita se habet, sed adharendo, tanquam motiuo assentiendi, suppositioni identitatis extremorum cum medio, quando propter illam assentitur identitati extremorum inter se, dicens, *extrema sunt idem inter se, quia sunt idem cum medio*. Cum autem in syllogismo Theologico suppositio extremorum identitatis cum medio non constet euidenter, & conclusio adhareat illi, tanquam motiuo assentiendi, inde ista euidens esse non potest. Quando verò conclusio assen-

titur identitati extremorum inter se propter propriam veritatem, cum talis assensus nullam faciat suppositionem ex parte obiecti identitatis extremorum cum medio, quamuis illam supponat ex parte actûs factam à præmissis, euidentis esse non potest, quia suppositio facta à præmissis euidentis non est, cum vna illarum sit fidei. Nec ea conclusio naturalis esse potest propter dependentiam illius à reuelatione diuina, vt dictum est.

Sententia
Do&torum.
Schorus.
Albertus.
Aureolus.
C. de Lugo.
Deça.
Canus.
Durandus.
Argentinas.
Palacios.
P. Gillius.
P. Molina.
P. F. de Lugo.

99. Circa secundum, [An habitus infusus Theologiæ specialis sit, & distinctus ab aliis.] *Prima sententia* docet habitum Theologiæ indistinctum esse ab habitu fidei. Ita Scotus, Albertus, Aureolus, & aliqui Recentiores apud P. Gillium lib. 1. tract. 6. cap. 2. *Secunda sententia* defendit, ad conclusionem deductam ex duplici præmissa reuelata concurrere habitum fidei, quando verò deducitur ex vno principio reuelato, & altero naturali euidenti dari habitum à fide distinctum. Ita P. Hurtadus disp. 10. de fide sect. 2. §. 37. *Tertia sententia* tuetur, solum habitum fidei concurrere ad conclusiones Theologicas pure speculatiuas, & quæ utiles esse non possunt ad affectum voluntatis honestum, & meritorium excitandum, vt in hoc syllogismo. *Omnis equus est hinnibilis: Salomô habuit multos equos, quia Deus dicit: ergo hinnibiles.* Ad alias verò conclusiones practicas, & quæ affectum voluntatis honestum, & meritorium proximè excitare valent, vt in hoc syllogismo. *Bonum est indigenti subuenire, quia Deus dicit: hic homo, hic & nunc est indigens: ergo bonum est illi subuenire.* Ad huiusmodi conclusiones ait concurrere vnà cum habitu fidei habitum prudentiæ infusæ, atque adeò vtroque illo habitu Theologiæ componi. Ita Cardinalis de Lugo disp. 1. de fide sect. 13. §. 7. *Quarta sententia* tenet habitum infusum Theologiæ specialem esse, & à cæteris aliis virtutibus distinctum. Ita Deça, Canus, Durandus, Argentinas, Palacios, Gillius, & Molina, quos refert, & sequitur P. Franciscus de Lugo disp. 6. de procemialibus Theologiæ cap. 1. n. 4.

Habitus infusus Theologiæ spe-

100. Affero tertio, habitum infusum Theologiæ specialem esse, & à cæteris distinctum; siue conclusiones ex duplici

dupl
ro na
& T
Nan
les a
que
logia
cum
non
bent
tur i
bus n
sting
10
logia
prud
rare
ranti
tiam
re op
tem
titatè
logia
tione
conc
scura
infus
prud
goru
tia in
ex qu
Prud
tur e
logia
que
le, &
dent

duplici principio reuelato, siue ex vno reuelato, & altero naturali euidenti deducantur. Et primò, habitus fidei & Theologiæ adæquate inter se distinctos esse. Probatur, Nam habitus fidei, & Theologiæ habent rationes formales adæquatè distinctas, cum veracitas, & reuelatio diuina quæ sunt obiectum formale fidei, non sint motiuum Theologiæ, vt ostendimus sect. 2. & identitas extremorum cum medio, vel inter se, quæ est motiuum Theologiæ, non sit obiectum formale fidei: habitus autem infusi habentes rationes formales adæquatas adæquatè distinguuntur inter se, vt patet in fide, spe, charitate, & in virtutibus moralibus: ergo fides, & Theologia adæquatè distinguuntur inter se.

cialis est distinctus à fide.

101. Secundò, habitus prudentiæ infusæ & Theologiæ adæquatè inter se distinctos esse ostenditur. Nam prudentiæ infusæ est, suppositis circumstantiis considerare opera virtutum in se ipsis quatenus hic & nunc operanti honesta, & decora sunt, vnde docent aliqui, prudentiam cardinalem posse sub eo motiuo regulare & dictare opera omnium virtutum etiam fidei: Theologiæ autem est considerare identitatem extremorū, propter identitatem cum tertio, quæ motiua diuersa sunt: Insuper Theologiæ nostræ est pendere in suis actibus à fide, & reuelatione diuina, non verò prudentiæ; aliter sicut omnes conclusiones Theologiæ nostræ ex ea dependentia obscuræ sunt, pariter etiam omnes cognitiones prudentiæ infusæ obscuræ essent, quod falsum est, cum præcipua prudentiæ iudicia omnium Phylosophorum & Theologorum concensu asserantur euidentia. Præterea prudentia infusa fidelium mouetur ex eodem obiecto formali, ex quo mouetur prudentia infusa Christi; & beatorum: Prudentia autem infusa Christi & beatorum, non mouetur ex principio reuelato fide credito, bene verò Theologia nostra infusa: ergo distincti erunt habitus. Denique prudentiæ infusæ assignandum est obiectum formale, & munus, simile obiecto formali, & muneri, prudentiæ acquisitæ, vt in aliis virtutibus moralibus infusis,

Distinctus etiam à prudentia infusa, & quomodo.

& acquisitis simile munus, & obiectum formale præscribitur à Cardinali de Lugo, prudentia autem acquisita non nittitur necessariò fide, & reuelatione diuina, nec humana, sed principiis immediatè euentibus, aut probabilibus: ergo Theologia nostra infusa, utpote necessariò pendens à fide, & reuelatione diuina, diuersa erit à prudentia infusa.

Occurritur
fundamen-
tum Cardi-
nalis de
Lugo.

102. Hinc patet ad fundamentum Cardinalis de Lugo. Quamuis enim Theologia per suas conclusiones practicas dictare possit actus virtutum moralium excernendos, & id idem prudentia præstet, modo tamen, & motiuo longè diuerso. Nam prudentia libratis circumstantiis, & qualitate actus, immediatè iudicat, expedire actum cum illis circumstantiis, quia operanti decorus, & honestus est, nulla requisita dependentia à forma syllogistica, seu à reuelatione diuina credita per antecedentes premissas. Conclusio verò Theologica dictare quidem potest expedire actum, videlicet subueniendi misero, non tamen ex motiuo honestatis, & decoris operantis, nec sine requisita dependentia à forma syllogistica, & reuelatione diuina credita per antecedentes præmissas, sed dependenter ab illis, modo iam à nobis exposito sect. 2. vnde distantia inter vtramque virtutem sufficienter apparet.

103. Objicies primò, ille actus est fidei, cuius oppositus est hæresis: sed actus oppositus conclusioni Theologiæ de obiecto reuelato est hæresis: ergo conclusio Theologica erit actus fidei; & consequenter elicitæ ab habitu fidei. Minor patet in hoc syllogismo. *Omnes Apostoli vocati sunt à Christo: Petrus & Andreas sunt Apostoli: ergo vocati à Christo*, in quo actus oppositus conclusioni, videlicet, Petrum & Andræam non esse à Christo vocatos, est hæresis. *Respondeo* negans maiorè; vt enim actus sit hæresis satis est quod sit contra obiectum à Deo reuelatum, vt verò sit fidei, non satis est, obiectum esse reuelatum, sed ultra opusest, quod propter reuelationem tanquam motiuum præbeantur assensus, quod non præstat conclusio illa, cuius

cuius motiuum solæ sunt præmissæ obiectiuæ, quoad obiectum materiale, vel intrinseca veritas extremorum.

104. Sed instabis, datur conclusio deducta ex duplici præmissa fidei, quæ nittitur motiuo fidei: ergo hæc erit actus fidei: ergo habitus fidei, & Theologiæ distincti non erunt. Antecedens probatur in hoc syllogismo; *quidquid Deus dicit verum est, quia ipse dicit: sed Deus dicit Antichristum futurum: ergo verum est, Antichristum futurum; quia quidquid Deus dicit verum est, & Deus dicit, Antichristum futurum* Respondeo eam conclusionem esse fidei simul, & Theologiæ, quia vtriusque obiectum formale in ea reperitur, scilicet, & identitas extremorum cum medio, & reuelatio diuina; atque adeò ea conclusio elicita est ab vtroque habitu, scilicet fidei, & Theologiæ; inde tamen non sequitur eos habitus indistinctos esse, nam habitus distincti in vnum actum confluere possunt, si ex vtriusque motiuo moueatur assensus, sicut actus qui simul ex motiuo charitatis, & misericordiam moueretur, elicitus esset ab vtroque habitu charitatis & misericordiam, cum tamen isti distincti sint.

Quid de
conclusionem
Theologica
innixa mo-
tiuua fidei.

SECTIO VI.

De subiecto habitus Theologiæ.

105. **C**ertum est primò, habitum Theologiæ in sola substantia rationali mediata, aut immediata re-ferre; quia sola illa capax est discurrendi, & conclusiones Theologicas eliciendi. Certum est secundò, immediata in sola substantia rationali subiectari Theologiam, si nullæ sint potentiam realiter ab illa distincta, quia præter substantiam rationalem, aliud non est subiectum immediatum, quam potentia ab ea realiter distincta: ergo si hæc nulla est, Theologia substantiam rationali inhaerebit immediata. Difficultas ergo est prima, supposita distinctione potentiarum, an Theologiæ habitus infusus

immediatè recipiatur in sola substantia rationali, vel in solo intellectu ab ea distincto, vel in utroque. Secunda, in quibus substantiis, aut personis resideat Theologia.

Habitus infusus Theologiae immediatè in sola substantia rationali recipitur.

106. Affero primò, habitum infusum Theologiae immediatè recipi in sola substantia rationali. Id idem sentiunt de habitu fidei P. Arriaga disp. 18. sect. 1. & Cardinalis de Lugo apud ipsum, contra P. Soarium disp. 7. sect. 1. num. 3. P. Coninch disp. 16. dub. 1. P. Granadum tract. 13. disp. 6. num. 1. & P. Morotium disp. 12. 13. & 14. existimantes habitum fidei in solo intellectu immediatè recipi. Probaturs conclusio, quia Theologia est proprietas gratiae sanctificantis, sicut & reliqui habitus infusi: ergo omnes in eodem subiecto cum gratia, quam comitantur, subiectari debent: gratia autem in sola substantia rationali immediatè recipitur: ergo, & Theologia. Confirmatur, nam habitus infusi se habent per modum potentiae in ordine supernaturali: ergo sicut potentiae naturales immediatè in sola substantia recipiuntur, ita & supernae.

107. Objicies, habitus Theologiae residet immediatè in subiecto, quod immediatè agit, & recipit illius actus: intellectus autem immediatè agit, & recipit actus Theologiae: ergo & habitus immediatè residebit in illo. Confirmatur: virtus superna donatur, vt potentiam naturalem, de suo improporionatam, eleuet ad agenda opera superna: ergo recipienda est immediatè in tali potentia. *Respondeo*, supposito quod potentiae immediatè agant, & simul recipiant actus vitales, quod vltimum negat P. Ripalda citatus num. 4. habitum Theologiae recipi immediatè, non in subiecto agente tantum, & sustentante actus, sed simul etiam sustentante potentiam cum qua habitus infusi sint potentiae, inde eos sustentare soli competit substantiae rationali. Confirmatio autè non vrget, nã vt intellectus per virtutem infusam proportionetur, & eleuetur ad agendos, & recipiendos actus, non opus est vt virtus sit intrinseca potentiae; sed sufficit assistens, vt patet in Deo defectum habitus intrinseci extrinsecè supplente.

108. In quibus autem substantiis, aut personis infusus Theologiæ habitus resideat. Affero secundo in Christo Domino non fuisse habitum infusum nostræ Theologiæ, bene verò Theologiæ beatorum. Ratio primi est, quia in Christo non fuit habitus fidei, cui subordinata est Theologia nostra: ergo neque fuit habitus nostræ Theologiæ. Ratio secundi est, quia anima Christi ex principiis reuelatis euidenter vna cum reuelatione cognitis, plures poterat conclusiones Theologicas euidenter inferre, vt patet in disputationibus Domini cum Iudæis.

Quanam
Theologia
fuerit in
Christo.

109. Circa Angelos viatores, an habuerint habitum infusum Theologiæ, dum viatores fuerunt aliqualis emergit difficultas, & pars negans suaderi potest. *Primo*, quia Angeli incapaces sunt discursus: ergo & habitus Theologiæ, qui discursiuus est. *Secundo*, quia Angelorum via breuissima diffinita fuit à Deo, & fortè vnico tantum instanti, aut duplici conclusa, vt plures Theologi tuentur: habitus autem infusus non donatur à Deo cito transiturus sed permansurus, ad actus frequentes; vnde qui admittunt, Diuum Paulum, aut alium iustum, in via eleuatum esse ad visionem Dei intuitiuam, non concedunt infusum ad id fuisse habitum luminis gloriæ, quamuis plusquam duo instàtia durauerit visio. *Tertio*, si quas conclusiones Theologicas elicuerint Angeli prioritate naturæ, aut temporis ante iustificationem, illæ procedere non poterant ab habitu Theologico, nam iste in adultis non infunditur à Deo ante gratiam, sed consequenter ad gratiam tanquam proprietas illius: ergo otiosus esset talis habitus.

110. Affero tamen tertio, Angelos viatores habuisse habitum Theologiæ, non tamen antecedenter ad iustificationem, & infusionem gratiæ, sed consequenter ad illam, posterioritate, non temporis, sed à quo. Ratio est quia actus Theologiæ necessarius non est ad iustificationem, sicut actus fidei: ergo quamuis præcesserit habitus fidei, quod non esse omnino indubitabile, tenet. P. Ripalba disp. 18. de fide sect. 2. non stat fundamentum, vt habitus Theologiæ præcedere dicatur. Cum verò habi-

Angeli viatores habuerunt habitum infusum Theologiæ, & quo pacto.

tus infusus Theologiæ sit proprietas sanctificantis gratiæ, ratione illius concessus fuit Angelis. Nam licet isti incapaces sint discursus circa objecta naturalia, circa superna quæ ipsis naturaliter euidencia esse non possunt, non est cur discursus incapaces asserantur. Quod autem via Angelorum breuissima definita sit à Deo, id per accidens est respectu habitus Theologiæ, sicut per accidens est respectu habitus fidei, nam isti ex natura sua permanere potuissent, longius Deo viam Angelorum protrahente, quod aliter contigit in lumine gloriæ de se exigente statum, non viatoris, sed comprehensoris.

Quid de primis parentibus in statu innocentie.

111. Idem iudico dicendum de primis parentibus in statu innocentie, si eorum dispositio præcesserit infusionem gratiæ. Si verò independenter ab omni eorum dispositione in primo creationis instanti infusa fuerit à Deo gratia, pariter cum ista infusus fuit habitus Theologiæ, sicut & aliarum virtutum. Quia non minus habitus Theologiæ proprietas est gratiæ, eamque comitatur, quam ceteræ virtutes infusæ, & primi parentes capaces illius erant. Idemque de Angelis viatoribus, si pariter independenter ab omni ipsorum dispositione in gratia creati fuerint, dicendum est, ob similem rationem.

Beatorum Theologia non obscura sed euidens.

112. Affero quartò, Beatos omnes siue homines, siue Angelos habere habitum infusum Theologiæ, non nostrum obscurum, & fidei subiectum, sed alterum euidens, & lumini gloriæ subordinatum. Ratio est quia in patria lumen gloriæ succedit lumini fidei, vt beati in patria euidenter cognoscant, quæ confusè in hac vita crediderunt: ergo etiam vt euidenter inferant conclusiones Theologicas, quas in hac vita ex fidei principiis elicerunt, concedendus illis erit habitus Theologicus lumini gloriæ subordinatus, veritas enim, quæ ex principiis reuelatis confusè cognitis inferri potest confusè, ex eisdem euidenter cognitis deduci potest euidenter, nec id ab statu beatifico alienum est, aut illi repugnans, cum sit specialis modus cognoscendi clarissimus.

113. Affero

113. Affero quintò, habitum supernaturalem, & infusum Theologiæ non manere in peccatore hæretico. Ratio est, quia habitus Theologiæ subordinatus est fidei sibi præmissas ministranti: ergo cum in peccatore hæretico non maneat fides, neque Theologia manebit. Et quamuis maneant conclusiones aliquæ similes Theologicis, non tamen sunt propriæ Theologiæ, nec ab habitu infuso procedunt, sed ab acquisito, quia non procedunt ex præmissis reuelatis per veram fidem infusam creditis, sed creditis per fidem imperfectam, naturalem, & acquisitam. Et quamuis negans vnum mysterium, aut fidei articulum credere posset alia actu fidei supernaturali, & conclusio ex illis deducta supernaturalis esset, adhuc non maneret habitus Theologicus sicut nec maneret habitus fidei, etiamsi haberi possent illi actus fidei circa alios articulos.

Habitus infusus Theologiæ non manet in hæretico.

114. An verò habitus infusus Theologiæ maneat in peccatore fideli. Affirmant aliqui etiam eorum, qui habitum Theologiæ ab habitu fidei adæquatè distinguunt, quia in peccatore fidei manet fides, cui subordinatur Theologia. Card. verò de Lugo disp. 1. de fide sect. 13. §. 7. num. 364. docet habitum Theologiæ manere in peccatore fideli, seu catholico, qua parte includit habitum fidei, ut opinatur ipse; qua verò parte includit alium habitum ad conclusiones practicas proponentes honestatem particularem aliarum virtutum moralium verius iudicat non manere.

115. Affero sextò, habitum infusum Theologiæ, quem diximus iam adæquatè distinctum à fide, non manere in peccatore fideli, seu catholico. Ratio est quia subordinatio ad fidem sufficiens non est, ut manente fide, maneat etiam cum illa Theologia. Tum quia habitus charitatis subordinatur fidei, nec tamen manet in peccatore, etiamsi non sit forma sanctificans. Tum etiam quia alij actus ad iustificationem disponentes dependent à fide, atque adeò eorum habitus subordinantur fidei, nec tamen in peccatore manent. Tum prætereà quia Theologiam subordinari fidei, præstat, Theologiam pendere à fide, atque adeò existente Theologia existere fidem: ergo fi-

Habitus infusus Theologiæ non manet in peccatore fideli.

dem non subordinari Theologiæ, præstabit fidem non pendere à Theologia, atque adeò non præstabit; existente fide existere Theologiam. Tum denique quia habitus fidei, & spei, ideò manent in peccatore, quia sunt radix, & fundamentum conuersionis ad Deum, quod fundamentum Deus non tollit à peccatore Catholico, vt connaturalius per habitum infusum concepta fide, & spe, iustificationem ordiatur; quod non militat in Theologia: ergo.

In damnatis non est habitus infusus Theologiæ.

116. Affero septimò, in damnatis non esse habitum infusum Theologiæ, bene verò in animabus purgatorij. Ratio est quia in damnatis non stat fides infusa superna, vt contra Durandum, Alensum & Magistrum tenent ceteri Theologi, sed tantum acquisita, & naturalis: ergo neque stabit Theologia infusa, & superna, vtpote fidei subordinata. Et quamuis in damnatis decedentibus cum fide permaneret ista, secus de Theologia sentiendum est, nam hæc deperdita fuit vna cum gratia per finale peccatum: ergo sicut damnatis, qui per peccatum finale infidelitatis fidem vna cum gratia perdiderunt, à nemine conceditur fides infusa; ita neque Theologia concedenda est. Nam qui in via, ante damnationis terminum sua se voluntate habitu infuso spoliauerunt, indigni sunt; quibus Deus de nouo illum infundat in statu desperatæ salutis. Secunda conclusionis pars ostenditur, quia in animabus purgatorij stant fides, & gratia: ergo & Theologia nostra, quæ proprietates est gratiæ durante fide.

117. Dices, in damnatis manet character sacramentalis: ergo & Theologia. *Respondeo*, concessio antecedente, negas consequentiam. Primò quia character sacramentalis signum est indelebile: & quod per nullum expungitur peccatum, quales non sunt habitus infusi, nã fides perditur per infidelitatis peccatum, & Theologia per quodcumque mortale, sicut & virtus moralis infusa. Secundò, quia character non est qualitas actiua, sed signaculum ad distinguendos fideles ab infidelibus, aut varios fidelium ordines inter se, quod in statu damnationis ad confusionem fidelium damnatorum

D
nator
actu
& me

118.

infer
mas
thori
Auth
rum
tem
lican
rum
nem
Vasq
goru
ria.
i. Au
cult
The

I
non
est,
non
con
mer
rum
ficu
erro
120
nim

Disp. I. De Proœmial. Theol. Sect. VII. 59
natorum desertit. Habitus autem infusi sunt operatiui
actuum de se conducere valentium ad impetrationem,
& meritum, quæ in damnatis locum non habent.

SECTIO VII.

De locis Theologicis.

118. **L**ocus Theologicus dicitur ille, qui continet media, seu principia ad conclusiones Theologicas inferendas conducentia. Plura numerari solent. S. Thomas 1. part. quæst. 1. art. 8. numerat quatuor, nempe, Authoritatem diuinæ reuelationis, Rationem naturalem, Authoritatem Philosophorum, & Authoritatem Doctorum Ecclesiæ. P. Valencia quæst. 1. punct. 5. numerat septem, videlicet scripturam sacram, Traditionem Apostolicam, authoritatem Pontificum, Conciliorum, Doctorum Ecclesiæ, concensum communem fidelium, & rationem naturalem euidentem coniunctam veritati fidei. P. Vasquez disp. 12. cap. 1. His addit Authoritatem Theologorum, Scholasticorum, & Authoritatem humanæ historiæ. His omnibus superaddit P. Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 1. Authoritatem Angelicam, & Iurisprudentiam. Difficultas ergo est, an hæc omnia propriè, & strictè sint loca Theologica.

Quid & quoruplex sit locus Theologicus.
S. Thomas.
P. Valencia.
P. Vasquez.
P. Gillius.

119. Affero primò, humanam historiam ratione sui non esse propria, & strictè locum Theologicum. Ratio est, quia authoritas illius non est infallibilis, atque adeò non continet ratione sui præmissam infallibilem, ex qua conclusio Theologica infallibilis erumpere possit. Est tamen valdè utilis ad intelligendas tum sacras litteras earumque allusiones, tum diffinitiones, & dogmata Pontificum, & conciliorum, quæ præcognitis per historiam erroribus contrariis, maiore luce nobis innotescunt.

Humana historia non est propriè locus Theologicus.

120. Affero secundò, authoritatem omnium Patrum vniuersi consensu scripturas interpretantiū non esse simpliciter

Quid de authoritate Patrum,

citer, & strictè locum Theologicum de suo, si verò accedat illis authoritas Ecclesiæ, constabit infra quid dicendum. Ratio est, quia licet ea Patrum, & Theologorum authoritas sit magni ponderis, de suo tamen tanta non est quæ possit infallibiliter, & authoritatiuè, definire, & declarare fidei veritates, id enim solius est Ecclesiæ, & sedis Apostolicæ, & quamvis Tridentium sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum, Clementina vnica de summa Trinitate, & Concilium Lateranense sect. 11. in primo Leonis decreto, districte prohibeant interpretationem scripturæ contra vnanimem Patrum sensum, & intelligentiam propter periculum plusquam moraliter euidentis errandi, non idcirco agnoscunt authoritatem Patrum esse de suo omnimodè infallibilem, sed proximam fidei, cui accedente authoritate Ecclesiæ declarante, illam Patrum intelligentiam veram esse, redditur veritas infallibilis omnimodè non ab authoritate Patrum, sed ab authoritate Ecclesiæ.

Quod idem à fortiori dicendum est de authoritate Patrum asserentium, aliquid esse de fide absque scripturæ testimonio. Quamuis enim ea Patrum authoritas præbere potest argumentum plusquam moraliter certum, & & fidei proximum, tum propter eorum sanctitatem, tum etiam propter antiquam eorum successionem à primordiis nascentis Ecclesiæ deriuatam, tum insuper propter doctrinam ab Apostolis acceptam, & per eos in nos transfusam; præbere tamen non potest argumentum omnimodè infallibile, nam id, vt videbimus, solius est Ecclesiæ discernere & declarare, vnde constat quid dicendum de authoritate scholasticorum, vnanimiter in aliquod asser-tum conspirantium, quia eorum authoritas maior esse non potest vnanimi Patrum authoritate, & concensu.

Authoritas
Pontificis, &
Concilij ge-
neralis stri-
ctè est locus
Theologus.

121. Affero tertio, authoritatem Pontificis, & Concilij generalis ritè, & legitimè coacti obtinere strictam, & propriam rationem loci Theologi. Est contra P. Gradum disp. 3. sect. 5. existimantem, eas authoritates, quantumuis infallibiles, non esse in omni rigore loca

Theo

Theologica, quia Pontificibus, & Conciliis ^{non} reuelantur veritates fidei, sed solum fit illis à Deo potestas definiendi, ac declarandi, & proponendi infallibiles res fidei iam antea reuelatas à Deo; quare solam Scripturam sacram, & traditionem Ecclesiasticam censet esse in toto rigore loca Theologica. Probatur tamen assertum, nam de ratione loci Theologi strictè, & propriè talis, non est, quod ipsi reuelatio facta sit, sed continere medium, seu principium, aut præmissam infallibilem aptam conclusioni Theologiæ: tales sunt omnes veritates à Pontificibus, & Conciliis definitæ, non solum propter diuinam reuelationem, sed etiam propter Pontificum, & Conciliorum auctoritatem ex assistentia Spiritus sancti illis à Deo promissa: ergo.

122. Confirmatur, nam ad conclusionem strictè Theologicam necessarij non sunt assensus præmissarum, qui moueantur formaliter ex reuelatione diuina, sed sufficit assensus propter auctoritatem Ecclesiæ, descendens à promissione, & reuelatione diuina de assistentia Spiritus sancti ad veritates fidei declarandas, vt posuimus in superioribus: ergo aliqua principia, & plura Theologiæ continentur in auctoritate Pontificum, & Conciliorum; atq; adeò de toto rigore inter loca Theologia numeranda sunt. Aliter quæstio alioqui grauissima in solas voces euanesceret.

123. Affero quartò, reuelationem diuinam, scripto, aut verbo factam, obtinere strictam, & rigorosam rationem loci Theologici, idemque de traditione Christi, & Apostolorum dicendum est. In hac conclusione conueniunt omnes, & ratio facilis est ex dictis. Nam ea omnia sunt infallibilis auctoritatis, atque adeò continent principia omnino infallibilia, & aptissima conclusionibus theologicis. Nam imprimis assensus propter reuelationem diuinam verbo, aut scripto traditam, vt pote fidei aptissimus est; assensus verò propter traditionem Christi, & Apostolorum ab Ecclesia perpetuo approbatam, & conseruatam vt talem, infallibilis omnino etiam est, ergo & conclusioni Theologiæ sufficiens.

Reuelatio diuina scripto, aut verbo facta strictè est locus Theologicus.

62 Tract. I. De Essentia & Attributis.

Ratio naturalis strictè etiam locus Theologicus.

124. **A**ltero quintò, rationem naturalem obtinere strictam & propriam rationem loci Theologici. Hæc assertio constat satis ex dictis sect. 3. vbi ostendimus ex vna præmissa naturali euidenti, & altera de fide, sequi posse conclusionem Theologicam: ergo ratio naturalis continens eam præmissam naturalem euidentem, strictè & propriè locus erit Theologicus, cum ad istum aliud non desideretur.

S E C T I O VIII.

De scriptura sacra, & in quo sensu conclusionibus Theologicis inservire possit.

Scriptura sacra, eiusque canonici libri.

125. **S**criptura sacra est reuelatio diuina scripto tradita, de qua Tridentinum sess. 4. decreto de Canonicis scripturis, & traditionibus Ecclesiasticis, vbi sacrorum librorum indicem hunc adscribit. *Sunt verò infra scripti, Testamenti veteris quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Liuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth; quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdra primus, & secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Naû, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachiâs, duo Machabæorum, primus & secundus; Testamenti noui, quatuor Euangelistæ, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem. Actus Apostolorum à Luca Euangelistâ conscripti, quatuordecim Epistola Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephasios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonissenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. His omnibus libris Canonicis constat volumen Scripturæ sacre.*

D
12
tiuis
ritua
prox
pria,
& pro
Chri
intell
Oculi
Sensu
ficatu
fund
chre
biliffi
in hu
quod
Legis
menti
velan
exter
pus, q
bis fo
& sp
12
Alle
gicu
tè sig
clefi
se ex
vene
quar
speç
Tro
quæ
tio,
Que
per p

Disp. I. De Proœmial. Theolog. Sect. VIII. 63

126. Sensus scripturæ duplex communiter ab expositionis assignari solet, vnus literalis, seu historicus, alter spiritualis, seu mysticus. Litteralis est, qui statim apparet, & proximè, & immediatè significatur per verba, siue propria, siue metaphonica, sæpius enim scriptura immediatè, & proximè verbis metaphoricis aliquid significat. Sic Christus significatur his vocibus, Agnus, Leo, Petra; & intellectus Dei significatur nomine oculorum, & aurium. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum Psal. 33.* Sensus spiritualis est, qui remotè tantum per verba significatur, proximè verò per rem verbis significatam, & profundiori indiget consideratione. Vtrumque sensum pulchre ponderat Origenes lib. 10. in Leuit. aiens. *Sicut in nobilissimis diebus Verbum ex Beata Virgine processit carne vestitum in hunc mundum, & aliud erat in eo, quod videbatur, & aliud quod intelligebatur: ita cum Verbum diuinum, per Prophetas, aut Legislatores processit ignominies, non processit sine decentibus indumentis; vt sicut illic diuinitus tegebatur in carne, ita hic spiritus velamine litteræ.* Quibus eleganter comparat Verbum Dei externum cum Verbo increato, vt sicut in hoc fuit corpus, quod videbatur, & diuinitas, quæ latebat; ita in verbis scripturarum esset sensus literalis, qui statim apparet, & spiritualibus, qui altiori indiget consideratione.

Quid sensus
litteralis,
quid mysti-
cus seu spi-
ritualis.

127. Sensus spiritualis, seu mysticus subdiuidi solet in Allegoricum, Anagogicum, & Moralem, seu Tropologicum. Allegoricus est, quando scripturæ verba mediatè significant ea, quæ pertinent ad fidem, & statum Ecclesiæ militantis. Sic in veteri Testamento serpens à Moyse exaltatus significabat Christum Dominum, & Manna venerabile Eucharistiæ sacramentum. Anagogicus est quando scripturæ verba etiam mediatè significant ea, quæ spectant ad statum Ecclesiæ triumphantis. Moraliter seu Tropologicus est, quando simili modo significantur ea, quæ pertinent ad mores, & nos facere debemus, vt oratio, & ieiunium Christi, iuxta illud Pauli Romani 15. *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus.*

Subdiuisio
sensus spiri-
tualis seu
mystici.

Quid dicen-
dum de au-
thoritate
Patrum vna-
nimiter scri-
pturas expli-
cantium.

128. Scripturam autem sacram sub eadem littera plu-
res aliquando sensus ab Spiritu sancto intentos habere, siue
ambo litterales sint, siue litteralis vnus, & spiritualis al-
ter, constans est Catholicis omnibus, vt referunt P. Vas-
quez diip. 13. cap. 2. P. Valentia disp. 1. Quæst. 1. punct. 5.
aliqua congerentes scripturæ loca, quæ ipso Christo te-
stante duplicem præfatum sensum admittunt. Ioannis
enim 3. docet Christus, serpentem à Moyse exaltatum in
deserto, & à uenenosis morsibus saluantem eos, qui per-
cussi oculos in ipsum intenderent, significasse ipsum Chri-
stum in ligno crucis exaltatum pro vulnerati generis hu-
mani medela. *Sicut Moyses, inquit Christus, exaltauit ser-
pentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis
qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Insu-
per Matth. 12. docet idem Christus Ionam absortum tri-
bus diebus in ventre ceti, significasse ipsius Christi mor-
tem & sepulturam. *Sicut fuit Ionas, inquit in ventre ceti tribus
diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terra.*
Alia apud Authores citatos videas.

129. An verò idem scripturæ locus duos sensus litterales
habere possit, vel duos spirituales. Affirmant communiter
Doctores cum sancto Thoma, & Augustino 12. confessio-
num cap. 30. & 31. docente, non solum posse, sed etiam
de facto pluribus in locis reperiri. Nec video quid impli-
care possint duo sensus in vno loco, vt communiter intel-
ligitur illud Isaia 53. *Venerationem eius quis enarrabit,* in quo
P. Vasquez, cum pluribus aliis, tenet vtramque Christi
generationem declarari temporalem, scilicet & eternam.
De his tamen, quorum disputatio, ad expositiuos perti-
net, aliquid prælibasse sat est.

Opportuna
Doctorem
prænotatio.

130. Hic tamen hoc vnum aduertas à Doctores oportu-
tunè prænotatum, scilicet, etiam si aliquando plura scri-
pturæ loca varie à Patribus, & Doctores explicentur,
non ideò omnes illos sensus litterales esse. Nam licet proba-
biliter discurrendo possit quis vnum sensum, & alter
alterum, in eodem scripturæ loco contentum opinari, non
inde fit, eos omnes à Spiritu sancto fuisse intentos; imò
possibile

possi-
bis o-
stian-
serit
duo,
nes
alter
inter
rius.
decla-

13
sefer-
datic
litud
Sanct
dans
Patri
Quo
nam
aliter
non
præst
exist
alio,
legar
nat P
quot
quan
locus

13
cia,
litter
legar
com
ducit
cro,
tentu

possibile est nullum eorum intentum esse, sed alium nobis occultum, vt insinuat Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 27. docens, etiamsi lateat nos, quid senserit scriptor sacer, posse tamen non vnum aliquid, sed duo, vel plura sentiri circa illum locum. Quod si opiniones sibi inuicem contrarientur, & affirmet vna, quod altera negat, certum est, vtrumque sensum non potuisse intendi ab Spiritu sancto, qui non potest esse sibi contrarius. In dubio verò Sedis Apostolicæ est, verum sensum declarare, & fidelibus proponere.

131. Sensus accommodatitius, vt ipsum nomen præferat, proprius non est, sed improprius, & per accommodationem, eo quod, quæ de vno dicta sunt propter similitudinem cum altero, accommodentur ipsi, quod in Sanctorum officiis passim præstat Ecclesia, accommodans illis, quæ de aliis in scripturis dicta sunt, & sanctis Patribus, & Concionatoribus id frequentissimum est. Quod idem præstari à Scriptore sacro posse, nihil verum; nam in hoc nihil scintillat veritati, aut rationi dissonum, aliter Ecclesiæ, & Patres id sinistre præstarent, quod dici non potest. An autem id de facto sacer aliquis scriptor præstiterit. Negat P. Valencia disp. 1. quæst. 1. punct. 5. existimans omnia loca, quæ vnus sacer scriptor citat ex alio, litteraliter, aut spiritualiter extendi ad scopum allegantis. Affirmat Vasquez cum pluribus disp. 14. inclinat P. Arriaga disp. 1. sect. 6. subsect. 1. fine. Nam ex tot, quot in vno libro citantur ex alio, sibi persuadet, id aliquando accommodatitio contigisse non tamen assignat locum.

Sensus accommodatitius improprius & qualis.

P. Valencia.
P. Vasquez.
P. Arriaga.

132. Mihi tamen probabilior est sententia P. Valentiniæ, nam si omnia testimonia allegata ab scriptore sacro litteraliter, aut spiritualiter se extendant ad intentum allegantis, maioris sunt firmitatis, & roboris, quam si accommodatitio tantum vsurpentur: nullum autem producit scripturæ testimonium allegatum à scriptore sacro, quod commodè extendi non possit ad allegantis intentum, vt de his quæ pro se citat Vasquez, fatetur Arriaga

Sensus accommodatitius à nullo scriptore vsurpatus de facto.

ga, & ipse pro se nullum affert: ergo. Et quidem semel admissio aliquo testimonio accommodatitæ allegato scriptore sacro, facile non esset discernere inter ea, quæ literaliter, vel spiritualiter, & quæ accommodatitæ citantur.

Scriptura
sacra in sen-
su literali,
& spiritali
conclusioni
Theologicæ
apta.

133. Ad rem ergo nostram asserendum est ex quouis sensu proprio Scripturæ sacræ, siue literali, siue spiritali, dummodo certo constet eum à Spiritu sancto intentum esse desumi posse efficacæ argumentum ad conclusiones Theologicas inferendas. *Dixi si certo constet*, nam aliquando sensus obscurus est, aliquando incertus, ac dubius, & tunc nisi accedat Ecclesiæ declaratio, sufficiens non erit; nam conclusioni Theologicæ, utpote infallibili, sensus fallibilis inferuire non potest. Constat autem certo, quando verba sunt ad eò clara, ut prudenter de eorum sensu dubitari non possit, tum etiam quando ipsa scriptura, vel Ecclesia, aut Concilium explicant scripturæ locum alioqui difficilem, & abstrusum.

Quid si eius-
dem loci
plures sint
sensus litte-
rales.

134. Si verò eiusdem loci plures sint sensus, siue literales omnes, siue spirituales, aut vnus literalis, & aliter spiritalis, & certo omnes constant, apti quoque erunt Theologico discursui. Si verò vnus tantum certo constet, solus ille aptus erit; si autem nullus certo constet, neque aptus erit, quia præmissa probabilis, ut dictum est, conclusioni certæ non sufficit; vnusquisque tamen iuxta sensum à se admissum concedere tenetur consequentiam legitimè ex illo deductam, aliter negaret, id quod legitimè sequitur ex reuelatione diuina ab ipso ut tali admissa.



DISPUTATIO II.

Quanta, & quali certitudine, & euidencia constet existentia Dei, eiusque unitas.

1. **D**EVM existere, scilicet primam causam, ex qua tanquam à primo fonte originem trahant creaturæ omnes, certissimum est, cuius perspicuæ veritatis fundamenta toto disputationis cursu subiciemus de illius certitudine, & euidencia disputantes. Nunc monitum volo, non esse nobis controuersiam de Deo, vt Trino, sed tantum vt vno; Trinitas enim Personarum longè abstrusior nobis est, ratione illius notissimi principij. *Quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se; & quid in ea dicendum est, traditum iam à nobis est tractatu de Mystero Trinitatis.*

S E C T I O . I.

An Deum esse sit veritas per se nota.

2. **D**Iuersimoda intelligentia veritatis per se notæ innumeras inter Doctores peperit dissentiones, vobis potius, quam rerum, quibus prætermittis. Censeo illam veritatem obiectiuam esse per se notam, quæ ex terminis ipsis patet, aut sola indiget simplici, & facili terminorum explicatione, vt cuiuslibet intellectui statim opparet veritas obiecti, eique citra omnem falsitatis formidi

Declaratur
quid sit ve-
ritas per se
nota.

midinem, præbeatur assensus à quocumque intelligente sui compote. Ratio est, quia si termini propositionis obiectivæ difficilem habeant explicationem, hoc ipso propositio non erit per se nota, sed potius occulta, & indigens manifestatione. Si verò termini propositionis, ultra simplicem declarationem ulteriori discursu, aut probatione indigeant; hoc ipso veritas, non per se sed ex aliis principiis propositionis nota erit. Dicitur citra omnem falsitatis formidinem, quia si in præbendo assensu trepidare possit intellectus argumento aliquo, quantumvis apparenti; hoc ipso propositionis veritas per se nota non erit, cum de ratione istius sit excludere quidquid possit assensum retardare. Sic per se notum est, vlnam maiorem esse palmo, & lineam puncto; quia simplici & facili terminorum explicatione citra omnem falsitatis formidinem præbetur assensus à quocumque sano intelligente. Difficultas ergo est, an talis sit hæc veritas, seu propositio obiectiva (non enim agitur de formali) *Deus est*, siue, *Deus existit*.

Bonaventura.
Ægidius.
Argentinas.
Scotus.
Henricus.
P. Arriaga.
P. Fasolus.
P. Ribas.

3 Prima sententia absolute affirmat esse per notam, etiam hominibus viatoribus. Ita sanctus Bonaventura dist. 8. art. 1. quæst. 2. Ægidius dist. 3. quæst. 2. Argentinas dist. 3. quæst. 1. art. 3. *Secunda Sententia* absolute negat. Ita Scotus 1. dist. 2. quæst. 2. Henricus in summa art. 22. quæst. 1. 2. & 4. P. Arriaga 1. part. disp. 2. sect. 1. & alij. *Tertia Sententia* docet esse secundum se per se notam, non verò quoad nos viatores. Ita P. Fasolus hic quæst. 2. art. 1. dub. 3. P. Ribas hic disp. 1. cap. 1. num. 1. Et tribuitur communiter S. Thomæ.

Hæc veritas,
Deus est, non
est simplici-
ter, & abso-
lutè per se
nota.

4 Afferò primò, hanc veritatem *Deus est*, non esse simpliciter, & absolute per se notam. Probatur, quia ut aliqua veritas simpliciter, & absolute per se nota sit, in explicatione terminorum, subiecti, scilicet, aut prædicati, nulla, nullique intelligenti, suboriri debent dubia retardantia assensum: in explicatione autem huius obiecti *Deus*, siue declaretur per primam causam, siue per ens simpliciter necessarium, aut per substantiam omnium perfectissimam,

mam,

mam plura suboriuntur dubia retardantia assensum prædicati: ergo simpliciter, & absolute non est veritas per se nota. Maior constat tum ex dictis num. 2. tum etiam quia Trinitas, & possibilitas plurium entium, tam naturalium, quam supernorum, ideò simpliciter, & absolute non est veritas per se nota, quia in explicatione subiecti tot dubia occurrunt, quæ retardent assensum. Minor verò probatur, quia tam in ente necessario, quam in prima causa, & substantia omnium perfectissima, statim occurrit, quomodo possit idem esse à se ipso, cum nullus se ipsum producere valeat, cur dari debeat prima omnium causa, cum non detur prima omnium duratio; aut quomodo possibilis sit substantia omnium præstantissima, cum possibilis non sit inter creaturas vna omnium perfectissima; quæ omnia nouo discursu, & probatione superanda sunt, quod est contra rationem veritatis simpliciter, & absolute per se notæ: ergo.

5. Confirmatur, nam dum primò Deus euidenter cognoscitur à nobis, id, stando communi rerum cursui, contingit, non per speciem propriam Dei, sed per alienam, scilicet, creaturarum, ex quarum cognitione in notitiam Creatoris ascendimus: id autem, quod ex creaturis innotescit, non ex ipsis terminis, sed per discursum à posteriori deprehenditur: ergo cum hæc veritas, *Deus est*, primò nobis ex creaturis scintillet, per se nota non erit. Maior certa est, quia viatores non habemus, nec communi prouidentia habere possumus in via speciem intuitiuam, imò nec quidditatiuam Dei, sed tantum abstractiuam à creaturis præcognitis emendicatam; atque adeò nec possumus primò Dei existentiam intuitiuè, aut quidditatiuè cognoscere, sed abstractiuè tantum ex creaturis: ergo Dei existentia non erit veritas per se nota, quæ ex ipsis terminis communi prouidentia ab omni intelligente, & quidem facile in se ipso cognoscibilis esse debet.

6. Disces in ea opinione, ex præmissis sequi posse conclusionem attingentem identitatem extremorum inter se, non propter identitatem eorum cum tertio, seu propter

Prima nostra cognitio Dei abstractiua est.

præmissas obiectiuas, sed propter intrinsecam eorum veritatem: ergo dum primò Deus cognoscitur à nobis ex creaturis per demonstrationem euidentem in se ipso, & ex ipsis terminis cognosci poterit: ergo existentia Dei per se nota erit, etiam dum primò à nobis cognoscitur euidenter.

7. Respondeo negans hanc vltimam consequentiam. Nam ad veritatem simpliciter, & absolutè per se notam sufficiens non est, quod termini propter intrinsecam veritatem attingantur; sed vltimò opus est, quod ea veritas non applicetur per præmissas aliorum obiectorum, nec per speciem genitam ab illis; obiectum enim, quod ita applicatur, non ex se ipso sed ex alio præcognito innotescit. Hæc autem veritas, *Deus existit*, dum primò à nobis cognoscitur euidenter, applicatur intellectui, non per speciem propriam, sed per creaturarum præmissas, ideoque simpliciter per se nota non erit, etiam si primò propter intrinsecam extremorum veritatem præberetur conclusionis assensus, quod tamen facilè non est, nec ita communiter contingit, vnde iterum Dei veritas per se nota censenda non est.

Ad veritatē simpliciter per se notā non sufficit eam esse talem respectu alicuius.

8. Probaturscundò conclusio: Nam si ad veritatem simpliciter, & absolutè per se notam, sufficeret, eam esse talem respectu alicuius status, aut personæ, fieret, omnes veritates quantumlibet reconditas, & occultas, esse per se notas, quod dici non potest: ergo vt veritas aliqua simpliciter, & absolutè per se nota sit, omnibus, & pro quouis statu, ex ipsis terminis innotescere debet. Sequela probatur, quia nulla est veritas, quæ alicui personæ, & pro aliquo statu non sit per se nota, nam beatis per se nota est Trinitas, & Angelis quælibet veritas naturalis: & inter homines multo plures veritates Adamo, Salomoni, aliisque Doctioribus fuerunt per se notæ, quam rusticis, & minus doctis: ergo si ad veritatem simpliciter, & absolutè per se notam sufficeret, eam esse talem respectu alicuius status, aut personæ, omnes veritates essent per se notæ, cum nulla sit, quæ alicui, & pro aliquo statu ex ipsis terminis innotescere non possit.

Disp. II. De Exist. & Vnit. Dei. Sect. I. 71

9. Affero secundò, hanc veritatem, *Deus est*, esse secundum quid, & respectiue per se notam, etiam hominibus viatoribus. Probatur, nam supposita semel existentia Dei ex creaturis, potest ea veritas, dum secundò, & deinceps cognoscitur, ex ipsis terminis innotescere: ergo erit secundum quid per se nota, licet simpliciter talis esse non possit, eo quod primò ex ipsis terminis apparere non valeat. Antecedens probatur, nam prima cognitio existentia Dei ex creaturis concepta relinquit in intellectu speciem impressam sui obiecti, quæ licet genita sit ex cognitione Dei ex creaturis, parere tamen potest cognitionem Dei in se ipso; id est cognitionem attingentem Deum esse, non iam propter creaturas, sed propter intrinsecam, & propriam veritatem extremorum, aliter species impressa ab actu conclusionis relicta mouere non posset ad assensum extremorum inter se, nisi propter connexionem earundem cum tertio; atque adeò nullus, qui per discursum plures conclusiones obiectiuas comparauerit, posset vltimam cognoscere, nisi simul omnium præcedentium syllogismorum præmissas obiectiuas attingeret, quod est contra manifestissimam experientiam, qua nouimus, semel concepta, & stabilita veritate alicuius conclusionis obiectiuæ, non fieri deinceps recursum ad præmissas obiectiuas, propter quas assensus fuit primò datus, sed absolute præbere assensum propter propriam, & intrinsecam extremorum veritatem: ergo.

10. Confirmatur. Nam veritatem aliquam esse secundum quid, & respectiue per se notam, aliud non exigit, quam vt cuilibet ex ipsis terminis innotescere possit, aliquando; existentia autem Dei talis est: ergo. Maior probatur tum ex dictis num. præcedenti, tum etiam quia supposita ex aliis principiis naturaliter demonstrabilibus possibilitate entis necessarij, & assensu illius, sola explicatione entis necessarij & existentia illius, apparet Deum existere, nullo in contrarium argumento assensum retardante, sola enim formido possibilitatis retardare posset: ergo supposita possibilitate naturaliter demonstrabili, eiusque

Hæc veritas
Deus est, secundum
quid, & respectiue est
per se nota.

Quid sit veritatem aliquam esse respectiue per se notam.

eiusque assensu, per se notum erit, Deum esse, cum hæc veritas innotesceret omni intelligenti terminorum explanatione.

Difficilis
obiectio
sumpta à
propositione
disiunctiva
per se nota.

11. Objicies contra primum assertum, primò. Hæc propositio est simpliciter per se nota. *Quodlibet vel est, vel non est*: ergo etiam ista, *Deus vel est, vel non est*: Deum autem non esse, non est veritas per se nota, cum id falsum re ipsa sit: ergo Deum esse erit veritas per se nota. Patet hæc consequentia, nam si ea propositio, quo ad neutram partem esset per se nota, nulla ratione talis esset, cum duplex tantum sit illius pars, & respectu nullius esset per se nota. *Confirmatur*, propositio formalis attingit Deum, eiusque existentiam, cum de Deo asserat, vel esse, vel non esse: ergo hoc subiectum Deus, eiusque existentia attinguntur à propositione formali per se nota simpliciter. Vel ergo attinguntur ex ipsis terminis, & sic hæc propositio, *Deus est*, simpliciter erit per se nota. Vel attinguntur ex aliis principiis per discursum, & ita, sic attingi extrema non obstabit propositioni per se notæ simpliciter, cuius oppositum nos supra docuimus.

Falacia ar-
gumenti
directa.

12. Hoc argumentum fallax est, euincit enim, Trinitatem, & omnem aliam quamcumque veritatem simpliciter esse per se notam. Nam hæc propositio est simpliciter per se nota, *Quodlibet vel est, vel non est*: ergo etiam ista alia, *Trinitas vel est, vel non est*: Trinitatem autem non esse, non est veritas per se nota, cum id falsum re ipsa sit: ergo Trinitatem esse, erit veritas per se nota. Patet hæc consequentia, nam si ea propositio quoad neutram partem esset per se nota, nulla ratione talis esset, cum duplex tantum sit illius pars, & respectu nullius esset per se nota. Similiter applicari potest confirmatio.

Vnde fit per
se nota pro-
positio hæc
disiunctiva,
Deus vel est,
vel non est.

13. Missis aliorum solutionibus. Respondeo, veritatem illam, *Quodlibet vel est, vel non est, Deus est vel non est*. Idemque dicendum de consimilibus aliis, esse quidem simpliciter per se notam, non tamen quia aliqua pars disiunctiva fit; sed quia existere carentiam vtriusque simul, seu, quod idem est, neutram earum existere impossibile est, quam

qua
fibil
poss
cti p
sten
volu
ad v
que
tate,
Sicu
dum
rem,
ta D
Deu
14.
exist
fition
inqu
non e
feren
prop
se no
tis, v
form
in se
ritate
litate
pars.
nobis
ca de
tract.
bi ex
vel e
15.
nota,
stenti
verita

quam impossibilitatē consequitur à parte rei carentia possibilitatis, vt neutra disiuncti pars existat: Ab illa ergo impossibilitate, & à carentia possibilitatis, vt neutra disiuncti pars existat; dicitur veritas illa per se nota non ab existentia rei, neque à non existentia illius. Sicut necessitas voluntatis vel ad amandum, vel non amandum, positis ad vtrumque requisitis, non est necessitas ad amorem, neque ad non amorem; sed necessitas sumpta ab impossibilitate, & carentia possibilitatis vtrumque simul omittendi. Sicut ergo optimè stat necessitas voluntatis, vel ad amandum, vel ad non amandum, cum libertate tam ad amorem, quam ad non amorem; ita stat hæc veritas per se nota *Deus vel est, vel non est*, quin talis sit, Deum esse, neque Deum non esse.

14. Ad confirmationem respondeo, Deum eiusque existentiam attingi quidem ex ipsis terminis à propositione formali simpliciter per se nota, propositione inquam, non determinante existentiam de Deo, neque non existentiam, sed disiungente inter vtramque, asserendo, *Deus vel est vel non est*. Huiusmodi autem propositio disiunctiua à neutra parte disiuncti est per se nota, sed ab impossibilitate, & carentia possibilitatis, vt neutra disiuncti pars existat. Inde licet propositio formalis disiunctiua attingat Deum, eiusque existentiam in se ipsis, & absque vllò discursu, non sequitur, hanc veritatem, *Deus est*, esse per se notam, sed solam impossibilitatem, & carentiam possibilitatis, vt neutra disiuncti pars existat. Quæ omnia lucem acupient, ex traditis à nobis, tum Tract. de voluntate Dei disp. vlt. sect. 4. circa decretum disiunctiuum, eiusque obiectum, tum etiam tract. de Trinitate disp. 17. sect. 6. circa processionem verbi ex scientia disiunctiua, qua necessario cognoscit Deus vel existere petrum, vel eius carentiam.

15. Objicies secundo, tunc aliqua propositio est per se nota, quando prædicatum identificatur cum subiecto: existentia autem Dei identificatur cum Deo: ergo hæc veritas, Deus existit, erit per se nota. Maior est sancti

74 *Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.*

Thomæ 1. part. quæst. 2. art. 1. de corpore aientis *Dico ergo, quod hæc propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est, quia prædicatum est idem cum subiecto.* Minor autem certissima, nam existentia Dei distincta non est realiter, imò, nec fortè virtualiter à Deo. *Confirmatur* primò, nam existentia est de constitutio Dei: ergo penetrato hoc termino *Deus*, per se notum erit, Deum esse. Secundò, *Deus*, & ens necessarium sunt omnino idem: sed penetrato ente necessario est per se notum existere: ergo penetrato hoc termino, *Deus*, per se notum erit, Deum esse.

Identitas
prædicati
cum subie-
cto sufficiens
non est ve-
ritati per se
notæ.

16. Respondeo negans maiorem de veritate simpliciter & absolute per se nota. Nec sanctus Thomas obiectus plus docet, quam hanc veritatem, *Deus est, esse secundum quid per se notam, id est, respectiue.* Nam in fine corporis expresse docet, non esse nobis per se notam, his verbis *Sed quia nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari, per ea quæ sunt magis nota quo ad nos.* Ratio est, quia si ad veritatem simpliciter, & absolute per se notam sufficeret identitas prædicati cum subiecto, non minus esset per se nota existentia Trinitatis, quam Dei, cum vtrique realiter identificetur existentia; imò nulla esset veritas, quæ per se nota non esset. Sicut ergo existentia Trinitatis, possibilitas Incarnationis, & innumera alia non sunt veritas simpliciter per se nota, vel quia difficilis est apprehensio terminorum, vel quia apprehensionem formido aliqua apparentis dubij comitatur, sufficiens ad retardandum assensum. Similiter dicimus veritatem istam, *Deus est*, non esse simpliciter per se notam; quia apprehensio terminorum non excludit formidinem omnem difficultatis apparentis, ex aliis mediis, & capitibus vincendæ.

17. Ad vtramque confirmationem Respondeo similiter non probari veritatem simpliciter per se notam, sed ad summum secundum quid. Nam licet existentia esset de constitutio Dei, & ens necessarium omnino idem cum Deo; apprehensio tamen horum terminorum non excludit formidinem omnem difficultatis apparentis, ex aliis mediis

D
medi
ctu e
tates
notæ,
tis, in
primò
cere v
tam, 1
18.
suo, m
tas pe
dixerit
ne inf
ruptæ
tur sæ
mens.
catum
præsta
minabi
Vnde
sanæ r
negauit
est; qu
bet san
19. C
nota, M
consec
quod n
quoque
denti,
est col
enim l
ac ista
autem
dem v
citer p
arguit

mediis, & capitibus vincenda. Quod si instes: ergo respectu eorum, quibus nullæ suboriuntur vincendæ difficultates in apprehensione terminorum, erit veritas per se nota, Deum esse, vt contingit in Angelis & omnibus beatis, imò, & viatoribus post Dei existentiam ex creaturis primo conceptam. Respondeo ea omnia solum conuincere veritatem secundum quid, & respectiuè per se notam, non simpliciter, vt sæpius dictum est.

18. Objicies tertio, illud Psal. 13. *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: ergo omni intelligenti sensato erit veritas per se nota Deum esse; cum solus stultus, & insipiens dixerit, non esse Deum. Respondeo apud Psalmistam, nomine insipientis non inuere homines vacui cerebri, sed corruptæ voluntatis; qua frasi peccatores in scripturis vocantur sæpius stulti, & insipientes. Si enim ab illis recessisset mens, frustra eorum opera peccati arguerentur, cum peccatum esse non possit, vbi sana non est mens, quod tamen præstat Psalmista sequentibus verbis. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, &c.* Vnde obiectionis argumentum est pro nobis. Nam si viri sanæ mentis, quamuis corruptæ voluntatis, Deum esse negauerunt: ergo hæc veritas simpliciter per se nota non est; quæ enim talis est, ex ipsis terminis innotescit cui libet sano intelligenti.

19. Objicies quarto. Hæc est veritas simpliciter per se nota, *Deus est colendus*: ergo etiam ista *Deus est*. Probatur consequentia, quod per se notum est, colendum non esse, quod non est: ergo quod per se notum est, esse colendum, quoque erit per se notum esse. Respondeo, concesso antecedenti, negans consequentiam. Nam ea propositio, *Deus est colendus*, facit suppositionem existentia Dei, attingit enim Deum supposito quod sit; atque ad eò idem valet, ac ista; *Deus supposito quod detur, colendus est*. Deum autem suppositum iam existentem colendum esse, est quidem veritas simpliciter per se nota; veritas autem simpliciter per se nota ex suppositione, quod subiectum sit, non arguit existentiam subiecti simpliciter per se notam; nam

Quo pacto dixerit insipiens non est Deus.

Hæc veritas Deus est colendus simpliciter est per se nota; secus ista alia, Deus est.

76 Tra&ct. I. De *Essentia & Attributis Dei.*

ex suppositione, quod Deus sit Trinus & vnus, per se notum est adorandam esse Trinitatem, nec tamen existentia Trinitatis est eo modo per se nota, quo per se notum est adorandam esse Trinitatem, supposito quod Deus sit Trinus.

SECTION II.

An Deum esse demonstretur à posteriori.

Quid, &
quoruplex
sit demon-
stratio.

20. **D**Emonstratio est duplex, vna à priori, à posteriori altera; Demonstratio à priori ea est in qua euidenter ostenditur effectus per suam causam, seu principium. Huc reuocantur demonstrationes euincentes proprietates per ipsorum essentias, etiam si virtualiter tantum seu Logica, aut ratione nostra fluant ab essentia. Demonstratio à posteriori dicitur illa, quæ causam manifestat per illius affectum, & essentiam per illius proprietatem, seu conceptum saltem Logica posteriorem. Cæteri verò alii syllogismi certo, & euidenter concludentes identitatem extremorum inter se propter identitatem cum tertio, quod tertium nec causa est, nec effectus, vt in hoc syllogismo. *Omnis homo est animal: Petrus est homo; ergo Petrus est animal,* & pluribus aliis; dici solent demonstrationes à priori, non positiuè, sed negatiuè, id est, non à posteriori. Difficultas præsens ergo est, an existentia Dei demonstretur à posteriori, id est, ex creaturis, quarum Deus est vera, & prima causa.

Existentia
Dei demon-
strabilis est
à posteriori.

21. Et quidem existentiam Dei esse demonstrabilem à posteriori, seu possibilem esse talem demonstrationem, pono tanquam certum cum omnibus Theologis contra Aliasensem, Gabrielem, Bosoletum, Maiorem, Carthusianum, & Adamum relatos à P. Fasolo hîc art. 2. dubit. 2. Quam sententiam negantem existentiam Dei posse ex creaturis à posteriori demonstrari multi abnuunt Doctores

res cum S. Thomā 1. contra gentes cap. 12. vbi eam vocat errorem. Ratio est, quia essentialis dependentia creaturarum à Deo, est essentialis connexio cum existentia Dei, eamque de facto consistere, saltem fide diuina certissimum est, ergo si ea dependentia, & connexio euidenter penetraretur à nobis, euidenter quoque ex illa existentiam Dei inferre possemus: potest autem ita penetrari: ergo & existentia Dei à posteriori demonstrari. Minor probatur, quia in ea notitia nullum apparet vestigium implicantiæ, imò de facto Angelis conceditur ab omnibus; quid enim implicare potest cognosci à nobis euidenter creaturæ alicuius quidditatem, & dependentiam à Deo.

22. Difficultas tamen est, an de facto huiusmodi demonstratio consistat. Et quamuis partem affirmantem vnanimis teneant communiter Theologi omnes, in assignanda tamen demonstratione, tanta est diuisio, vt propriam quisque semitam alienâ derelictâ, moliatur. Proponam communes Doctorum demonstrationes, & quanta sit earum euidencia librabimus. Nec procedit controuersia de demonstratione morali, aut physica tantum certitudine, & euidencia, ostendente Deum esse, sed de demonstratione metaphysicè certa, & euidenti; adeò clarè existentiam Dei conuincente, vt nulla creatura rationalis, sui compos valeat absolutè negare præmissas, nec ex suppositione præmissarum consequentiam: Id intellige de negatione mentali, demonstrationis enim non est frenare linguam, sed captiuare mentem.

23. Prima Thomistarum demonstratio est. Omne quod mouetur, ab alio mouetur: ergo vel ab eundem est in infinitum motorum, & mouentium, vel admittendus est primus motor qui à nemine moueri possit. Non primum quia absurdum est: ergo secundum; atque adeò existet primus omnium motor, scilicet Deus.

Prima Thomistarum demonstratio insufficientis.

24. Hic tamen discursus demonstratio non est. Imprimis enim antecedens illud, omne quod mouetur ab alio mouetur, si de motu locali fermo sit, falsum est; nam grana, & leuia à se ipsis, non ab agente extrinseco mouentur



tur. Quod autem communiter respondent Thomistæ, gra-
uia scilicet, & leuia, à generante moueri, falsum id est,
cum moueantur absente, & distante genitore, & quam-
uis verum esset, non tamen nobis certum, aut euidens,
sed ad summum probabile. Idem dicimus, si nomine mo-
tus veniat qualitas præmouēs, seu prædeterminans ad mo-
tum. Si verò nomine motus veniat concursus Dei simulta-
neus, verum quidem est antecedēs illud, sed non euidens,
cum plures eum concursum Deo negent. Insuper dato an-
tecedenti, processus infinitus motorum, & mouentium,
non ostenditur metaphysica falsus euidentiā, sicut nec
processus generationum infinitus; Adamum enim fuisse
primum hominem, sola euidentiā morali, & fide diuina
ostendi potest: ergo discursus ille demonstratio non est.

Secunda de
monstratio
sumpta à
causalitate
& produ-
ctione, etiā
sufficiens

25. Secunda, & communior demonstratio. Vel omne
ens in vniuerso contentum est productum, vel non? Si
non omne productum est: ergo existit aliquod improdu-
ctum, & à se, atque adeo Deus. Si omne est productum:
ergo vel ab alio, quod sit extra totam collectionem, vel
quod sit intra? Non secundum, quia admittenda esset
mutua duorum causalitas in se ipsos: ergo ab alio quod sit
extra collectionem omnis entis producti: ergo hoc erit
ens improductum, & à se, atque adeo Deus.

26. Neque discursus iste demonstratio est, utpote prin-
cipio ineuidenti fundatus; scilicet seriem, aut collectio-
nem entium productorum infinitam non esse, quod licet
fide certum sit, metaphysica tamen euidentiā non con-
uincitur. Supposita autem infinita collectione entium
productorum, non probatur mutua duorum causalitas in
se ipsos. Quæ admodum admittentes possibilem motum
successiuum, aut seriem generationum æternam, id præ-
stant, absque mutua causalitate duorum in se ipsos, quam-
uis nulla sit generatio, quæ producta non sit. Quod si
instites, fieri inde collectionem omnium entium producto-
rum, productam non esse, nec ab alio, cum tamen nul-
lum in ea sit ens, quod productum non sit, & ab alio. Faci-
lè eludi posset instantia in æternitate, & serie generatio-

num

num æterna; nam collectio omnium instantium, nullum supponit instans, nec collectio generationum generationem, quamuis nullum in ea sit instans, aut generatio non supponens aliam: ergo licet in collectione omnium entium productorum, nullum existat, quod productum non sit, & ab alio, poterit collectio nec producta esse, nec ab alio.

27. Sit ergo prima, & efficax demonstratio. Euidens est ens necessarium, seu à se, non esse impossibile: ergo euidens est esse possibile, nam eo pacto, quo constat, aliquid impossibile non esse, constat esse possibile: ergo euidens est actu existere ens necessarium, seu à se; cum hoc aliud non sit, quam ens summe determinatum ad existendum. Antecedens probatur, quia ens necessarium, seu à se, est summa perfectio, & illuminatio, cum esse ab alio sit imperfectio, limitatio, & indigentia illius ad existendum: ergo euidens est ens necessarium, seu à se, impossibile non esse, cum euidens sit, summam perfectionem non esse chymæram; eo quod quidquid impossibile est, imperfectum sit, & à vero ente deficiens.

Prima demonstratio sumpta ab euidenti possibilitate entis necessarii, & à se.

28. Nec discursus iste videtur facile eludi posse, si negaretur antecedens, & ad probationem diceretur, necessarium, & à se, non esse perfectionem, eo quod nihil existere possit, nisi per veram, & realem productionem, & idem non valeat producere se ipsum, atque adeò, egere alio ad existendum, imperfectionem non esse. Quorum omnium falsitas eo argumento non conuincitur euidenter. Sed contra est, nam indigere alio, ab eoque strictè dependere ex terminis ipsis, imperfectionem limitationis importat.

29. Secunda, & efficax demonstratio, sumpta ex contingentia rerum est. Vel collectio omnis entis est de se, & natura sua indifferens ad existendum, & non existendum, vel non? Si secundum: ergo datur aliquod ens de se, & natura sua determinatum ad existendum, seu quod idem est, ens necessarium, atque adeò Deus. Si primum? Ergo non potuit collectio omnis entis à se ipsa determina-

Secunda & solida demonstratio sumpta ex contingentia rerum.

80 *Tra&ct.I. De Essentia & Attributis Dei.*

ri ad existendum : ergo ab alio se ipso determinato ad existendum, si enim hoc aliud etiam esset indifferens, non posset determinare collectionem omnis entis indifferentis cum non posset determinare se ipsum, cum tamen sit vnum ex indifferentibus. Prior consequentia probatur, quia indifferens, ea ratione qua indifferens est, nisi liberum sit, non potest à se ipso determinari : nullum autem ens liberum est ad existendum ; cum existentia respectu nullius possit esse actus liber, eo quod iste, vt exerceatur, essentialiter supponat agens liberum existens : ergo si collectio omnis entis esset de se, & natura sua indifferens ad existendum, & non existendum, non posset à se ipsa determinari ad existendum.

30. Confirmatur, videmus enim aliqua modo existere quæ antea non fuerunt: ergo accipere debent esse ab aliquo, quod necessario existat. Probatur consequentia, quia si omnia essent contingentia, fieri posset, vt aliquando nihil esset : si autem potuit aliquando nihil esse : ergo non fuit possibile vnquam aliquid existere, nam semel dato, quod nihil esset, non est conceptibile per quid posset tunc aliquid de nouo incipere, nisi existat ens necessarium, à quo existentia de nouo incipiens determinetur.

Effugium
quod tentari
posset.

31. Dices primò, argumentum istud efficax futurum, si entium positiuorum collectio præterita, & existens supponatur finita, & vnum omnium primum, de quo procedat argumentum. Cæterum cum suppositio ista, licet quoad creaturas vera, & fide certa, non probetur euidenter, nec discursus ille potest esse absolutè demonstratio. Nam si successiua entium positiuorū series supponatur infinita, facile eludi posset dicendo, impossibile semper fuisse, nullum existere ens positiuum ex omnibus possibilibus, & carentiam huiusmodi possibilitatis semper existere necessario, exigendo sub disiunctione, aliqua entia positiva esse, quin inde fiat, vllum existere necessario. Sicut ex eo quod impossibile sit, neutram libertatis contradictionis partem existere, fit quidem necessario, esse carentiam possibilitatis, vt neutra pars cōtradictionis existat, quin inde fiat vllam existere necessario.

32. Con

32.

junct
ad ex
tatis
aliud
liber
dum
tibus
tra ca
tra or
feren
natur

33.

indif
in pa
tatis
mari
quin
vnita
ta sit,
terna
idem
nis en
partic
existe

34.

instan
in ea
etiam
que e
non e
ens ne
dum,
id hab
ea co
modo
plura

32. Contra, quia carentia illa cum sua exigentia dis-
 junctiua nullam creaturam ex indifferentibus determinat
 ad existendum: ergo ad determinandā vnā partem liber-
 tatis ex vtraque indifferenti, essentialiter requisitum est
 aliud ens positium, vltra carentiam illam, & vtramque
 libertatis partem, scilicet voluntas, ita ad determinan-
 dum aliquod, vel aliqua entia ex omnibus indifferen-
 tibus, essentialiter requisitum erit aliud ens positium vl-
 tra carentiam illam possibilitatis, vt nullum existat, & vl-
 tra omnia entia indifferentia; hoc non potest esse indif-
 ferens ad existendum, vt perspicuum est: ergo determi-
 natum, atque adeo ens necessarium.

Præclucitur
 euasio sua-
 met instātia.

33. Dices secundò, dari quidem ens necessarium, sed
 indistinctum à collectione omnis entis, quin vllum ens
 in particulari necessario existat. Quod licet falsum, falsi-
 tatis tamen non conuincitur euidenter imò instantiis fir-
 mari posset, nam collectio omnium instantium æterna est,
 quin vllum instans in particulari æternum sit; & collectio
 vnitatum sine termino infinita est, quin vlla vnitas infini-
 ta sit, & collectio trium vnitatum constituit numerum
 ternarium, quin vlla vnitas in particulari sit ternarius,
 idemque est de pluribus aliis: ergo similiter collectio om-
 nis entis poterit esse ens necessarium, quin vllum ens in
 particulari tale sit, sed potius natura sua indifferens ad
 existendum, & non existendum.

Aliud effu-
 gium, quod
 tentari po-
 test.

34. Contra, quia dum dicimus collectionem omnium
 instantium esse æternam, solum intendimus nullum esse
 in ea instans, quod non supponat aliud, & hoc verum est,
 etiam si nullum instans in particulari æternum sit, idem-
 que est de infinito; & vnitatem non esse ternarium, est,
 non esse tres vnitates, quod etiam verum est. Esse autem
 ens necessarium, esse se ipso determinatum ad existen-
 dum, & nunquam posse ab existentia deficere. Vel ergo
 id habet collectio omnis entis ab aliquo, vel pluribus in
 ea contentis. Si ab aliquo, habemus intentum, non enim
 modo disputamus, an ens necessarium sit vnicum, vel
 plura, sed an sit ostensuri scēt. sequenti vnicum esse, vel

Euasiones
 instantiæ
 declarantur,
 & falsitas
 aperitur.

82 Tract. I. De *Essentia & Attributis Dei.*

id habet ab omnibus simul, & id euidenter est falsum; tum quia nullum est ens in particulari, quod ab existentia deficere non possit per vos; deficiat ergo vnum. Rogo nunc, an existat ens necessarium, vel non? Si dicas existere: ergo collectio omnis entis non erat ens necessarium ab omnibus simul, sed ab aliquo, vel aliquibus, cum aliis deficientibus ens necessarium persistat. Si dicas non existere implicas in terminis dicens ens necessarium aliquando non existere. Idem argumentum fieri potest de quacumque collectione.

35. Confirmatur, vel collectio omnis entis, quæ dicitur ens necessarium, complectitur omnia entia pure possibilis, existentia, præterita & futura, vel non? Si primum: ergo collectio omnis entis non est ens necessarium, cum maior illius pars de facto non existat, & consequenter neque collectio: Si non dicit omnia illa entia, neque dicere potest pure possibilis, neque præterita, aut futura, cum de facto actu non existant, & implicet in terminis ens necessarium actu non esse: ergo sola dicit existentia. Collectionem autem creaturarum existentium innumeras subire mutationes, quis sensatus negare potest? ergo esse ens necessarium, delirium erit, cum nulla sit collectio, quæ in eodem statu consistat, & permaneat, sed perpetua in constantia, & variatione rerum, perpetua sit etiam collectionum variatio, ita vt quæ præcessit non sit eadem, quæ nunc est, & quæ modo existat non sit eadem quæ postmodum erit.

Tertia & solidissima demonstratio sumpta ex regimine morali.

36. Tertia solida etiam, & efficax demonstratio sumpta, à regimine morali est; Nam lumine naturæ est euidentis, virtuti debitum esse præmium ab ea distinctum, & supplicium vitio, vniuersitas enim in qua boni sola sua bonitate manerent præmiati, & nefarii sola sua nequitia puniti, iniqua esset; deficeret enim stimulus virtuti, & frænum vitio: ergo concedendus est supremus gubernator à vero & bono indefectibilis, à quo iustis præmia dispensentur, & iniquis supplicia; si enim gubernator ille defectibilis esset à bono, aut vero, posset errore, aut malitia dispensare præmia

præmia indignis, & affligere iustos, quo maneret irremunerata virtus, & impunita nequitia, quin talis error reparari posset, aut malitia corripi; quod lumine naturæ dissonum est: talis autem gubernator Deus est: ergo existit Deus. Minor ista probatur, quia vel ille supremus, rerum omnium gubernator est à se, vel non? Si est à se habemus intentum: Si ab alio: ergo hoc aliud euidenter est Deus, cum supremus creaturarum omnium gubernator nequeat supra se creaturam aliquam habere: ergo qui supra illum gubernatorem esset, Deus esset.

37. Confirmatur, primò nam si supremus rerum omnium gubernator supra se alium haberet, iam supremus non esset: ergo non potest esse ab alio, sed à se. Secundo quia si gubernator ille non existeret necessario, sed deficere posset ab existentia, posset etiam rectitudo regiminis ipsius cum eo deficere; atque adeò posset virtus irremunerata manere, & impunita nequitia, quod lumine naturæ dissonum est: ergo talis gubernator est ens necessarium, & ab existentia indefectibile, atque adeò Deus.

38. Quarta demonstratio, quia nomine Dei intelligimus ens carens omni defectu: ens autem carens omni defectu non est chymæra, cum esse chymeram, sit defectus, & imperfectio: ergo Deus erit ens possibile, & verum. Præterea posse non existere non est perfectio entis summe, & vndequaque perfecti: ergo non posse non existere erit perfectio illius: ergo cum Deus sit ens summe, & vndequaque perfectum, de ratione illius erit non posse non existere: ergo existit Deus, cum de ratione non potentis non existere, sit existere.

Quarta demonstratio ex negatione defectus in Deo.

SECTIO III.

An demonstretur unicum tantum esse Deum.

39. **S**Tatuta iam existentia Dei, siue entis necessarij, & à se. Quærimus, an tale ens unicum tantum esse demonstretur. Affirmant communiter Doctores

Sententia affirmans demonstrationem vnitatem Dei.

res contra negantes aliquos relatos iam à nobis fact. præcedenti num. 21. In assignanda tamen demonstratione vnitatem Dei conuincente dissidium est inter Doctores affirmantes. Mitto tanquam inefficacem tentatum ab aliquibus discursum, videlicet. Quia si duo essent entia à se in aliquo conuenirent, & disconuenirent in alio: ergo in utroque esset admittenda compositio. Nam id solum euincit compositionem Metaphysicam, quæ Deo non repugnat, imò conceditur de facto, cum Deus, & creaturæ, in aliquo conueniant, scilicet in ratione substantiæ intelligentis, &c. & in alio disconueniant, videlicet in ente, à se, & ab alio.

Prima demonstratio eo quod Deus sit essentialiter existens.

40. Prima ergo demonstratio communibus Doctorum suffragiis approbata, est. Ens necessarium seu à se, est essentialiter existens: ergo est essentialiter singulare; cum nihil vniuersale, & multiplicabile existat à parte rei, sed tantum penes nostros conceptus. Nihil autem essentialiter singulare potest esse multiplex, cum singularitas multiplicatam excludat: ergo Deus utpote ens necessarium, & à se multiplex esse non poterit, sed vnicus tantum.

Hic tamen discursus, non videtur demonstratio. *Primo* quia plures Philosophi, nec improbabiler tuentur, naturam vniuersalem existere realiter formaliter à parte rei, non quidem cum vnitatem reali formali, sed reali virtuali: ergo ex eo quod ens necessarium existat à parte rei, non sequitur, multiplicabile non esse; licet enim opinio illa falsa sit, manifeste tamen arguit, illius discursus fundamentum intra probabilitatis terminos contineri, vel saltem demonstrationis naturam non attingere. *Secundo*, & præcipuè, quia persona diuina est ens necessarium, & à se non minus quam Deus, & tamen persona diuina multiplicatur in Patre, Filio, & Spiritu sancto: ergo ex præscisa ratione entis, necessarij, & à se, non demonstratur immultiplicabilis Deus; aliter eadem argumenti forma, qua probatur vnicus tantum Deus demonstraretur vnica tantum persona, ut patebit applicanti formam argumenti; aliunde ergo vnitatem Dei comprobanda est.

41. Secunda demonstratio sumpta ex perfectione Dei simpliciter infinita, est: Quia si essent plura entia necessaria, & à se, vel essent plura specie distincta, vel numero tantum, vtroque modo implicat esse plura: ergo vnicum tantum est. Minor quoad vtramque partem probanda est. Quoad secundam, videlicet, implicare plura entia necessaria, & à se numero distincta, ostenditur argumento superiori, nam quod essentialiter existit, essentialiter est singulare. Quoad primam verò partem, scilicet, implicare plura entia necessaria, seu à se specie distincta, probatur, tam secundum perfectiones absolutas, quam relatiuas. Quando aliquod ens includit omnem perfectionem alicuius gradus, non potest multiplicari quoad perfectionem talis gradus; nam extra omnem perfectionem alicuius generis, dari aliquam eiusdem generis implicat euidenter: ens autem necessarium, & à se, includit omnem perfectionem possibilem in gradu existendi: ergo existentia entis necessarij, seu à se multiplicari non potest. Minor probatur, quia ens necessarium, & à se, est simpliciter infinitum in gradu existendi, cum excludat omnem limitationem, quin illius existentia destitui, impediri, vel immutari possit: quod autem est simpliciter infinitum in aliquo gradu, includit omnem perfectionem possibilem talis gradus omnemque limitationem excludit: ergo ens necessarium, & à se, includit omnem perfectionem possibilem in gradu existendi.

42. Nec discursus iste videtur demonstratio, vtpote inferens vnitatem Dei, eo quod sit ens necessarium, & à se; atque adeò simpliciter infinitum in gradu existendi. Nam relatiuum diuinum est ens necessarium, & à se, non minus quam absolutum. Vel ergo est simpliciter infinitum in gradu existendi, vel non? Si non sit: ergo absolutum neque tale erit ex præmissa ratione entis necessarij, & à se. Si est simpliciter infinitum cum hoc stat, esse in Deo tres reuelationes specie, & numero distinctas, & relatiuum vt sic non habere vnitatem simplicem, sed aggregationis ex omni relatiuo diuino: ergo ex præmissa ratione entis

Secunda demonstratio eo quod perfectio diuina simpliciter infinita sit, etiam insufficientis.

86 *Tra&t.I.De Essentia & Attributis Dei.*

necessarij, & à se, non demonstratur simplex vnitas specifica, aut numerica Dei. Nam ratio entis necessarij, & à se, solum dicit indefectibilitatem existentiae, quae scilicet, nec possit, nec potuerit non esse; non verò exclusionem alterius distincti, & similiter infallibilis in existendo; hæc enim exclusio in prædicatis absolutis Dei probanda est.

43. Dices, relatiuum diuinum comparari cum pluribus relationibus distinctis, ratione differentiarum Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passiuæ dicentium oppositionem relatiuam inter se; quam cum non dicant prædicata absoluta, nec est vnde plura esse possint. Fateor id verum esse, cæterum restat demonstrandum dari in Deo prædicata absoluta, quæ similem relatiuis oppositionem non dicant; idq; ex præmissa ratione entis necessarij, & à se ostendi non potest, cum sit ratio communis enti relatiuo, quod cum multiplici, & opposita differentia componitur: aliunde ergo vnitas Dei demonstranda est.

Vera & effi-
cax demon-
stratio vni-
tatis Dei ex
libertate de-
sumpta.

44. Placet demonstratio sumpta ex libertate. Nam si essent Plures Dij, vel ita essent concordēs vt vnus non posset velle, quod nollet alter, neque posset alter nolle, quod vellet iste: & hoc est euidenter falsum; tum quia nulla esset maior ratio, cur vnus potius raperet ad se voluntatem alterius, quam è contra: tum etiam quia nullus haberet dominium in alterius voluntatem; cum vnusquisque esset perfectè Dominus suæ libertatis, nec alteri subordinatus: ergo nullus posset necessitare alium ad volendum, quod nollet ipse. Vel ita constituerentur, vt vno nolente, equum v. g. existere, posset alter velle, & hoc etiam est euidenter falsum. Quia volente vno, & nolente altero, vel poneretur equus, vel non: sunt enim contradictoria. Si poneretur: ergo volens poni equum, potentior esset nolente, & consequenter solus ipse Deus, supremus omnium Dominus. Si non poneretur: ergo nolens poni equum potentior esset volente, & consequenter solus ipse Deus, & supremus omnium Dominus.

45. Confirmatur, nam euidens est supremum rerum omnium moderatorem esse liberum, cum hæc sit perfectio
sine

fin
sub
ral
qu
&
Mi
ren
fen
fen
ma
im
vel
erg
rab
go
pro
bon

A

46.

ti; n
cessa
Præ
biga
prio
quan
gicè
neg
quæ

sine imperfectione, & arguat dominium in omnia sibi subiecta: non autem posset esse liber, stante Deorum pluralitate, ergo plures esse non possunt. Minor probatur, quia duplex est tantum libertas, videlicet, contrarietatis, & contradictionis, neutram habere possent: ergo nullam. Minor ostenditur, quia quancumque libertatem haberent, possent adinuicem sibi contrariari, atque adeò possent inter illos inimicitiae irreparabiles, odia, & discordiae seminari, & totus orbis confundi, quin vllum esset tanto malo remedium: id autem lumine naturali dissonum est; imbune enim creaturæ diuidi possent, & Deum quem vellent sequi, & alterum odisse, ridere, & blasphemare: ergo neutram libertatem ex qua tantum, tamque irreparabile, malum oriri posset, habere valerent. Ad hæc ergo monstra vitanda pluralitas Deorum exterminanda prorsus est, & vnicus tantum Deus, qui indefectibilis à bono, & vero cuncta moderatur, admittendus.

S E C T I O IV.

*An existentia Dei possit à priori positiuè saltem
Logica, seu nostro modo concipiendi
Demonstrari.*

46. **D**Ixi positiuè; quia existentiam Dei posse à priori negatiuè, id est non à posteriori demonstrari; mihi certum est hoc, vel simili discursu. *Omne ens necessarium actu existit: Deus est ens necessarium: ergo existit actu.* Præmissas autem posse esse certas, & euidentes, quis ambigat? Difficultas ergo est; an existentia Dei possit à priori positiuè demonstrari, non quidem per causam, quam Deus nullam habere potest, sed per conceptum logicè seu ratione nostra priorem existentia. Prior sententia negat. Ita Albertus in sum. tract. 3. quæst. 17. Henricus quæst. 4. art. 22. P. Fasolus quæst. 2. art. 2. dub. 1. P. Artia-

Existentia
Dei potest, à
priori negatiuè
demonstrari.

Albertus,
Henricus,
P. Fasolus,
Scotus.

Okam.
Gabriel.
P. Soarius.

ga disp. 2. sect. 2. Et communiter Recentiores. Posterior sententia affirmat. Tuentur Scotus 1. dist. 2. quæst. 2. Okama distin. 3. quæst. 4. Gabriel ibid. P. Soarius tom. 2. Metaph. disp. 29. sect. 3. quamvis non vno omnes trahantur fundamento.

Existencia
attributorum
& relatio-
num potest
à priori po-
sitiuè de-
monstrari.

47. Affero primò, existentiam attributorum & relationum posse à priori positiuè demonstrari. Ratio est, quia attributa, & relationes, sunt posteriores essentia saltem Logicè, & mea opinione etiam virtualiter, & essentia prior titulo principij virtualis eorum omnium: ergo poterunt per essentiam positiuè à priori demonstrari, cum ad id, nisi de voce contendatur, non amplius opus sit, quam demonstrari per conceptum saltem Logicè priorem.

Similiter
etiam exi-
stentia in-
tellectonis
necessariæ
etiam si esset
Dei essentia.

48. Affero secundò, existentiam intellectiois actualis necessariæ, etiam si sit essentia Dei, posse positiuè à priori demonstrari. Probat, quia intellectio actualis necessaria est posterior, saltem Logicè, & mea opinione etiam virtualiter, intellectiuo diuino, hocque prius, titulo radicis, seu principij virtualis intellectiois necessariæ: ergo existentia intellectiois necessariæ poterit à priori demonstrari positiuè. Vnde à fortiori colliges, intellectioem liberam posse etiam positiuè à priori demonstrari, propter eandem rationem; idemque de volitione tam libera quam necessaria dicendum est. Quia omnia ista supponunt intellectiuum diuinum Logicè saltem, seu ratione nostrâ prius.

49. Potissima tamen difficultas est, An existentia intellectiuo diuini propriæ, quam supponimus nunc omnium primam; saltem Logicè, & ratione nostra possit positiuè monstrari à priori. Et quod de intellectiuo nos dicemus, in quacumque sententia controuerti potest de existentia propria illius conceptus, qui sit essentia Dei formalissima & primus omnium, cæterorumque radix, siue sit simplicissimus, siue Logicè, aut virtualiter compositus. An videlicet tota illius existentia valeat positiuè à priori demonstrari per essentiam, cum aliud non sit, vnde talis existentia, vtpote omnium prima ostendi possit.

50.
rita
est,
bu
radi
se ip
stitu
men
extr
con
actu
stitu
trin
talia
lem
tant
non
form
cum
logie
posi
51.
posse
seu r
strar
dat,
mou
ficiu
conc
vniu
perit
stent
post
52.
tem
suffic
go p

50. Ut clarius in sequentibus procedamus, duplex prioritas Logica, seu nostro modo concipiendi distinguenda est, vna cum fundamento intrinseco in ipsis perfectionibus, ratione cuius vna in se ipsa dici possit prior altera, seu radix illius. Quo pacto actus cognoscens rem aliquam in se ipsa vt priorem altera, si re ipsa intrinsecè talis est, constituit prioritatem logicam, seu formalem cum fundamento intrinseco. Altera est prioritas cum fundamento extrinseco desumpto à connotatis rei extrinsecis, eo quod connotatum vnus sit prius connotato alterius; quo pacto actus cognoscens rem in ordine ad connotatum, prius constituit prioritatem logicam, seu cum fundamento extrinseco, sicuti actus cognoscens distincta, quæ re ipsa talia sunt, constituit distinctionem logicam, seu formalem eum fundamento intrinseco, qui verò penes diuersa tantum connotata distinguit, si ea distinctioni virtuali non sufficiant, constituit distinctionem logicam, seu formalem. Quod si solum stet fundamentum extrinsecum, & non intrinsecum, prioritas illa poterit dici pure logica, vt pote fundamentum intrinsecum excludens. His positis, quæ iterum inferius firmabuntur.

Duplex prioritas logica, seu nostro modo concipiendi distinguitur.

51. Affero tertio, existentiam essentia diuinæ propriam posse per ipsammet essentiam, quatenus est ens à se logicè seu nostro modo concipiendi, positiuè à priori demonstrari, quæ prioritas erit purè logica, si virtualem excludat, de quo sect. sequenti. Missis aliquorum fundamentis, moueor, quia vt vna res sit logicè prior altera, duo sufficiunt. Primum est distinctio logica, seu nostro modo concipiendi vnus ab altero. Secum prioritas connotati, vnus, & posterioritas connotati alterius: vtrumque reperitur in essentia diuina, quatenus est ens à se, & in existentia necessaria: ergo & prioritas logica essentia, & posterioritas existentia. Vtraque præmissa probanda est.

Existentia essentia logicè à priori demonstrabilis per essentiam.

52. Maior igitur, scilicet, illa duo sufficere ad prioritatem logicam ostenditur. Nam distinctio connotatorum sufficiens est ad distinctionem logicam, seu rationis: ergo prioritas seu posterioritas eorundem sufficiens etiam

Requisita ad prioritatem logicam seu nostro modo concipiendi.

M erit

erit prioritati, & posterioritati logicæ, seu rationis. Probatur consequentia, quia ut duo conceptus logicè differant ratione nostrâ, non opus est, quod re ipsa intrinsicè, & ex parte obiecti distinguantur; sed satis est connotatorum diuersitas: ergo, ut vnus conceptus sit logicè prior ratione nostra, necesse non erit, quod re ipsa intrinsicè, & ex parte obiecti prior sit, sed satis erit prioritas, & posterioritas connotatorum. Qua ratione apprehensiuum prius est iudicatio, sensitiuum appetitio, rationale volitio, & risibili, si nulla esset distinctio virtualis inter illa, idemque est de omni essentia, respectu proprietatis solo nostro modo concipiendi ab illa distinctæ si quæ sit, quam non negant, imò expressè concedunt aduersarij nostri.

Instantia
sumpta à
virtute in-
tellectiua li-
berorum in
Deo.

53. Dices, illa duo prioritati logicæ non sufficere. Nam vis intellectiua, & volitua liberorum in Deo logicè distinguuntur, & connotatum virtutis volitiuæ, nempe volitio libera prius est connotato virtutis intellectiua, scilicet scientia similiter libera; nec tamen ea vis volitua prior est logicè virtute intellectiua, imò posterior cum vis intellectiua sit essentia, volitua verò proprietas, ut constabit ex dicendis de constitutio Dei. Idem meditari licet in creatis in virtute cognoscitiua per actus pendentes à libero voluntatis imperio ipsis priori; nam voluntas quatenus productiua actus imperantis prior logicè non est, virtute intellectiua per actus imperatos, etiamsi actus voluntatis imperans prior sit actu intellectus imperato, imò est posterior.

Vis intelle-
ctiua libe-
rorum in
Deo quo
pacto prior
& posterior.

54. Contra, quia vis intellectiua liberorum in Deo, est quidem titulo essentia logicæ prior, fundamento intrinsicè, virtute eorundem volitua, id tamen non obstat, quominus sit logicè posterior cum fundamento extrinsicè: ergo doctrina à nobis tradita circa prioritatem logicam vera est. Antecedens probatur, quia vim intellectiuam liberorum esse logicè priorem cum fundamento intrinsicè, est, concipi à nobis. ut radicem volitiui, & re ipsa talem esse, cum hoc autem optimè stat, cognosci à nobis eandem vim intellectiuam in ordine ad connotatum

notatum

notatum posterius connotato virtutis volitivæ, in quo stat posterioritas logica cum fundamento extrinseco: ergo vim intellectivam liberorum esse priorem cum fundamento intrinseco virtute eorundem volitiva, non excludit, eam esse posteriorem cum fundamento extrinseco, cum non excludat tale fundamentum, scilicet, connotatum posterius re ipsa tale. De ratione enim essentiæ habentis re ipsa connotatum posterius connotato proprietatis, non est priorem esse cum extrinseco fundamento, sed cum intrinseco tantum, si inter essentiæ, & proprietatem stet distinctio virtualis. Secunda verò instantia ab actu imperante voluntatis, & imperio intellectus petita, non est ad rem præsentem, nam ea posterioritas actus imperati est valdè per accidens, de qua non procedit nostra argumentatio, sed de sola prioritate, & posterioritate per se, de qua idem dicendum est in creatis, quod in divinis, si eodem modo se habeant intellectivum, & volitivum, eorumque actus in creatis, quo se habent in divinis; videlicet cum distinctione virtuali, prioritate actus voluntatis, & posterioritate intellectus.

55. Iam prioris syllogismi minor illa, scilicet, illa duo, nempe, distinctionem logicam, seu nostro modo concipiendi, & prioritatem connotatorum reperiri in essentiâ diuina, quatenus formaliter est ens à se, & in existentia necessaria, probatur. Nam essentiâ diuina quatenus formaliter ens à se, non stante inter eos conceptus distinctione virtuali est tota natura diuina se ipsa reddens impossibilem, omnem sui causam cum essentiâ diuinam esse à se non plus valeat, nec aliud sit formaliter, & explicitè, quam non esse, nec posse esse ab alio, videlicet causa, atque adè est tota natura diuina in ordine ad causam; quatenus verò existentia necessaria, non stante distinctione virtuali, est tota eadem natura se ipsa reddens impossibilem omnem sui meram possibilitatem, & futuritionem; atque adè est tota natura diuina in ordine ad meram possibilitatem, & futuritionem: sicut negata distinctione virtuali in creatis, homo vt formaliter rationa-

Ad prioritatem logicam in essentiâ diuina reperta omnia requisita.

92 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

lis est totus homo in ordine ad discursum ; & quatenus risibilis est totus homo in ordine ad risum : causa autem ex vna parte , & mera possibilitas , & futuritio , ex altera sunt connotata distincta , & distinctioni logicæ sufficientia : ergo essentia diuina , quatenus formaliter est ens à se , distincta est logicè ab existentia necessaria ; vnde ex hoc capite prioritas essentia , quatenus ens à se , & posterioritas existentia negari non poterit.

Connotata transcendentia non obstant distinctioni nostro modo intelligendi.

56. Dices , ad distinctionem logicam sufficere quidem connotata diuersa , dummodo transcendentia non sint , qualia sunt illa entis à se , & existentia necessaria. *Contra* , quia connotata esse transcendentia , nihil obstat , quo minus explicitè , & formaliter , perfectio diuina cognosci possit in ordine ad vnum , quin cognoscatur in ordine ad alterum ; aliter nulla perfectio diuina cognosci posset in ordine ad vnum connotatum , quin omnia prædicata communia , & omnia attributa transcendentia cum suis connotatis æquali distinctione , & claritate noscerentur , quod est contra manifestissimam experientiam : ergo connotata transcendentia non obstant distinctioni rationis.

57. Dices iterum ens à se reddere formaliter impossibilem , non solum omnem sui causam , sed etiam meram possibilitatem , & futuritionem. Quia vtraque ista dicit formaliter potentiam non existendi ; nihil enim potest esse mere possibile , aut futurum quod non possit non existere , vt est certum. Potentia verò non existendi essentialiter est à causa , atque adeo cum ens à se formaliter reddat impossibilem omnem sui causam , reddet quoque impossibilem potentiam non existendi , & cum ea meram possibilitatem , & futuritionem. Idemque est de existentia necessaria , cum enim ista reddat impossibilem effectum , scilicet meram possibilitatem , & futuritionem , etiam reddit impossibilem illius causam.

Ens à se qua ratione connotet meram possibilitatem , & futuritionem.

58. *Contra* , quia id solum probat , ens à se formaliter mediatè reddere impossibilem ; meram possibilitatem , & futuritionem , quatenus videlicet immediatè reddit impossibilem causam , à qua potentia non existendi , imbibita

ta in mera possibilitate, & futuritione, dependet. Idemque è contra est de existentia necessaria. Id autem non obstat distinctioni logicæ, cum connotata immediata entis à se, & existentia necessaria sint diuersa; & patet in scientia diuina, nam licet cognitio directa effectus indirectè respiciat causam, distincta est nostro modo concipiendi, à cognitione directa causæ; idemque est de cognitione directa Paternitatis, & indirecta Filiationis respectu cognitionis directæ Filiationis, & indirectæ Paternitatis, & mille aliis.

59. Quod verò connotatum directum entis à se prius sit connotato directo existentia necessaria, quæ erat secunda illius minoris pars, ostenditur. Nam connotatum directum entis à se est causa, cum ens à se idem sit, ac ens non ab alio, scilicet causa: connotatum verò existentia necessaria est effectus causæ, cum sit mera possibilitas, & futuritio, quæ vtraque effectus est causæ; cum potentia non existendi in illis imbibita sit effectus causæ: causa autem prior est effectu: ergo & connotatum entis à se directum, prius erit connotato directo existentia necessaria.

Connotatum entis à se prius est connotato existentia necessaria.

60. Confirmatur, nam mera possibilitas, & futuritio entis sunt effectus causæ potentis producere, & non producere tale ens: ergo mera possibilitas, & futuritio Dei erunt effectus causæ potentis producere Deum, qui effectus sine dubio posterior esset, causa vero prior. Conceptus autem entis à se connotat causam Dei reddens illam prorsus impossibilem, conceptus verò existentia necessaria connotat meram possibilitatem, & futuritionem reddens similiter impossibilem vtramque: ergo connotatum entis à se prius est connotato existentia necessaria; cum vnum sit effectus, alterum verò causa illius.

61. Obijcies primò, nos tractatu de voluntate disp. 1. sæpius negasse prioritatem purè logicam, quam nunc admittimus, eo quod vt vna res sit logicè prior altera, debet cognosci à nobis vt prior, & vt ita bene concipiatur, debet re ipsa prior esse, nam alioqui res conciperetur à nobis aliter ac est in se; & cum prædicato sibi repugnante,

94 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

quod chymera potius esset, quam prioritas. *Respondeo* negatam ibi esse à nobis prioritatem purè logicam, non tamen omnem, sed illam, quæ est cum fundamento intrinseco, qualem intendimus esse illam, quæ reperitur, inter essentiam, & voluntatem diuinam, & inter voluntatem, & volitionem, de quibus ibi sermo erat. Nam ad huiusmodi prioritatem logicam, debet perfectio in seipsa intrinsecè concipi à nobis vt prior, ad quod opus est, esse reipsa priorem, & non tantum penes nostros conceptus temporales, & contingentes. Hæc autem non excludunt prioritatem purè logicam cum fundamento purè extrinseco, quam nunc admittimus.

Quomodo
actus consti-
tuens priori-
tatem logi-
cam obje-
ctum attin-
gat.

62. Sed instabis, nam illud idem fundamentum militat etiam in prioritate purè logica cum fundamento extrinseco, nam actus constituens illam debet cognoscere perfectionem, quatenus priorem: ergo debet in se esse prior. *Respondeo* negans antecedens, sicut enim actus distinguens purè logicè aliquam perfectionem, non cognoscit illam vt distinctam, sed distinguit cognoscendo illam in ordine ad vnum connotatum; ita actus constituens prioritatem purè logicam non cognoscit perfectionem, vt priorem, sed constituit priorem, cognoscendo illam in ordine ad connotatum prius. Quod si huiusmodi perfectio vt prior cognoscenda sit, id per actum reflexum contingere necessesse est, non minus, quàm vt distincta cognoscatur.

Ens à se quàm
meram possi-
bilitatem
& futuritionem
reddat
impossibile.

63. Obijcies secundò, ens à se non solum reddit impossibile omnem sui causam existentem, sed etiam merè possibilem & futuram: ergo reddit impossibile meram possibilitatem, & futuritionem. *Respondeo* concessio antecedenti, distinguens consequens, reddit impossibile meram possibilitatem, & futuritionem causæ, concedo: meram possibilitatem, & futuritionem sui, id est, ipsius Dei, nego; istam enim formaliter sola existentia necessaria reddit impossibile, quam distinctam esse, à mera possibilitate, & futuritione causæ, quis ambigat?

Causa quantum
uis im-
possibilis

64. Obijcies tertio, causa impossibilis, non est prior effectu similiter impossibili: causa autem Dei est impossibilis,

bil
fun
ma
li e
Et
om

A

65.

re, q
Prin
non
aut
esse
tum
bis,
aut
prin
tur,
proc
ducc
tio
ipsu
sed
exist
uina
stent
ctam
sed a

bilis, similiterque mera possibilitas, & futuritio : ergo non sunt connotata priora, & posteriora. *Respondeo* distinguens maiorem, causa impossibilis non est prior prioritate reali effectu impossibili, concedo : prioritate rationis, nego. Et concessa minori neganda est consequentia. Quia omnis causa, modo, quo est causa, est prior effectu.

S E C T I O V.

An existentia necessaria essentia propria possit à priori demonstrari per ipsammet essentiam virtualiter priorem.

65. **A**sferendum est, non posse. Quam assertionem multis cum Arriaga tentant Recentiores stabilire, quæ aliquibus insolubilia visa sunt, mihi tamen non ita. Primò ergo argumentantur ita, supponentes essentiam non posse esse virtualiter priorem existentia, nisi sit radix, aut principium virtuale illius, cum ea prioritas non possit esse in quo, nec dependentiæ ab independenti, sed tantum, à quo originis. Quæ suppositio, non displicet nobis, & ea posita argumentantur ita. Si essentia esset radix, aut principium virtuale suæ existentia, esset quoque principium sui ipsius : id implicat : ergo. Sequela probatur, quia esse principium alicuius, aliud re non est, quam producere illius existentiam : ergo essentia divina, si produceret sui existentiam, principium esset sui ipsius. Ratio ista intentum non euincit. Nam idem producere se ipsum non est utcumque producere suam existentiam, sed producere suam existentiam, sed producere suam existentiam indistinctam ab essentia : essentia autem divina producens suam existentiam, non produceret existentiam indistinctam virtualiter ab essentia, sed distinctam; atque adeò non esset virtuale principium sui ipsius, sed alterius distincti, scilicet existentia.

Existentia necessaria demonstrabilis non est per essentia virtualiter priorem. Prima ratio quia essentia esset principium sui ipsius.

66. Instare posses, si existentia creata distingueretur realiter ab essentia, non alia ratione produceretur essentia, quam productione existentiae, & qui causaret existentiam, hoc ipso causare diceretur essentiam: ergo si essentia diuina produceret suam existentiam, quantumuis distinctam, hoc ipso produceret se ipsam. Facile responderi potest, negando consequentiam. Nam in eo casu, qui produceret existentiam, eadem actione, vel distincta, simul etiam produceret essentiam, non præcisè quia produceret existentiam, sed quia vna cum illa simul etiam produceret essentiam; quod si sola per impossibile produceretur existentia, non inde producta foret essentia. In nostro autem casu essentia manet improducta, titulo entis virtualiter à se, & sola existentia virtualiter produceretur; atque adeò essentia non produceret se ipsam, etiamsi suam produceret existentiam.

Secunda probatio quia essentia distinguenda esset virtualiter à se ipsa.

67. Argumentatur secundo, si essentia diuina esset radix virtualis existentiae, fieret, existentiam diuinam distinguendam esse virtualiter à semetipsa, quod planè implicat: ergo. Sequela probatur; nam quælibet res possibilis talis est naturæ, vt etiam ex suppositione quod actu existat, possibilis sit; possibile enim est, quod si esset nihil implicaret, id est, quod cum suppositione existentiae nullam dicit contradictionem: ergo essentia diuina cum suppositione existentiae possibilis erit: ergo si vt possibilis esset radix existentiae, etiam cum suppositione existentiae esset radix existentiae, cum vt sic possibilis sit: non autem esset radix existentiae distincta, ab existentia supposita: ergo eiusdem. Vnde eadem existentia, vtpote radix, & terminus distincta esset virtualiter à semetipsa.

Aperitur præcedentis rationis æquiouocatio.

68. Hæc tamen ratio æquiouoca est. Permitto essentiam diuinam esse logicè possibilem sub conditione, non implicantis existentiae, seu cum suppositione illius; nego tamen vt sic possibilem, esse radicem existentiae. Tantum enim essentia radix est, quatenus absolutè possibilis, seu quatenus absolutè exigens suam existentiam producere, & nihil eam implicare, quo pacto existentia, nec inada

ina
est
rac
66
pe
no
sen
cur
tio
prin
lita
act
esse
act
exi
esse
ead
70.
eni
rad
den
dici
& d
& p
non
lis,
supp
cept
ditu
71.
disti
pote
Nan
se ip
ram
fenti
intel

inadæquatè ingreditur conceptum radicis, sed tantum est purus terminus illius. Vnde existentia, nec sui ipsius radix est, nec à semetipsa distincta.

69. Instant; Nam essentia diuina non solum se habet per modum potentis radicare existentiam, qua ratione nostra solutio sustineri posset; sed etiam per modum essentialiter actu radicantis: id autem competit essentia cum suppositione existentia: ergo essentia cum suppositione illa erit actualis radix existentia. Minor probatur, *primò*, quia essentia non potest actu radicare sine actualitate, seu existentia habita, quomodo enim erit radix actualis, nisi supponatur cum actualitate: ergo essentiam esse actu radicantem competit illi cum suppositione actualis existentia. *Secundò*, quia essentiam actu radicare existentiam, conuenit illi ratione possibilitatis: ergo cum essentia sit possibilis cum suppositione existentia, cum eadem suppositione radicabit illam.

70. Hæc instantia melior est, sed aliunde vrgenda, dici enim posset, essentiam diuinam dici essentialiter actu radicare, seu radicem actualem existentia, non ab eodem conceptu, sed diuersis. Nam radix existentia est, & dicitur à possibilitate absoluta tantum; actualis verò est, & dicitur ab ipsa existentia, cuius essentialiter est radix, & per quam actu, & essentialiter existit. Vnde essentia non est radix vna cum suppositione existentia; sed actualis, siue existens per talem suppositionem; atque adeò suppositio existentia non intrat adhuc inadæquatè conceptum radicis, sed tantum est id, quo integra radix, redditur formaliter, & denominatur existens, & actualis.

71. Argumentatur tertio, essentia diuina non potest distingui virtualiter ab existentia necessaria: ergo neque poterit esse virtualis radix illius. Antecedens probatur. Nam existentia diuina necessaria est formaliter perfectio se ipsa reddens impossibilem omnem futuritionem, & meram possibilitatem essentia, hoc idem est formaliter essentia: ergo. Minor probatur, nam essentia est formaliter intellectuum virtualiter à se: hoc formaliter se ipso red-

Qua ratione
essentia di-
uina sit &
dicatur ra-
dix actualis
existentia.

Tertia ratio
probans
identitatem
virtualem
essentia, &
existentia.

dit impossibilem omnem sui futuritionem, & meram possibilitatem: ergo. Minor ostenditur, nam de ratione meræ possibilitatis, & futuritionis est, posse rem non existere: ergo quod talem potentiam redderet formaliter impossibilem, quoque redderet formaliter impossibilem meram possibilitatem, & futuritionem: sed intellectuum à se reddit eam potentiam impossibilem: ergo etiam meram possibilitatem, & futuritionem. Minor probatur, nam potentia non existendi, quam habent futura, & mere possible essentialiter est à causa: sed intellectuum à se reddit impossibilem omnem sui causam: ergo & potentiam non existendi, utpote pendentem essentialiter à causa.

72. Respondeo essentiam diuinam, si in intellectu realiter, & virtualiter à se consistat, de quo infra, reddere quidem impossibilem omnem sui causam, & simul etiam potentiam non existendi, & cum ea meram possibilitatem, & futuritionem, idemque præstare existentiam, sed modo longè diuerso. Nam essentia formaliter, & immediatè tantum reddit impossibilem omnem sui causam; potentiam verò non existendi, & cum ea meram possibilitatem, & futuritionem, mediatè, ratione impossibilitatis causæ, à qua pendet. Existentia verò necessaria è contra, formaliter, & immediatè solam reddit impossibilem potentiam non existendi, & cum ea meram possibilitatem, & futuritionem, mediatè verò causam, à qua pendet, quo solo non probatur indistinctio virtualis essentia ab existentia.

Quarta probatio sumpta à repugnantia essentia diuinæ cum omni prædicato finito, & limitato.

73. Arguitur quartò, diuinæ essentia in quocumque consistat, repugnat prædicatum finitum, & limitatum cuiuscumque generis; atque adeò reddit illud impossibile: potentia autem non existendi est prædicatum finitum, & limitatum alicuius generis: ergo essentia diuina reddit eam potentiam impossibilem; atque adeò etiam futuritionem, & meram possibilitatem, imbibentes formaliter potentiam illam. Maior probatur, nam prædicato in aliquo genere simpliciter infinito repugnat coniungi cum prædi

prædicato finito, & limitato cuiuscumque generis: ergo cum intellectio diuina simpliciter infinita sit in proprio genere, repugnabit illi prædicatum finitum, & limitatum cuiuscumque generis. Responderi posset, essentiæ diuinæ, in proprio genere simpliciter infinitæ repugnare ratione sui, formaliter, & immediatè solum prædicatum finitum in genere intelligendi; cætera verò mediatè, ratione aliarum perfectionum, quarum essentia radix est. Sic limitatio quoad durationem, & præsentiam, repugnat essentiæ ratione immensitatis, & æternitatis, & limitatio in virtute productiua ratione omnipotentæ, & limitatio in ~~id~~ volendo ratione volitionis infinitæ, &c.

74. Probatur ergo primò conclusio nostra, nam essentia diuina non potest distingui virtualiter ab existentia sua necessaria, ergo neque poterit esse virtualiter prior illa. Antecedens probatur, nam vt ostendi in metaphysica, existentia in quolibet ente est ipsummet esse, seu constitutum illius, non solum realiter, sed etiam virtualiter: ergo existentia necessaria propria essentiæ erit ipsummet esse, seu constitutum essentiæ; atque adeo distingui virtualiter non poterit ab essentia. Antecedens ex ibi dictis breuiter ostenditur, nam si existentia distincta foret, virtualiter ab essentia, ab eundem esset in infinitas virtualitates essentiæ, & existentia, cuius rei nulla est necessitas, aut fundamentum: ergo. Antecedens probatur, nam virtualitas existentia, quatenus ab essentia distincta, habet suam essentiam, & constitutum: ergo iterum esset ab ea essentia, seu constitutiuo virtualiter distinguenda. Deinde virtualitas existentia secundo distincta ab essentia, etiam haberet suam essentiam, seu constitutum ob eandem rationem: ergo esset tertio distinguenda in infinitum.

75. Confirmatur primò, quia in creatis ratio distinguendi realiter, aut virtualiter essentiam, & existentiam, est, quia essentia est contingenter existens, id est, non necessario existens, vt ibidem explicui: hæc autem ratio non militat in essentia diuina, quæ non contingenter existit,

Nostra conclusio probatio, quia essentia distincta nõ est ab existentia.

Etiam si in creatis essentia, & existentia distinguantur, non ita in diuinis.

sed omnino necessario : ergo neque militat ratio distinguendi illam à sua existentia. *Confirmatur primo*, nam Exodi 3. roganti Moyse, quod tibi nomen est. Respondit Deus: *Ego sum, qui sum, & sic dices filiis Israël, qui est misit me ad vos.* Nomen autem sapienter impositum indicat rei naturam, & essentiam, testante Aristotele 4. Metaph. textu 28. Ratio, inquit, quam nomen significat, est definitio : ergo cum Deus nomen assumpserit ab existentia, hæc natura erit, & essentia illius. Secundo, quia existentia relationum & attributorum non est virtualiter ab ipsis distincta, ut attigimus tract. de Trinitate disp. 12. sect. 5. ergo neque existentia essentia erit virtualiter ab ea distincta.

Conceptus
entis à se nõ
exigit pro-
ductionem
existentia.

76. Confirmatur secundo, quia si existentia necessaria esset virtualiter ab essentia distincta, maxime, quia essentia est virtualiter à se, qui conceptus saluari non potest, nisi essentia esset virtualis radix suæ existentia, cum esse à se, idem sit, ac à semetipso existentiam habere : Hoc autem fundamentum nullum est : ergo. Minor probatur primo, quia essentia diuina non solum est ens virtualiter à se, sed etiam est ens realiter formaliter à se : conceptus autem entis formaliter realiter à se saluatur hoc præcisè, quod non sit ab alio, etiamsi non sit radix, aut principium reale formale suæ existentia : ergo pariter conceptus entis virtualiter à se saluus erit, hoc præcisè, quod non sit virtualiter ab alio, etiamsi non sit radix, aut principium virtuale suæ existentia. Secundo quia sicut essentia est virtualiter à se existens, ita etiam est à se absolute subsistens, intellectiua, spiritualis, illimitata, &c. id autem sufficiens fundamentum non est, ut essentia diuina asseratur principium, aut virtualis radix subsistentia absolutæ, virtutis intellectiua, spiritualitatis, illimitationis, &c. ergo neque ut asseratur radix virtualis existentia necessaria.

Secunda no-
stra conclu-
sionis proba-
tio, quia
prius est esse,
quam ope-
rari.

77. Secundo probatur conclusio, nam essentia non potest alio titulo distingui virtualiter ab existentia, nisi quia radix sit, aut principium virtuale illius, diuersa enim connotata, aut æquivalenciam rebus distinctis non sufficere ad distinctionem virtuale in Deo, mihi certum est; nec aliunde

aliunde seorsim à conceptu radicis, aut principij assignari posse prædicata contradictoria, videtur clarum; negata enim ratione principij, aut radicis, quid dici poterit intrinsecè de essentia, quod idem verè negatur de existentia? Implicat autem essentiam diuinam esse radicem, aut principium virtuale suæ existentia: ergo & distingui virtualiter ab illa. Minor probatur, nam prius est esse, quam operari, vt vnanimis omnes Philosophi, de connaturali operatione tuentur; id est, res ante omnem sui operationem præcedere debet vna cum existentia prioritate à quo: ergo existentia diuina non potest esse operatio essentia, cum existentia non possit adhuc virtualiter præcedere seipsam, aliter esset principium sui ipsius.

78. Confirmatur primo, essentia diuina, vt actu sit virtualis radix attributorum, prioritate à quo vna cum existentia præcedere debet existentiam attributorum, & persona Patris, vt actu Filium producat, prioritate à quo, vna cum existentia præcedere debet existentiam Filij: ergo etiam essentia, vt esset actu radix virtualis suæ existentia, prioritate à quo, vna cum existentia præcedere deberet ipsammet existentiam: id implicat; fieret enim eandem existentiam esse radicem sui ipsius, & consequenter à seipsa distingui, ergo. Quod si duplicem existentiam impingas essentia, vnã priorem, & posteriorem alteram. Rogo, an essentia sit radix prioris existentia, vel non? si primum, prior illa existentia supponet aliam, cum non minus, sit ab essentia, quam posterior, & de illa idem procedat argumentum. Si essentia non sit radix prioris existentia: posterior inutilis omnino est, cum ante illam iam Deus supponatur existens, & nihil speciale habeat præter esse virtualiter productam, quo solo fundamento diuinæ perfectiones multiplicari non possunt.

79. Confirmatur secundo, essentia diuina non esset tantum radix possibilis existentia suæ, sed potius actualis, cum actu, & non potentia tantum inferret illam: ergo præcedere debet existentiam suam, non solum secundum possibilitatem, sed etiam secundum actualitatem, siue exist-

Instantia in
diuinis idem
firmantes.

stentiam. Probatur consequentia, quia res actu inferens aliam aliquid addit ex parte principij ultra præcisam possibilitatem illius; non nisi existentiam: ergo existentia essentia præcedere deberet illam existentiam, cuius esset radix actualis: id implicat, vt ostensum est: ergo & essentiam esse radicem suæ existentia. Confirmatur tertio, nam productio actu existens necessario est ad terminum existentem, quem actu producit: ergo etiam à principio existente, & non tantum possibili, à quo producitur actu.

80. Dices, hoc vltimum fundamentum nostrum probare contra nos, essentiam, quatenus ens à se, non posse esse priorem existentia necessaria nostro modo intelligendi. Nam essentia prioritate à quo præcedere deberet omnem sui operationem: ergo existentia non potest esse adhuc nostro modo concipiendi operatio essentia; quia sicut res, vt operetur, præcedere debet existens; ita vt concipiatur operans, concipi debet præcedere existens. Quod eisdem nostris instantiis vrgeri potest. *Respondeo*, negans sequelam. Disparitas inter prioritatem virtuale m, & pure logicam est, quia vna est intrinseca, altera extrinseca à connotato rationis priori, vnde ista non exigit, quod res concipienda sit præcedens quoad perfectionem intrinsecam, sed satis est concipi in ordine ad connotatum extrinsecum prius, vt dictum est sectione præcedenti.

SECTIO VI.

*An existentia Dei eiusque vnitas certo nobis
constent fide diuina.*

81. **P**osuius in superioribus existentiam Dei, eiusque vnitatem constare nobis euidenter ratione naturali; quærimus modo, an certo constent fide. Id est, an sicut per demonstrationem naturalem scire possumus,
&

& de facto scimus, Deum esse, & vnicum esse; ita per actum fidei diuinæ certo credere possimus, & de facto credamus eandem veritatem; quo assensu, utpote re ipsa infallibili, certissimi de existentia Dei, eiusque vnitatem maneamus. Hæc difficultas coincidit in illam, solitam agitari tract. de fide, an videlicet assensus scientificus pugnet cum assensu fidei, eiusdem obiecti; si enim id non repugnet, neque subsistere potest fundamentum; unde existentia Dei, eiusque vnitatem fide diuina credi non possit, eo quod scientia naturali cognoscatur.

82. *Prior sententia* docet existentiam Dei, & vnitatem eius, non posse fide diuina credi ab hominibus sapientibus, & clarè aliunde scientibus, Deum existere, vnumque esse. Ita communiter Thomistæ, Caietanus, Capreolus, Canus, Zumel, Scotus, Richardus, P. Molina, & alij apud P. Valentiam disp. 1. de fide punct. 4. quæst. 1. §. 2. Et P. Soarium disp. 3. sect. 9. num. 1. *Posterior sententia* tueretur, existentiam Dei, eiusque vnitatem, posse, & debere fide diuina credi ab omnibus, quantumuis sapientibus, non obstante naturali euidencia illius veritatis. Ita Magnus Doctor P. Soarius disp. 3. de fide sect. 9. num. 7. P. Valentia disp. 1. de fide punct. 4. quæst. 1. §. 2. P. Coninch ibid. disp. 11. dub. 15. P. Hurradus ibid. disp. 30. sect. 2. Cardinalis de Lugo disp. 2. etiam de fide sect. 2. P. Ouiedus ibid. controu. 7. num. 32. Eandem sententiam tenent Alexander, Alensis, Albertus Magnus, Altisiodorensis, Bonauentura, apud citatum Valentiam; & etiam Catherinus in cap. 11. Epist. ad Hebræos. Vbi etiam noster Salmeron.

83. Affero primò, existentiam Dei, vnitatemque eius, posse, & debere fide diuina credi, saltem virtualiter, & implicite, etiam ab hominibus sapientibus eam veritatem naturali euidencia penetrantibus. Probat, quia Deus vnicus, fide diuina potest, & ab omnibus etiam sapientibus, credi debet, terræ, cælique creator, incarnatus, saluator, & redemptor, ut est certum: ergo credendus est, saltem implicite, & virtualiter existens.

Proba

Caietanus.
Capreolus.
Canus.
Zumel.
Scotus.
Richardus.
P. Molina.
P. Soarius.
P. Valencia.
P. Coninch.
P. Hurradus.
C. de Lugo.
P. Ouiedus.
Alexander.
Alensis.
Albertus M.
Altisiodorens.
S. Bonauent.
Catherinus.
P. Salmeron.

Existencia
Dei eiusque
vnitas im-
plicite pos-
sunt ab om-
nibus fide
diuina
credi.

Probatur consequentia, quia creator esse non potest, nec incarnatus, neque saluator, aut redemptor qui non existit: ergo credendus quoque est existens saltem implicitè, & virtualiter: vel propter necessariam connexionem creationis, redemptionis, aut incarnationis cum existentia creantis, redimentis, aut incarnati, vel quia creans, redimens, &c. imbibit existentiam creantis, & redimentis. *Confirmatur*, idè assertens, Petrum legere, aut currere, virtualiter, & implicitè asserit, Petrum existere, quia concretum legentis, & currentis includunt existentiam subiecti: concretum autem creantis, redimentis, &c. includit existentiam subiecti creantis, aut redimentis: ergo qui asserit Deum creare, virtualiter, & implicitè asserit, existere; maximè cum assensus fidei nittatur testimonio Dei dicentis; atque adè virtualiter asserat, Deum dicere: ergo, & Deum existere.

84. Dices, eos actus, nec virtualiter, aut implicitè asserere, existere subiectum, sed supponere eam veritatem assertam per alium actum; cuius carentia necessaria erat ad implicitam, & virtualem affirmationem existentia subiecti.

Fides implicita & virtualis declaratur, & munitur.

85. Contra, quia actus qui est virtualis, & implicita affirmatio alicuius obiecti, talis permanet etiam si coniungatur illi formalis affirmatio illius, sic propositio hæc vniuersalis, *Omnis homo est redemptus*, quia implicitè continet hanc singularem, *Petrus est redemptus*, permanet implicitus assensus Petri redempti, etiam si coniungatur illi eiusdem Petri explicitus assensus. Insuper, quia affirmatio alicuius prædicati est virtualis, & implicita negatio oppositi, talis permanet, etiam si coniungatur illi actus explicitè negans oppositum prædicatum. Rursus præmissæ sunt virtualis assensus conclusionis obiectiuæ, etiam si illis formalis conclusionis assensus coniunctus sit, nec possit non coniungi. Prætereà electio mediæ propter intrinsecam conducibilitatem illius ad finem, est virtualis amor finis, quamuis formalis eius amor, scilicet intentio sit illi coniuncta; idemque est de contritione, que virtualis

lis
erg
fun
fen
var
fen
86.
pos
uin
exi
son
erg
terc
extr
vnu
crec
Pau
quia
plac
illa
re.
ad D
de, c
Dei
87.
non
Dei
strah
scien
rium
nibu
de ex
88.
dispo
6. cap
dum
piente

lis est amor Dei, etiam si illi formalis amor coniungatur: ergo. Et ratio omnium est, quia huiusmodi actus non sunt contingenter, aut extrinsecè virtualis amor, aut assensus obiecti, sed intrinsecè ex modo tendendi, qui variari non potest per accessum formalis amoris, aut assensus.

86. Affero secundò, existentiam Dei, vnitatemque eius, posse, & deberi, etiam à sapientibus, fide explicita diuina credi. Probatum primò, quia in scripturis sacris existentia Dei, eiusque vnitatis, absque exceptione personarum, proponitur omnibus fide diuina credenda: ergo etiam sapientibus. Antecedens probatur. Nam Deuteronomij 4. dicitur. *Dominus ipse est Deus, & non est alius extra se.* Psalm. 85. *Tu es Deus solus.* Et in symbolo. *Credo in unum Deum.* In quibus vnitatis Dei explicitè proponitur credenda. Existentia verò Dei apertissimè proponitur à Paulo. Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et Paulo ante dixerat, sine fide impossibile est placere Deo; & explicans Apostolus, quænam sit fides illa necessaria; eam esse ait, qua credatur Deum existere. Nunc ita, omnes, quantumuis sapientissimi tenentur ad Deum accedere: id autem præstari non potest sine fide, qua credatur Deum esse: ergo ab omnibus existentia Dei credenda est.

Existentia Dei eiusque vnitatis fide diuina explicata ab omnibus credi possunt.

87. Respondet primò Caietanus, ex verbis Apostoli non conuinci necessariam fidem diuinam, de existentia Dei; sed tantum assensum aliquem certum, quatenus abstrahit ab assensu supernaturali fidei diuinæ, & naturali scientiæ, & alterum eorum intendere Paulum necessarium esse omnibus accedentibus ad Deum. Vnde in omnibus doctoribus, in quibus stat assensus naturalis euidentis de existentia Dei, fides diuina necessaria non est.

Prima responsio Caietani, & sectatorum eius.

88. Contra, nam ibi loquitur Apostolus de fide, quæ est dispositio ad iustificationem, vt definit Tridentinum sess. 6. cap. 6. his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum credentis vera esse, quæ diuini-*

Expulsa Caietani responsio ex Tridentino.

ius reuelata & promissa sunt. Et statim subiungit. *De hac dispositione scriptum est, Antecedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Scientia autem naturalis, Dei existentiam ex creaturis demonstrans, dispositio esse non potest ad iustificationem: ergo Apostolus non loquitur de assensu certo, quatenus abstrahit ab assensu fidei diuinæ, & naturali scientiæ, sed de solo assensu fidei diuinæ; cum solus iste ad iustificationem possit esse dispositio. Minor probatur, tum quia cognitio naturalis sufficiens de se non est, ad mouendam voluntatem ad contritionem, vel amorem Dei supernum, quæ sunt vltima ad iustificationem dispositio. Tum etiam, quia assensus scientificus naturalis de existentia Dei neque est ex auditu, neque ad illam libere mouemur, sed potius cogimur, & necessitatur ab euidencia obiecti; fides autem necessaria ad iustificationem ex Apostolo, & à Tridentino declarata, est fides ex auditu, & quæ libere concipitur à nobis: ergo non est actus scientiæ naturalis, & necessarius de existentia Dei.

89. Confirmatur, nam fidei nomen ex mente Pauli assensum indicat obscurum, est enim, vt ipse ait Apostolus, argumentum non apparentium: scientia autem naturalis de existentia Dei, nec obscura est, nec argumentum non apparentium: ergo ad mentem Pauli nulla verborum proprietate, nec stabili fundamento poterit illi nomen fidei coaptari, sicut illi obscuritatis nomen compingi non potest, scientia enim clara est, & argumentum apparentium: ergo ad mentem Apostoli fidei nomen violentum est illi; sicut nomen scientiæ assensui obscuro violentum esset.

Secunda responsio
Canis reiecta.

90. Secundò responderet Canus lib. 12. locis Theologicis cap. 4. esse quidem necessariam fidem de existentia Dei, vt authoris supernaturalis, non verò vt authoris naturalis. Contra. Nam Apostolus in eo loco duo ad iustificationem proponit fide diuinam credita, videlicet, & Deum esse, quod ad ordinem naturalem spectat, & remuneratorem esse, quod ad ordinem supernaturalem pertinet; ait enim *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus*

bus se remunerator sit : ergo Apostolus non minus statuit necessariam fidem Dei, vt authoris naturalis, quam superni, cum vtrumque clarissimè exprimant Apostoli verba sincere accepta. *Confirmatur*, nam si habens aliunde euidenciam de existentia Dei, vt authoris naturæ, non posset eandem existentiam fide diuina credere, prioris esset conditionis homo sapiens, quam rusticus, & idiota; cum iste eam veritatem per fidem meritoriam, & supernaturalem credere posset, quod doctus, & sapiens præstare non valeret.

91. Dices, non fore sapientes deterioris conditionis, nam licet actu fide diuina non credant existentiam Dei, vt authoris naturæ, parati tamen sunt ad credendam illam si scientia abesset. *Contra*, quia, ea animi præparatio non est actu credere, aut per fidem mereri, sed habere voluntatem conditionatam credendi si scientia abesset: ad iustificationem autem omnis adulti, saltem primam, necessaria est vera, & absoluta fides; vera, & absoluta voluntas credendi; vt tract. de iustificatione ostendimus: ergo cum sapientes solam haberent voluntatem conditionatam credendi iustificari non possent; atque adeò deterioris essent conditionis, quam idiotæ, & rustici, qui id per veram fidem præstare valerent. Sicut qui solam habere posset voluntatem conditionatam contritionis, & dilectionis Dei super omnia, peioris esset conditionis illo, qui ipsam contritionem, & dilectionem concipere valeret, eo quod nullus sola voluntate conditionata contendi iustificari possit: sed neque potest sola voluntate conditionata credendi ad iustificationem disponi, cum necessaria sit ipsa vera fides, sicut necessaria est ipsa contritio: ergo.

Effugium
præcluditur.

92. Probatur secundò conclusio: Si sapientes fide diuina credere non possent existentiam Dei, idemque est de vnitatem, maximè, quia scientiam haberent talis existentia, cui fides, vt pote obscura, coniungi non posset: id falsum est: ergo. Maior, est vnicum aduersariorum fundamentum. Minor probatur primò, nam cum scientia existen-

Scientia &
fides de
eodem ob-
iecto com-
poni pos-
sunt.

tix Dei coniungi potest hæc cognitio. *Quidquid Deus dicit verum est*, & etiam coniungi potest ista altera, *Deus dicit se existere*, cum ea legi posset à sapientibus in scripturis: ergo & poterit coniungi conclusio ista: *ergo Deus existit*, cum suppositis præmissis necessario sequatur: huiusmodi autem conclusionis assensus est obscurus de existentia Dei, cum altera præmissarum videlicet, *Deus dicit existere*, obscura sit eiusque veritas, motiuum conclusionis: ergo cum actu scientiæ coniungi potest actus obscurus eiusdem obiecti: ergo & assensus fidei, sola enim obscuritas in sententia aduersariorum obstaculum erat.

93. Eadem minor probatur secundò. Nam scientia componi potest cum fide implicita eiusdem obiecti, vt ostendimus assertatione 1. ergo & cum explicita componi posset. Probatur consequentia. Tum quia fides implicita, modo, quo fides est, obscura est. Tum etiam quia habens actum, qui virtualiter & implicite assensus est alicuius obiecti, habere quoque potest assensum formalem eiusdem: sciens autem existentiam Dei habet vna cum scientia implicitum fidei assensum eiusdem existentix: ergo & coniungere poterit explicitum. Maior probatur instantiis à nobis adductis, num. 83. Quibus præoccupata etiam est aduersariorum responsio, si fortè dicant, ad concipiendum explicitum fidei assensum necessariam esse carentiam scientiæ. Tum quia carentia, quæ necessaria non est ad implicitum assensum, neque ad explicitum necessaria esse potest; carentia autem scientiæ necessaria non est ad implicitum fidei assensum de existentia Dei, vt ostensum est: ergo neque ad explicitum necessaria erit. Tum etiam, quia actus implicitus alicuius obiecti coniungi potest cum explicito eiusdem. Videantur ibi dicta.

Actus certus
cum incerto
& clarus
cum obscuro
componi
possunt.

94. Tertiò probatur eadem minor, quia maiorem oppositionem non habet scientia cum fide, quam actus certus cum incerto, & clarus cum obscuro: isti autem circa idem obiectum coniungi possunt: ergo & scientia cum fide. Minor probatur, nam quæ credimus fide diuina, possumus ratione naturali probabili confirmare, congruentiis natura

naturalibus adhibitis, imo rustici fideles fide diuina credunt, propter testimonium Dei ipsis propositum, ea quæ fide simul humana credunt propter parentum, aut Parochi testimonium: Fides autem diuina certa est, & infallibilis, humana verò fallibilis, & incerta: ergo actus certus, cum in certo circa idem objectum coniungi potest. Idemque ostenditur de claro, & obscuro, tum quia cognitio diffiniti confusa est, definitionis vero clara, quæ tamen communiter coniunguntur. Tum quia hæc propositio. Omnis homo est animal, confusè attinget Petrum esse animal, & tamen coniungitur cum cognitione clara eiusdem Petri in hoc discursu: *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Tum præterea, quia cognitio clara entis est confusa differentiarum, & cognitio clara eminentiæ productiue Petri est confusa eminentiæ productiue Pauli; & tamen cognitio clara entis coniungi potest cum cognitione clara differentiæ, & cognitio clara eminentiæ productiue Petri cum cognitione clara eminentiæ productiue Pauli: Tum denique, quia docti bene norunt, Deum reuelare suam existentiam: ergo in ea reuelatione, tanquam medio confusè ab ipsis cognito, confusè etiam attingunt existentiam Dei.

95. Confirmatur, actus, quo doctiores Thomistæ negant, existentiam Dei posse fide ab ipsis credi, attingit existentiam Dei: ille autem actus est fallibilis, incertus & obscurus, cum probabilis tantum sit: aliunde conjunctus est cum scientia ejusdem existentie Dei, alioqui vere Docti non essent Thomistæ illius opinionis: ergo coniunguntur in ipsorum intellectu cognitio clara, & obscura; certa, & incerta; fallibilis & infallibilis de eodem objecto, videlicet de existentia Dei. Quod si dicant, suam illam opinionem assertiuam non esse, sed apprehensiuam existentie Dei, & coniungi posse apprehensionem confusam cum scientia eiusdem objecti. Idem ego dico de iudicio, & reddenda illis superest ratio, cur scientia excludere debeat iudicium obscurum, & non apprehensionem similiter obscuram eius objecti? Idem argumentum fieri

potest in hoc actu fidei à doctis elicito, Deus est Trinus & vnus, quia dicit ipse. per quem confusè existentia Dei, eiusque vnitas attinguntur.

Actus liber cum necessario, & efficax cū inefficaci coniungi possunt.

96. Quartò probatur eadem minor. Quia amor liber non pugnat cum alio amore necessario eiusdem objecti: nec efficax cum inefficaci: ergo neque scientia cum fide. Patet consequentia, quia maior contrarietas non est inter clarum, & confusum, quam inter liberum, & necessarium, efficax, & inefficax. Antecedens probatur: Nam Christus Dominus amore necessario ex visione beata diligebat Deum, & ex scientia infusa amore libero, quo nobis merebatur. Insuper Deus affectu inefficaci vult salutem omnium, etiam reprobatorum, salutem verò predestinatorum efficaci etiam. Qualis autem fuerit in hac parte Aquinatis mens, liberabitur sect. sequenti, dum Cajetani, & discipulorum fundamenta soluuntur.

SECTIO VII.

Sol-vuntur objectiones.

Multiplex Sancti Thomæ testimonium objectionum.

97. **O**bjicies primo Sanctum Thomam 1. parte q. 2. art. 2. vbi disputans, an Deum esse sit demonstrabile, cum primo sibi objecisset, eam veritatem esse articulum fidei; atque adeo demonstrabilem non esse, eo quod demonstratio faciat scire; fides autem sit de non apparentibus ex Apostolo. Ita respondet: *Ad primum ergo dicendum, quod Deum esse, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur. Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet, illud, quod secundum se demonstrabile est, & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit.* Vbi apertissime docere videtur S. Doctor, primo, hanc veritatem, Deus est, fidei articulum non

non esse. Secundo, quod demonstrabile est, posse quidem ab aliquo fide diuina credi, non tamen ab eo, qui demonstrationem illius veritatis habet, sed ab illo, qui similem demonstrationem non capit; quibus fides excluditur ab eo, qui scientiam habet.

98. Confirmatur. Nam 22. quæst. 1. art. 5. disputans S. Thomas. Vtrum ea, quæ sunt fidei, possint esse scita, quæ est præsens nostra controuersia, negatiuam partem articuli corpore definit his verbis. *Respondeo dicendum, quod omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa: & ideo oportet, quæcunque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non autem est possibile, quod idem ab eodem sit visum, & creditum. Vnde etiam impossibile est, quod ab eodem idem sit scitum & creditum.* Et tandem concludit, *ideo fides, & scientia non sunt de eodem.* Ibidem ad tertium, ubi sibi objecerat hanc veritatem, Deum esse, & vnicum esse, demonstrari, & sciri, cum tamen sit materia fidei, Respondet: *Ad tertium dicendum quod ea quæ demonstratiuè probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes; sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, & oportet ea saltem per fidem præsupponi ab alijs, qui eorum demonstrationem non habent;* Et ibidem ad quartum. *De eodem secundum idem non potest esse simul in vno homine scientia, nec cum opinione, nec cum fide.* Et in calce. *Non potest simul idem, & secundum idem esse scitum, & creditum; quia scitum est visum, & creditum est non visum.*

99. Respondeo, existentiam Dei bifariam cognosci posse. Primo ex creaturis demonstrata ante reuelationem. Secundo post ipsam reuelationem. Primo modo non est articulus fidei; bene vero secundo. Sapiens autem, & idiota hoc differunt; non quod doctus concipere non possit fidem existentia Dei post reuelationem, sed quia cognitionem certam de existentia Dei habere potest ante reuelationem, quam rusticus habere non potest, nisi post ipsam. Nec amplius intendit S. Thomas.

100. Ad confirmationem, quæ magis vrgere videtur. Respondeo, nomine scientia, & visionis excludentis fidem,

Quo pacto ad mentem Aquinatis existentia Dei non sit fidei articulus.

Qualem scientiam ad mentem

S. Thomae
fides exclu-
dat.

dem, solum intelligi à sancto Thoma scientiam intuitiuam, seu visionem beatam, non vero abstractiuam. Quod enim quæst. prima art. 5. nobis obiecto tradiderat, reformauit, limitauit, & explicauit quæst. 5. art. 1. vbi disputans, vtrum Angelus, aut homo in prima sui conditione habuerit fidem. Affirmatiuam partem probat ex Apostoli testimonio. *Accedentem ad Deum oportet credere*; sed Angelus, & homo in prima sui conditione erant in statu accedendi ad Deum: ergo fide indigebant. Et articuli corpore explicans, quomodo Angelus, & homo, qui in prima sui conditione euidenciam habebant de existentia Dei, poterant habere fidem, ita rem dirimit. *Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod in Angelis ante confirmationem, & lapsum, & in homine ante peccatum non fuit fides propter manifestam contemplationem, qua tunc erat de rebus diuinis. Sed cum fides sit argumentum non apparentium, secundum Apostolum, & per fidem credantur ea, quæ non videntur, vt Augustinus dicit, illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens, vel visum id, de quo principaliter est fides. Principale autem obiectum fidei est veritas prima, cuius visio beatos facit, & fidei succedit. Cum ergo Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum, non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur: manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, qua excluderetur ratio fidei. Quibus euidenter docet S. Thomas solam visionem beatam fidem excludere.*

Secunda
obiectio ex
fidei merito
desumpta.

101. Objicies secundo, fides est meritoria: nullum autem est meritum, vti videtur, quod creditur iuxta illud Christi Domini, *Quia vidisti me Thoma, & credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Et illud Gregorij homil. 26. in Euangelista, *Net fides habet meritum, vbi humana ratio prebet experimentum*: ergo cum existentia Dei sit nobis euidenter nota, nulla esse poterit de illa fides. *Confirmatur primo*, nam visio beata, ideò excludit fidem, quia est cognitio clara Dei: demonstratio autem existentiae Dei, est cognitio clara illius: ergo fidem excludet. *Secundo*, homo oculis cernens parietem album, etiamsi alius illi testimonium

num

nium reddat albedinis, non potest fide humana credere parietem esse album, etiamsi alius dicat: non ex alio capite, nisi quia clarè cognoscit id quod dicitur: ergo cum clarè cognoscatur à nobis existentia Dei, credi non poterit, quia Deus illam dicit.

102. Respondeo concessa maiori, distinguens minorem, nullum est meritum vbi videtur, quod creditur, & simul etiam motiuum, propter quod creditur, concedo: vbi videtur, quod creditur, & motiuum non videtur, nego; & nego consequentiam. Nam licet clara constet nobis ex creaturis existentia Dei, non tamen reuelatio diuina. Inde assensus existentiae Dei propter ipsius testimonium, obscurus manet, & meritorius. Christus autem Dominus verbis illis, *Quia vidisti me Thoma*, &c. non intendit adimi meritum fidei, quando obiectum creditum, est aliunde clarè notum, sed minui, eo quod difficultas vincenda minuatur. Idemque Gregorio, aliisque Patribus, qui obijci possent, respondendum est.

103. Ad primam confirmationem dicimus, ideò visionem beatam excludere fidem, quia constituit statum perfectum patriæ, in quo etiam diuina reuelatio euidenter cognoscitur, non minus quam obiecta, quæ à nobis viatoribus credita fuerunt. Ad secundam confirmationem dicimus, hominem parietem album claris oculis cernentem, ideò non posse fide humana propter alterius hominis testimonium id credere; primò quia eadem euidentia constat illi testimonium ex auditu, qua constat illi parietem esse album ex visu. Secundò quia testimonium alterius hominis augere non potest videntis certitudinem. Nam si ipse perhibeat testimonium, quia ab alio audiuit, minor est illius certitudo, quam certitudo videntis; si verò testimonium perhibeat, quia vidit, certitudo est æqualis: certitudo verò diuini testimonij, multo maior est, quam certitudo nostri actus euidenter ex creaturis cognoscentis Deum esse, & aliunde non est clarè cognitum, ideoque fidem diuinam non excludit.

Obijcies tertio, fides diuina de existentia Dei nitti de-

P

beret

Vnde visio
beata fidem
excludat di-
uinam, &
visio mate-
rialis fidem
humanam.

beret testimonio ipsius Dei se existere testantis: ergo deberet præsupponere Deum, non solum re ipsa existentem, quia dicere, & loqui non est nisi personæ existentis; sed etiam præcognitum à nobis existentem, quia prius cognosci debet, personam esse, quam loqui: ergo fides innixa testimonio Dei dicentis, se existere, non potest credere Deum existere, cum præsupponat iam Deum cognitum existentem. *Respondeo*, permisso toto argumento, negans ultimam consequentiam. Nam cognitio antecedens existentiae Dei, etiamsi esset evidens, non impedit consequentem fidei assensum eiusdem obiecti propter testimonium Dei dicentis illud, ut constat ex dictis. An autem in eodem actu fides, & scientia ex diuerso motiuo, vel ex eodem diuersimode applicato coniungi possint, res est alterius instituti, in presenti enim solum contendimus per diuersos actus id posse contingere.

S E C T I O VIII.

An existentia Dei possit inuincibiliter ignorari.

Ignorantia
inuincibilis
qualis.

105. **I**gnorantia inuincibilis dicitur illa, quæ absque ulla creaturæ culpa contingit, cum tamen sit ignorantia rerum, quas scire tenemus. Ut autem ignorans immunis sit à culpa opus est, ut nulla prorsus occurrat notitia, dubium, aut scrupulus eius rei, quæ sciri debet, aut obligationis inquirendi: eo enim ipso, quod aliquod eorum menti occurrat, ignorantia, quæ præcesserat inuincibilis, & absque culpa, fit culpabilis, & vincibilis. *Prior* ergo sententia absolutè negat possibilem esse ignorantiam inuincibilem Dei. Ita P. Granadus contro- uers. 1. disp. 1. sect. 3. Gonzalez quæst. 2. art. 2. & alij. *Posterior* absolutè affirmat. Ita P. Molina 1. part. quæst. 2. art. 1. P. Arriaga ibid. disp. 2. sect. 3. num. 17. Zumel 1. part. quæst. 2. art. 1. conclus. 3. & cum ipsis plures alij.

106. Censeo primò, inuincibilem ignorantiam Dei im-
possibi

possibilem moraliter esse in hominibus omnibus. Ratio est quia in tanta hominum multitudine, & geniorum, ingeniorumque varietate, contingere moraliter non potest, ut nulli occurrat scientia, dubium aut scrupulus inquirendi, an sit Deus: eo autem ipso, quod aliquid eorum occurrat, iam ignorantia inuincibilis non est: ergo. Maior ostenditur, tum quia ad Dei prouidentiam spectat impedire, ne omnes homines finem suum vltimum ignorent, ad quem obtinendum conditi sunt. Tum etiam quia Deus ex serua voluntate, qua cunctos homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut ait Paulus 1. ad Timoth. 2. dispensat omnibus auxilia sufficientia, ut salui fiant. Existencia autem Dei est obiectum simpliciter necessarium, & primario agnoscendum: ergo impossibile moraliter est, in nullo hominum eius notitiam excitari. Tum praterea, quia contingere moraliter non potest, ut spectantibus omnibus tantum terræ, cœlique pulchritudinem, nulli occurrat, sit ne supremus omnium artifex, cuius potentia condita sit, & prouidentia gubernata. Tum denique quia impossibile moraliter est, ut in tanta hominum multitudine, subtilissima non nascantur ingenia, in rebus naturalibus, causis, & effectibus versatissima; quibus, vel alicui eorum occurrat saltem dubium, an sit prima omnium causa, inuitabile moraliter est. Idem ob eandem rationem de integra natione, aut prouincia iudico dicendum.

Inuincibilis
ignorantia
Dei impossi-
bilis est mo-
raliter in
omnibus
hominibus.

107. Censeo secundò, in nullo hominum sui compote, esse moraliter possibilem ignorantiam Dei inuincibilem per longum vitæ spatium, attenta communi Dei prouidentia. Ratio huius asserti sumitur ex præcedentis probatione. Tum quia ad moralem Dei prouidentiam pertinet, ut nullus longo tempore suum finem vltimum ignoret. Tum etiam, quia cum Deus velit omnes homines saluos fieri, eisque auxilia sufficientia prouideat, videtur incredibile, quod diuturnioris vitæ spatio priuet illum notitiâ sui.

In nullo
possibilis est
moraliter
longum
tempus in-
uincibilis
ignorantia
Dei.

108. Dices cum P. Molina, Brasiliæ incolas nullum vnquam

116 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

quam Deum coluisse, nullamque profus de Deo notitiam habuisse, antequam illuc Lusitani peruenissent: ergo in integra natione possibilis est inuincibilis ignorantia Dei, vel saltem in aliquibus longo id vitæ tempore contigisse videtur. *Respondeo*, Brasilienses dubitasse saltem de aliqua Deitate. Et quamuis nullum Deum colerent, non inde sequitur, nullum profus cognouisse, vel de aliquo non dubitasse, sed noluisse inquirere, & subijcere se Deo, vt major esset viuendi libertas; excussa omni lege; qua ratione apud Psalmistam, dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Idemque Atheistis dicendum, non enim Deum esse negant, eo quod notitiam saltem sufficientem obligationis inquirendi non habeant, sed vt, excusso jugo legis, liberius viuant.

Explicatus
Paulus circa
gentes quæ
ignorant
Deum.

109. Dices iterum ex Paulo 1. ad Iesalon. 4. vbi illos ita hortatur Apostolus. *Hac est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra; vt abstineatis vos à fornicatione; vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore; non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum:* ergo censeret Paulus dari gentes ignorantes Deum. *Respondeo*, sermonem ibi non esse de ignorantia inuincibili, sed culpabili in gentibus, quæ ad liberius peccandum, ignorant, idest, nolunt se subijcere vero Deo. Vel sermo est de gentibus quibus non ita, ac Tesalonicensibus, fidei lumen effulserat; vnde ad sanctificationem hortatur eos Apostolus, vt pote maioribus beneficiis cumulos à Deo.

Per breue
aliquod spa-
tium con-
tingere valet
inuincibilis
ignorantia
Dei.

110. Censeo tertio, per breue aliquod spatium contingere posse inuincibilem ignorantiam Dei. Ratio est, tum quia inter gentes doctrina penitus destitutos, id contingere nihil implicat, saltem si valdè rudes sint, & solitariè in siluis enutriti. Nec illa lege tenetur Deus omnibus notitiam sui præbere, vt primum illius rationis lumen effulserit. Tum etiam; quia licet homo, vt primum rationis lumen attingit, teneretur præcepto diligendi Deum, adhuc possibilis esset ignorantia inuincibilis tum Dei, tum obligationis præcepti, si vtramque notitiam vellet Deus in futurum tempus protrahere; tunc enim omissio
amoris


Disp. III. De ratione diu. substantia. Sect. I. 117

amoris, peccatum non esset; nec Deus ex vi præcepti donare tenetur notitiam objecti, & obligationis, nisi omisio operis imputanda sit ad culpam, vt patet in his, qui naturali, & inculpabili obliuione opus præceptum omitunt, v. g. recitationem completorij; & in his qui sæpius comedunt prorsus immemoris diem esse jejuniij, vel carnibus vescuntur non aduertentes diem esse prohibitum.



DISPUTATIO III.

Quo pacto Deo competat ratio substantia, & subsistentia.

1.  **S**tabilita in superioribus existentia, & vnitate Dei, ad ipsius naturam, & essentiam deprehendendam, faciliorem sequentes disputationes sternent viam, perfectionibus diuinis prælibatis, quæ Deo cum creaturis communes sunt, vnde facilius erit discernere, & fecernere, quænam Metaphysicum Dei constitutum, & essentiam sibi vendicent. Prædicata Deo cum creaturis communia dicuntur illa, quæ vtrisque verè conueniunt, vt ens reale, substantia, spiritus, viuens, & intelligens. Propria verò Dei sunt ea, quæ nulli possunt creaturæ competere, vt esse omnipotentem à se, infinitum, &c. Et quidem Deum esse ens reale non hîc disputo, sed suppono ex dictis disp. præcedenti, vbi ostensum est, Deum actu existere;

quod autem actu existit, non repugnat existere, quod est esse ens reale: ergo.

S E C T I O I.

An, & quo pacto ratio substantiæ diuinis perfectionibus competat.

Deum esse substantiam fides docet, & ratio naturalis ostendit.

2. **D**Eum esse substantiam, definitum est cap. *Firmiter* de summa Trinitate, ubi statuitur, Deum esse substantiam simplicem. Et ratio à priori prompta est. Nam substantia vel est ens per se, id est, non existens in alio tanquam in subjecto inhætionis; vel ens per se subsistens; vel mea opinione ens de constitutiuo suppositi, aut concreti substantiui; Deus autem non est in alio tanquam in subjecto inhætionis, est ens per se subsistens, & ens de constitutiuo suppositi, cum natura diuina triplici personalitate, tria supposita, & tres personas constituat: ergo substantia erit. *Confirmatur*, nam accidens physicum est ens de se imperfectissimum, supponens substantiam, à qua sustentatur, trahensque secum imperfectiones potentialitatis, & compositionis realis, quæ omnia Deo, utpote vndequaque perfectissimo, penitus repugnant. Difficultas tamen est, an ratio substantiæ omnibus diuinis perfectionibus competat, tum absolutis, tum relatiuis, earumque differentiis.

Natura diuina in quocumque consistat, est formaliter substantia.

3. **A**ssero primò, naturam diuinam, in quocumque consistat, esse formaliter substantiam. Ratio est, quia natura diuina non est in alio tanquam in subjecto inhætionis, est per se subsistens, & ens de constitutiuo suppositi diuini, coalescentis ex natura, & subsistentia: ergo substantia. *Confirmatur*, Nam, ut constat ex num. præcedenti, Deus est substantia ratione alicuius perfectionis diuinæ, quæ substantia sit; si enim omnes substantiæ lessent, natura quoque diuina talis etiam esset: nulla autem perfectio diuina

diuina potiori jure rationem sibi substantiæ vindicare potest, quæ in natura : ergo.

4. Affero secundò, intellectiõnem diuinam necessariam, etiam si non sit Dei essentia adhuc inadæquata, esse formaliter substantiam. Hujus asserti fundamentum ja-ctum est tract. de Trinitate, disp. 7. vbi posuimus, intellectiõnem necessariam, esse formalem communicationem respectu filij, seu rationem formalem communicandi naturam diuinam Filio, eo quod sit immediata conjunctio essentiæ, seu naturæ diuinæ cum personalitate Filij; conjunctio autem naturæ cum personalitate; est de constitutiuo suppositi, vnde dixi in Philosophia vnionem naturæ cum subsistentia, substantiam esse: ergo cum intellectio sit quasi vnio naturæ diuinæ cum Personalitate Filij, quibus stat suppositum illis omnibus constitutum, substantia erit, etiam si non sit Dei essentia adhuc inadæquata; cum ratio substantiæ, aliud non sit, quam ens de constitutiuo suppositi, siue per modum naturæ, siue per modum subsistentiæ, aut per modum vnionis vtriusque.

Etiã intel-
lectio neces-
saria quam-
uis non sit
Dei essentia,
adhuc ina-
dæquata.

5. Affero tertio, volitionem diuinam necessariam esse etiam formaliter substantiam. Hæc conclusio eodem, ac præcedens, nittitur fundamento. Nam sicut intellectio necessaria est ratio formalis communicandi essentiam Filio, & inde est de constitutiuo suppositi, Filij; ita volitio necessaria, est ratio formalis communicandi essentiam diuinam Spiritui Sancto, ac proinde erit de constitutiuo suppositi Spiritûs Sancti: ergo, sicut intellectio necessaria est formaliter substantia, talis etiam erit volitio necessaria.

Pariter etiã
volitio diui-
na necessa-
ria.

6. Affero quarto, omnes diuinas perfectiones necessarias, esse formaliter substantias, quatenus substantia opponitur accidenti, tam reali, quam virtuali; nomen enim substantiæ in præsentia non idem valet, ac natura siue essentia. Probat, quia licet nõ omnis perfectio diuina sit de constitutiuo formali cuiusvis suppositi diuini, nulla tamen est, quæ non sit de alicuius constitutiuo vel formali, vel integrali, vt diximus tract. de Trinitate, cuiuslibet enim per-

Similiter
omnes diui-
næ perfe-
ctiones ne-
cessariæ.

fectionis

fectionis necessariæ defectu, suppositum diuinum integrum non esset: ergo omnis perfectio diuina necessaria erit formaliter substantia; ad id enim satis est, esse de constitutio suppositi, siue formali, siue integrali.

7. Maior tamen difficultas est circa actus liberos diuinos, an videlicet sint formaliter substantia, vel accidentia virtualia. Dixi virtualia, quia non posse esse accidentia realia, certum est: nam accidens reale dicitur, quod distinguitur realiter à subiecto, eique intrinsecè superuenit, quod actibus diuinis omnino pugnat in quacumque sententia, & specialiter in nostra, constituyente actus liberos diuinos adæquatè Deo intrinsecos, eique realiter identificados.

Actus diuini liberi non sunt formaliter substantia, sed accidentia virtualia.

8. Affero quintò, actus diuinos liberos non esse formaliter substantias, sed accidentia virtualia. Ratio facilis est ex dictis. Nam actus liberi non sunt de constitutio suppositi diuini, sed quid ipsi adæquatè constituto virtualiter, & contingenter adueniens: ergo non sunt formaliter substantia, sed accidentia virtualia. *Confirmatur*, si intellectio, & volitio libera realiter à Deo distinguerentur, essent accidens reale: ergo cum virtualiter distinguantur de facto, asserenda sunt accidens virtuale. Nec dicas rationem accidentis præcisam à reali, & virtuali dicere imperfectionem: nam sicut ratio distinctionis præcisam, à reali & virtuali imperfectionem non dicit, sed ab ea præcinit, idem de simili conceptu accidentis iudicamus.

An differentia attributorum sine formaliter substantia.

9. Circa secundam sectionis partem, an videlicet ratio substantiæ competat differentiis perfectionum diuinarum: difficultas est, an quælibet diuina perfectio necessaria, non solum sit formaliter substantia secundum conceptam communem entis per se; seu entis de constitutio suppositi, in singulis imbitum, sed etiam secundum proprias differentias; ita vt differentia propria cuiuslibet diuinæ perfectionis necessariæ, quatenus distincta à quolibet ratione communi entis per se, seu entis de constitutio suppositi, sit formaliter substantia. Quæ controuersia agitari potest tam in sententia solas præcisiones ex parte actus

actus, admittente, quas solas nos admittimus in Deo, quam in admittente obiectivas.

10. Prior, & communis sententia docet differentias diuinarum perfectionum non esse formaliter substantias eo modo, quo ab illis ratio substantiæ præscindi potest. Quidam tamen Recentior admissa communi diffinitione substantiæ, scilicet, ens per se, id est, independens à subiecto inhætionis, seu alio; admissis insuper præcisionibus obiectiuis, etiam in diuinis, asserit, differentias diuinarum perfectionum esse formaliter obiectiuæ substantias; diuersimodè tamen, nam attributa sunt substantia completa, quia ipsis ratione substantiæ quam dicunt, debita est subsistentia, differentiæ verò non ita, quia ipsis ratione substantiæ, quam dicunt, non est formaliter debita subsistentia, seu independentia à supposito alieno, quod idem est in eius sententia; sed tantum materialiter, ratione idéntitatis realis cum cõceptu substantiæ completæ, quam dicunt attributa. Quod si obiicias, differentias attributorum ratione sui esse formaliter independentiam à supposito alieno, atque adeo debitam esse illis ratione sui subsistentiam, in ea independentia consistentem. Respondet, differentiis debitam non esse formaliter, & ratione sui eam independentiam, sed tantum materialiter ratione idéntitatis realis, quam habent differentiæ, cum ratione substantiæ, quam dicunt attributa.

Singularis sententia circa differentias attributorum exposita

11. Hæc sententia duplici à suo authore stabilita est fundamento; primum quia differentia omnipotentis est formaliter virtus principaliter productiua substantiæ: ergo est formaliter substantia. Consequètia patet, tum quia eo fundamento probatur, Deum esse substantiam. Tum etiã, quia simili fundamento probatur Deus substantia intelligens, iuxta illud Prophetæ Psalm. 93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Antecedens probatur, quia omnipotentia est virtus principaliter productiua plurium substantiarum, quas nulla creatura principaliter producere potest: huiusmodi autem virtus est formaliter differentia omnipotentis: ergo differentia

Primum eius sententiæ fundamentum eiusque solutio.

Q omni

omnipotentia est formaliter productiua substantia. *Confirmatur*, differentia omnipotentia est prior omni producibili: ergo ea prioritate habet differentia omnipotentia, non supponere subiectum alienum, atque adeò independere ab illo, quod est esse substantiam.

12. Hoc tamen fundamentum non videtur sufficiens. Nam differentia non est omnipotentia virtus principaliter productiua substantia, sed specialis substantia, seu differentia illius; atque adeò neque erit formaliter substantia; sicut in sententia huius auctoris non est formaliter substantia completa, quamuis sit virtus productiua substantia completa. Sicut ergo apud aduersarium, id solum euincit, differentiam omnipotentia trahere secum per realem identitatem rationem substantia completa, idem nos intendimus. Sicut insuper prioritas respectu supposito alieni, non dicit formaliter, sed materialiter tantum independentiam à supposito alieno in aduersantis sententia; ita neque dicit formaliter, sed materialiter tantum, independentiam à subiecto; atque adeò sicut non dicit formaliter substantiam, neque dicit substantiam.

Secundum
fundamen-
tum libra-
tum.

13. Secundum fundamentum est. Quia differentia attributorum sunt formaliter ens à se: ergo & ens per se. Hoc tamen fundamentum non est firmiter præcedenti, nam admissis præcisionibus obiectiuis inter ens à se, & differentias diuinarum perfectionum, idem iudicamus dicendum de ente à se, quod de substantia mox dicimus.

Differentia
diuinarum
perfectionū
non sunt
formaliter
substantia.

14. Asserò vltimò, differentias diuinarum perfectionum non esse formaliter substantias, eo modo, quo ratio substantia præcindi potest ab illis. Quare si præcindi valeat obiectiue, quod non probamus, differentia attributorum non erunt obiectiua substantia, si vero sola præcisio ex parte actus, cum probabiliori sententia possibilis asseratur, differentia attributorum erunt quidem formaliter obiectiua substantia, non verò nostro modo concipiendi. Probat, quia eo modo, quo conceptus aliquis est præcindibilis à sua differentia, hæc distinguitur ab illo: ergo eo modo, quo conceptus substantia est præcindibilis à

Disp. III. De Diu. subst. & subsist. Sect. I. 123

à differentia diuinarum perfectionum, hæc non erit substantia. Antecedens probatur, quia præcisio non stat, nisi inter conceptus distinctos, eo modo quo est præcisio.

15. Dices, hoc nostrum fundamentum verum quidem esse de conceptibus præcisus non transcendentibus, secus verò de illis, quæ transcendentes sunt, sic plures tenent rationalitatem esse formaliter obiectiuè ens, etiamsi istud obiectiuè à differentiis præscindatur. Conceptus autem substantiæ transcendens est respectu omnis differentia diuinæ, vnde etiamsi obiectiuæ præscindatur, adhuc differentia sunt formaliter obiectiuæ substantiæ.

16. Contra *primò*, quia nulla est necessitas, quæ cogat ad eam substantiæ transcendentiam asserendam, nec sufficiens ratio, vt constat ex solutione fundamentorum, quibus opposita sententia inniti connabatur. *Secundò*, quia chymera mihi profus est obiectiuæ præcisio cum transcendentia: ista enim præstat indistinctionem obiectiuam à differentiis, præcisio verò distinctionem, quæ sunt extrema contradictoria. Nec placet quod tentarunt aliqui, videlicet transcendentiam non præstare distinctionem mutuam excludentis ab excluso, sed non mutuam includentis ab incluso. Nam præcisio obiectiuè ente à differentiis, adhuc indifferentiæ includunt ens, etiamsi ens non includat differentias. Non inquam placent, nam vt differentia distinguatur obiectiuè ab ente, tanquam includens ab incluso, debet continere conceptum entis, & alterum se mutuo excludentes obiectiuè; sicuti vt vna res distinguatur realiter ab altera tanquam includens ab inclusa, continere debet inclusam, & alteram se mutuo realiter excludentes: ergò si ens distingueretur obiectiuè à differentiis, istæ excluderent obiectiuè ens; idemque de ratione substantiæ dicendum est respectu differentia attributorum.

Effugium
transcendentia
iectura.

17. Obijcies, differentia attributorum sunt formaliter de constitutiuo saltem integrali suppositi: ergo sunt formaliter substantia, inde enim nos probabimus, attributa diuina esse formaliter substantias. Antecedens probatur,

Q 2 quia

quia suppositum diuinum absque differentia naturæ, & attributorum integrum non esset & perfectum, sed mutuum, non minus, quam sine attributis: ergo sicut attributa pertinent ad constitutum, integrale saltem suppositi diuini, ita & differentia. *Respondeo*, differentias attributorum esse quidem de constitutio suppositi diuini, non in ratione suppositi, sed in ratione talis suppositi, unde non fit esse formaliter substantias, sed differentias illius: attributa autem, quæcunque illa sint à natura indistincta, pertinent ad integritatem naturæ, vt natura est, & consequenter ad integritatem suppositi, vt suppositum est, & inde sunt formaliter substantia.

 S E C T I O I I.

An dentur in Deo subsistentia relatiua.

18. **D**Ixi jam tract. de Trinitate disputatione 13. sect. 4. de ratione subsistentiæ tantum esse comple-
 re, & perficere naturam, constituendo cum illa concretum substantium, siue subsistentia sit prior, siue posterior, siue supponat naturam, siue supponatur ab illa; ab his enim omnibus præcindere conceptum subsistentiæ ostensum ibidem est. sect. 3. Querimus ergo nunc, an dentur in Deo subsistentiæ relatiuæ, seu an ratio subsistentiæ diuinis relationibus conueniat. Negant Durandus, Scotus, Paludanus, & Capreolus apud P. Soarium 1. p. tract. 3. lib. 3. cap. 4. Solam subsistentiam absolutam admittentes in Deo.

19. **A**fferendum est primo cum communi ferè omnium Theologorum sententia, relationes personales, scilicet Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passiuam esse subsistentias. Probatur primo ex Conciliis, & Patribus. Nicænum lib. 2. de actis in Concilio Nicæno, responsione data per Protogenem Sardicensem: §. *Non difficile*, ita statuit.

Placita Doctorum & quinam negauerint subsistentias relatiuas in Deo.

Omnes relationes personales subsistentiæ sunt.

Concilium Nicænum:

tuit, una est divinitas Sanctæ Trinitatis, qua in tribus subsistentiis perfectis & equalibus consideratur. Prima Synodus Constantinopolitana epistolâ ad Damasum Papam, decernit. *Credimus equalem honorem, ac dignitatem, & imperium coeternum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis personis.* Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus epist. quæ habetur in sexta Synodo generali actione 11. 4. ejusdem epist. ait: *subsistentiis, & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem.* Iustinus in expositione fidei de Trinitate. *Maluimus unius Deitatis in tribus perfectis subsistentiis notitiam exponere.* Denique Hieronymus epist. 57. ad Damasum. *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes.*

Prima Synodus constantinopolitana.

20. Ratione probatur *Secundò* conclusio; Nam in divinis sunt tres personalitates tres personas distinguentes: ergo & tres subsistentiæ, cum omnis personalitas, qua talis, subsistentia sit. *Tertiò*, quia unio hypostatica facta fuit in subsistentia verbi, qua verissimè Christi humanitas subsistit: non autem facta est in subsistentia absoluta; aliter non esset, vnde Filius, potius quam Pater, aut Spiritus Sanctus, incarnatus esset, cum subsistentia absoluta æqualiter omnibus communis sit; ergo unio hypostatica facta est in subsistentia relatiua propria verbi. Minor patet ex Tholetano VI. definiente, unionem esse factam in eo, quod est proprium verbi, solum autem relatiuum est proprium verbi; ergo facta est, non in subsistentia absoluta, sed relatiua. *Quartò* quia tres relationes personales constituunt tria concreta substantiua, tres scilicet personas, ad multiplicationem autem trium concretorum, necessario multiplicanda est natura, vel subsistentia; natura autem divina multiplicari non potest, nec subsistentia absoluta; ergo relatiua.

Ratio vnde omnis relatio personalis subsistentia sit.

21. Obijcies primo; admissa subsistentia absoluta, subsistentiæ relatiuæ sunt inutiles; ergo reiiciendæ. Antecedens probatur, quia Pater ex vi subsistentiæ absolutæ, esset per se, & ex vi relationis Paternitatis, esset incommunicabilis: ergo præcisus subsistentiis relatiuis, haberet

Admissa subsistentia absoluta non superfluum relatiuæ.

Pater quidquid ad personam necessarium esset, atque adeo superflua erunt subsistentia relatiua. *Respondeo*, negans antecedens, ad probationem distinguo antecedens, Pater ex vi subsistentia absolutae esset per se persona à cæteris distincta in esse personae, nego: esset per se modo omnibus personis communi, concedo. Et neganda est consequentia, quia Pater in esse personae singularis subsistentis distinctus esse debet à cæteris personis.

Conceptus
subsistentia
& relationis
non pugnant
inter se.

22. Obijcies secundò, conceptus subsistentia, & relationis pugnant inter se: ergo non possunt in diuina relatione componi. Antecedens probatur, nam relatio est ad aliud, subsistentia vero est ad se: idem autem non potest esse ad se, & simul ad aliud: ergo neque subsistentia poterit esse relatio, nec relatio subsistentia. *Respondeo*, negans antecedens, ad cuius probationem dicimus, esse ad aliud, tanquam terminum, & esse ad se, id est, esse per se, nullam dicere oppositionem. Nam subsistentia creata est ad aliud, scilicet, ad causam, & naturam, quas transcendentaliter respicit, & ad se, id est, per se, siue reddens naturam completam, subsistentem, siue ultimo terminatam, aut concretam, iuxta effectum formalem proprium subsistentia.

Quælibet
subsistentia
personalis
reddit natu-
ram diuinã
subsistentem.

23. Affero secundò, quamlibet relationem personalem reddere naturam diuinam subsistentem. Ratio est, nam, quælibet forma, vel quasi forma applicata subiecto communicat illi effectum formalem, cuius est capax; si capax sit omnium, communicat omnes, si alicuius tantum, aliquem; natura autem diuina est capax effectus formalis subsistenti, & quælibet relatio personalis est subsistentia intimè eidem applicata naturæ: ergo communicabit illi effectum formalem subsistenti. *Confirmatur*, Nam eo quod humanitas Christi capax sit effectus subsistenti; & subsistentia verbi sit illi applicata per physicam vnionem, communicat illi effectum formalem subsistenti: ergo cum eadem subsistentia verbi, idemque est de aliis, altiori modo applicata sit naturæ diuinæ, scilicet per physicam, & realem identitatem, hæcque capax sit effectus formalis
subsi

Disp. III. De Div. subst. & subsist. Sect. II. 127

subsistendi; illum naturæ communicabit. Aliud enim ad effectum formalem impertiendum non desideratur, quam applicatio formæ, & capacitas subiecti.

24. Objicies primò, nulla relatio, quantumvis intime applicata denominare potest naturam diuinam relatum, ergo neque subsistentem. *Respondeo*, concessio antecedente, negans consequentiam. Ratio est, quia natura diuina, utpote substantialis, est capax effectus subsistentis, non vero relatæ. Nam huiusmodi, effectus exigit distinctionem inter relatum, & terminum ad quem refertur; ideo Filius refertur ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, quia inter ipsos stat distinctio realis. Natura autem diuina à nullo termino diuino realiter distingui potest, ideoque nec realiter relatata denominari; sicuti propter eandem rationem à productione relationis producta denominari non potest, nec incommunicabilis ab incommunicabilitate eiusdem.

Cur relatio non denominet naturam diuinam relatum cum denominet subsistentem.

25. Objicies secundò, Relationes diuinæ sunt sanctitas applicata, & natura diuina capax effectus sanctitatis; nec tamen denominant Deitatem sanctam: ergo neque subsistentem. Prima maioris pars ostenditur; nam relatio siue subsistentia verbi, denominat humanitatem Christi sanctam, quod autem sanctitas non est, nec potest subiectum aliquod denominare sanctum, sicut quod Albedo non est non potest denominare album, ergo relatio verbi sanctitas est. Idemque de relatione Patris, & Spiritus sancti dicendum videtur, nam quælibet earum si humanitatem terminaret, sanctificaret illam, non minus, quam relatio verbi de facto sanctificat. *Respondeo*, relationes diuinas non esse simpliciter, & absolutè sanctitates in Deo, cum in eo non sint radices totius rectitudinis, esse tamen respectiuè ad humanitatem, quam possunt terminare, quia ut sic sunt principium totius rectitudinis suppositi. Vnde nihil mirum, quod Deitatem non determinet sanctam, etiam si subsistentia verbi sanctam denominet humanitatem.

Cur pariter non denominet naturam sanctam.

26. Affero tertio, relationem spir. totis esse etiam subsistentiam. Ratio est, quia indiuiduum spiratoris est concretum

Relatio spiratoris subsistentia est.

cretum substantiuum, vt ostendimus de constitutio spiratoris; ergo constat subsistentia relatiua, vtpote opposita Spiritui sancto. Nec inde sequitur in Trinitate quaternitas à Lateranensi damnata cap. damnamus. Nam ibi sermo est de quaternitate mutuo inter se distincta; sicut ergo quarta relatio lateranensi nullatenus contrariatur, ita neque quarta subsistentia. Nec obstat relationem spiratoris esse Patri, Filioque communem, nam de ratione subsistentiæ non est, esse communicabilem, vt in subsistentia absoluta constabit sect. sequenti: ergo relatio spiratoris, quantumuis Patri, Filioque communis subsistentia erit. Cur autem personalitas non sit, neque personam constituat constabit sect. 5. à num. 65.

S E C T I O III.

An ultra subsistentias relatiuas, subsistentia aliqua absoluta concedenda sit Deo.

Nomine
subsistentiæ
absolutæ
quid intelli-
gitur.

27. **N**omine subsistentiæ absolutæ intelligitur complementum substantiæ, seu naturæ diuinæ, non minus commune omnibus personis, quam natura ipsa. Queritur ergo, an sicut in Deo est vnica natura singularis omnibus personis communis, pariter etiam vna sit eius naturæ subsistentiæ singularis, & communis omnibus personis. Dixi singularis, quia nomine subsistentiæ absolutæ, non intelligitur subsistentia ab omnibus relatiuis præcisa, quantumuis illa communis sit beneficio præcisionis.

28. Prior sententia affirmat, dari in Deo vnã subsistentiam absolutam omnibus personis communem, siue sint tres relatiuæ, vt omnes Theologi tuerentur, siue non, vt tenent Doctores sect. præcedenti citati. Ita Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad questionem*, Durandus in 1. dist. 26. quæst. 1. Caietanus 3. part. quæst. 3. art. 2. P. Soarius tom. 1. in 3. part. disp. 11. sect. 3. & 1. part. tract. 3. lib. 4. cap. 11. P. Molina.

Sententia
affirmans.
Scotus.
Durandus
Caietanus.
P. Soarius.
P. Molina.

Disp. III. De Div. subst. & subsist. Sect. III. 129

P. Molina 1. par. quæst. 29. art. 2. disp. 3. Pater Granadus tract. 4. disp. 4. sect. 3. P. Martinus Perez disp. 11. de Trinitate sect. 2. num. 2. P. Ludouicus de Ribas de attributis disp. 1. sect. 2. & plures alij.

P. Granadus.
P. Ribas.
P. Perez.

29. Posterior sententia negat, in Deo subsistentiam absolutam solis relatiuis contenta; ita P. Vasquez 1. part. disp. 125. cap. 3. P. Valencia 3. part. quæst. 13. punct. 3. P. Ruiz disp. 34. de Trinitate à lect. 5. P. Arrubal disp. 109. P. Zuniga quæst. 30. disp. 5. dub. 10. memb. 1. P. Arriaga 1. part. disp. 51. sect. 1. Henricus 1. part. art. 46. quæst. 6. & quod lib. 5. quæst. 8. Ricardus in 1. dist. 26. art. 1. qu. 1. Genebrardus lib. 2. de Trinitate, paulo post initium, & plures alij.

Sententia negans.
Vasquez.
P. Valencia.
P. Ruiz.
P. Zuniga.
P. Arriaga.
Henricus.
Richardus.

30. Affero ultra subsistentias relatiuas, concedendam esse Deo subsistentiam absolutam. Hæc conclusio probanda est iuxta fundamenta in Philosophia præiacta, circa naturam, & effectum formalem subsistentiæ. A priori hæc mihi vnica est, & plena ratio. Nam præcisus omnibus relationibus, Deitati competit effectus subsistendi: ergo præcisus omnibus relationibus concedenda illi erit subsistentia absoluta, à qua talem effectum sortiatur, impossibile enim est, præcisâ omni subsistentia, effectum formalem subsistendi reperiri, non minus, quam effectum formalem cognoscentis, absque cognitione consistere. Antecedens probatur. Quia effectus formalis subsistentiæ est, reddere naturam concretam, constituendo cum abstracto vnum concretum substantiuum, id est, cum humanitate hominem, Deitate Deum, vt tradidi in Philosophia: Huiusmodi autem effectus reperitur in Deo, omni præcisâ relatione, ergo & effectus formalis subsistendi. Minor probatur, quia præcisâ omni relatione, reperitur Deitas, quæ est abstractum, & reperitur etiam Deus, qui est concretum substantiuum, nam vt ostendam infra, Deus nulla ratione formaliter relationibus constituitur: ergo reperitur concretum substantiuum & consequenter effectus formalis subsistendi.

Ultra subsistentias relatiuas admittenda est in Deo subsistentia absoluta.

31. Confirmatur ex S. Thoma pluribus in locis nostram

R senten

Confirmatio
efficax ex
S. Thom.

sententiam innuente. Præcipuè 1. sententiæ dist. 21. quæst. 2. art. 1. corpore, ita scribente. *Iste terminus, Deus, prædicat naturam diuinam de tribus Personis, qua etiam in se est, habens esse subsistens, nulla personarum distinctione intellectâ.* Si ergo hic terminus, *Deus*, communis est omnibus personis, cum de illis prædicetur, & in se habet esse subsistens, nulla personarum, siue relationum distinctione intellectâ: ergo habet esse subsistens, præcisa omni relatione, atque ad eò à subsistentia absoluta. Insuper, si hic terminus, *Deus*, non minus communis est, quam Deitas, cum non minus quam Deitas de omnibus personis prædicetur: ergo cum terminus; *Deus*, sit concretum substantiuum, subsistentia, qua constituitur, non minus communis erit quam ipsa Deitas, & consequenter relatiua non erit, sed absoluta utpote communis omnibus personis. Antecedens patet ex S. Thoma, nam hic terminus, *Deus*, prædicat naturam diuinam in se subsistentem de omnibus personis: natura autem diuina in se subsistens, & *Deus*, idem omnino sunt: ergo terminus, *Deus*, non minus communis est, quam ipsa Deitas.

Idem iterum ex
S. Thoma
firmiter sta-
bitum.

32. Virgentiora habet sanctus Thomas ibidem dist. 26. quæst. 1. art. 1. ad quartum his verbis: *Ad quartum dicendum quod persona, ut dictum est, non distinguitur in diuinis ex parte natura, velex parte ipsius esse: sed solum ex parte proprietatum. Vnde illa nomina, qua dicuntur secundum respectum ad proprietatem, pluraliter prædicantur, sicut hypostasis, & persona, qua autem dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, ut subsistentia & essentia, quamuis nomen subsistentia apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi.* In quibus S. Doctor apertissime docet, dari subsistentiam in Deo, quæ singulariter de omnibus Personis prædicetur, non minus, quam essentia. Quod aliud non est, quam admittere subsistentiam singularem, non minus communem, seu absolutam, quam essentiam.

Prima ref-
ponso, sum-
ptam esse

33. Nec dici potest, nomen subsistentiæ usurpatum esse à S. Thoma pro substantia, eo quod addiderit. *Quamuis nomen subsistentia apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi,*
vt

vt tentat P. Ruiz, Tum, quia ibi distinguit S. Doctor inter personam, hypostasim, subsistentiam, & essentiam; & dum negat hypostasim, & personam prædicari singulariter, id de subsistentia, & essentia concedit: ergo nullum est fundamentum ad dicendum nomen subsistentiæ improprie assumptum esse, quando cætera omnia propriissimè usurpata sunt. Tum etiam, quia nomen subsistentiæ pro eodem quod substantia, non usurpatur à patribus pro persona, & hypostasi: nomen autem subsistentiæ assumptum à S. Thoma usurpatur à Patribus pro hypostasi, & persona: ergo idem non valet, ac substantia. Tum denique, quia additio illa S. Thomæ potius firmat, quam infringit, nomen subsistentiæ, non pro substantia, sed pro subsistentia assumptum esse, sensus est; licet nomen subsistentiæ apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi, id tamen non obstat, quo minus sumatur etiam pro subsistentia absoluta, quæ singulariter prædicatur, non minus quam essentia, & iste videtur legitimus sensus eorum verborum: *Quæ autem dicuntur per respectum ad se, prædicantur singulariter, vt subsistentia, & essentia, quamvis nomen subsistentiæ apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi.*

34. Nec dici potest, S. Thomam locutum fuisse de subsistentia radicali, non formali, vt tentant recentiores. Tum, quia id liberè, & absque fundamento dicitur, vt constabit sincere legenti testimonia à nobis adducta. Tum etiam, quia subsistentia radicalis non est vera subsistentia, nec reddit naturam subsistentem, sed tantum est radix subsistentiæ reddentis naturam subsistentem, aliter intentum haberemus, & de solo nomine radicalis foret dissentio: subsistentia autem de qua agit S. Doctor reddit naturam diuinam subsistentem, nam de natura diuina ait in priori testimonio, habere esse subsistens, nulla intellecta distinctione relationum. Tum denique quia in posteriori testimonio comparat inter se hypostasim, personam, subsistentiam, & naturam. Hypostasis autem, & persona non sumuntur radicaliter, vt est certum: ergo neque subsistentia, maximè cum distinguat inter subsi-

subsistentiã
pro substan-
tia nõ stat.

Secunda ref-
ponio, ser-
monem fuit
se de subsi-
stentia radi-
cali minus
idonea.

132 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

sentiam, & naturam illius verbis: *Prædicatur singulariter, ut subsistentia, & essentia.*

Concretum
Deus est
commune
omnibus
personis at-
que adeo
constans sub-
sistentia cõ-
muni.

35. Ratione confirmatur 2. Nam concretum Deus, est commune omnibus personis, cum de illis prædicetur, & omnes sint vnus, idemque Deus: ergo constituitur subsistentia communi & consequenter absoluta, nam nulla relatiua communis est omnibus Personis. Antecedens videtur certum, nam Pater Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus, & Pater non est diuersus Deus à Filio, nec Filius à Patre, nec vterque à Spiritu sancto: ergo concretum Deus commune est, & vnum idemque in omnibus personis.

36. Dices primo, concretum Deus, esse quidem commune omnibus personis, & constitui subsistentia communi, non tamen absoluta, sed relatiua præcisa à subsistentiis relatiuis.

Concretum
Deus non
constituitur
subsistentia
relatiua
præcisa.

37. Contra tamen primò, quia concretum Deus, existit independenter ab omni intellectus præcissione, & independenter ab eadem, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt vnus, idemque Deus: ergo nequit constitui relatione à tribus personis præcisa. Maximè in sententia aduersariorum fere omnium præcissiones objectiuas, à Deo penitus exterminantium: ergo relatio constituens concretum Dei, tantum potest esse præcisa ex parte actus omnes diuinas relationes confundentis: relatio autem præcisa, intrinsecè, & ex parte objecti non est vnica, sed cumulus omnium, qui de singulis personis prædicari non potest: ergo concretum ea relatione constitutum de singulis personis prædicari non potest, saltem integrum, sed inadæquatum de vna, & inadæquatum de altera. Vnde fieret concretum Deus quod prædicaretur de Patre, diuersum esse à concreto Deus, quod enunciaretur de Filio: ad quod vitandum subsistentia illa communis inuenta fuerat. *Secundo*, quia concretum Deus, non constituitur relatione præcisa, vt ostendam: ergo neque constituitur subsistentia relatiua præcisa. *Tertio* quia concretum Deus, ita commune est omnibus personis, vt nihil illius multiplicetur in singulis, aliter

aliter Pater, Filius & Spiritus sanctus, non essent idem Deus: subsistentia autem relatiua ab omnibus præcisa multiplicatur in singulis personis: ergo non potest constituere concretum Deus. *Quarto*, quia vt aiebat S. Thomas supra num. 32. subsistentia constituens hunc terminum, Deus, prædicatur singulariter, non minus quam natura: ergo est singularis, & non tantum communis beneficio præcisionis.

38. Dices secundo, concretum Deus, in tota sua latitudine non esse singulis personis commune, vtpote constitutum triplici subsistentia relatiua, & nulla absoluta. Id tamen non obstat, quo minus singulæ Personæ sint Deus; nam Pater constituitur Deitate, & Paternitate, Deus, Filius Deitate, & Filiatione Deus, Spiritus sanctus Deitate, & spiratione passiuæ. Nec id obstat, quo minus omnes personæ dicantur vnus, & idem Deus; nam ad id sufficit habere omnes vnã, & eandem Deitatem, quam concretum Deus principalius importat. Sicut Pater, & Filius sunt vnus, & idem spirator ab vnica, eademque spiratione actiuæ vtrique communi, & principalius importata à concreto spiratoris; sicut insuper Deus, & homo in Christo, quantumuis distinctis naturis constituti, sunt vna, eademque persona ab vnica, eademque personalitate verbi, quam persona Christi principalius importat.

Quid sentiant alij circa concretum Dei eiusque subsistentiã.

39. Contra, quia concretum Deus in tota sua latitudine est singulis personis commune, vtpote, constitutum natura diuina in se subsistente, nulla intellecta distinctione, aut multiplicitate relationum, vt aiebat sanctus Thomas supra. Vnde licet ab vnica Deitate abstracta personæ omnes dici possint vnus, & idem Deus, sicut Pater & Filius dicuntur vnus spirator ab vnica spiratione actiuæ vtrique communi, & sicut homo, & Deus in Christo dicuntur vna & eadem persona ab vnica, eademque personalitate verbi; non tamen omnes personæ dici possent vnus; idemque Deus ab vnica, eademque Deitate concreta, id est, in se subsistente, nulla intellecta multiplicata, aut distinctione relationum: ergo vt omnes personæ ita sint

Concretum Deus in tota sua latitudine commune est omnibus personis.

vnus, idemque Deus, quæ est expressissima mens Diui Thomæ, admittenda est subsistentia absoluta in Deo.

Natura diuina titulo radicis personalitatum supponenda est absolute subsistens.

40. Confirmatur tertio ad hominem contra aduersarios. Quia natura diuina in sententia plurium eorum est radix, & principium virtuale omnium relationum: ergo ante omnes relationes supponenda est subsistens, & completa: non subsistentia relatiua, vt est certum: ergo absoluta. Prior consequentia probatur ad hominem contra aduersarios contententes naturam diuinam non posse esse radicem, aut principium virtuale suæ existentia, quia natura quælibet ad operandum præsupponi debet subsistens: ergo cum natura diuina sit connaturalis radix, & principium virtuale omnium relationum, ante illas præsupponenda est subsistens.

S E C T I O I V.

Soluntur obiectiones.

Sophronius Patriarcha, aliique Patres expositi.

41. **O**bjicies primo, in sexta Synodo actione 11. Sophronius Patriarcha Constantinopolitanus epist. profess. fidei col. 3. (quæ recipitur ab eadem Synodo actione 13.) ait. *Neque secundum quod Trinitas vnus Deus agnoscitur, & subsistentia tres, & tres Persona, Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicitur contractus, vel compositus, vel confusus, & in vnâ se colligens subsistentiam, in vnâque coercens non numerabilem Personam. Sabellianorum ista & prauitas, in vnâ subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnâ personam eadem tres conspergens Personas.* In quibus Sophronius, approbante Concilio, respuit subsistentiam vnicam eadem censura, quâ damnat vnicam Personam. Vnde post pauca subiungit. *Vtrumque est impium tam singularitas circa subsistentiam, quam ternalitas in natura:* ergo in Deo non datur vna subsistentia singularis omnibus personis communis. *Respondeo*, sermonem ibi non esse de subsistentia absoluta, sed de relatiuis, quas asserere vnicam tantum esse subsi

subsistentiam, eadem censura damnatur, ac asserere, omnes personalitates vnicam tantum esse personam, & personas diuinas solis nominibus distingui, quæ erat Sabellianorum probitas. Similiter expendendi sunt Patres vnicam subsistentiam communem refutantes.

42. Objicies secundò, suppositum, hypostasis, persona & subsistens pro eodem vsurpantur à Patribus: sed non datur vnum suppositum, nec vna hypostasis, aut persona absoluta: & aliæ relatiuæ: ergo neque vna subsistentia absoluta, & aliæ relatiuæ.

Non datur
vna persona
absoluta:
ergo neque
subsistentia.

43. Respondet primò Caietanus 3. part. quæst. 2. art. 2. concedens semisuppositum, aut semipersonam absolutam, hoc est imperfectam rationem suppositi, aut personæ, eo quod illi incommunicabilitas deficiat. Hæc autem doctrina communiter reprehenditur à Doctoribus. Hoc enim certum, consonam non esse S. Thomæ sect. superiori hoc distinguenti subsistentiam, & personam, aut hypostasim, quod ista dicat incommunicabilitatem, non verò subsistentiam, atque adedò vnde admittit subsistentiam absolutam, inde manifestissime rejicit hypostasim, aut personam absolutam, & consequenter semipersonam.

Responsio
Caietani se-
mipersonam
absolutam
admittentis.

44. Respondent alij secundò, subsistentiam simpliciter qua ratione vsurpatur à Patribus, supponere pro complemento incommunicabili, quo pacto idem valet subsistens, ac suppositum, hypostasis, aut persona. Hoc tamen non prohibet subsistentiam absolutam, quæ tantum est subsistentia cum addito. Hæc tamen responsio non videtur omnino plena. Nam si non obstante communi Patrum locutione, subsistentia cum addito, scilicet absoluta, admitti potest: ergo etiam hypostasis, & persona cum addito, scilicet absoluta, admitti poterit, & sicut de ratione subsistentiæ cum addito, non est; esse incommunicabilem, neque erit de ratione hypostasis, & personalitatis cum addito, scilicet absolutæ.

Communis
responsio
Doctorum

45. Respondeo, ergo negans maiorem; subsistentia enim ex sancto Thoma supra adducto latius patet, quam hypostasis, & persona; eo quod illa de omnibus personis prædicari

Planior ar-
gumentum so-
lutio.

dicari

136 *Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.*

dicari potest singulariter, non minùs quam essentia, non verò hypostasis, neque persona; inde licet concedatur subsistentia absoluta, admittenda non est hypostasis, nec persona absoluta, ut dicemus sect. 5.

Ultimus terminus non est de ratione omnis subsistentiæ.

46. Obijcies tertio, subsistentia est ultimus terminus: ergo interminabilis ulterius: nihil autem absolutum est in Deo ulterius interminabile, cum omne absolutum per subsistentias relatiuas terminetur: ergo nihil absolutum poterit esse formaliter subsistentia. *Respondeo* negans antecedens de omni subsistentia, de ratione enim subsistentiæ tantum est, complere naturam, constituendo cum illa concretum substantiuum. Cum autem Deus sit concretum substantiuum commune omnibus personis, ut constat ex sect. præcedenti, & ulterius per subsistentias relatiuas terminabile, inde substantia absoluta, & ulterius terminabilis admittenda est in Deo, ut omnes sint vnus idemque Deus iuxta ibidem tradita.

Ex subsistentia absoluta, & relatiuis nihil impedit resultare vnum per se.

47. Obijcies quarto, si Deitas subsisteret per subsistentiam absolutam esset per illam substantia completa: ergo non posset cum subsistentiis relatiuis constituere vnum per se, sed per accidens, quod dici non potest. *Respondeo* concesso antecedenti, negans consequentiam. Nam Deitas licet sit completa per subsistentiam absolutam, non tamen est ultimo completa, atque adeo potest per subsistentias relatiuas ulterius compleri, & cum illis vnum per se constituere. Sicut materia, licet compleatur per formam, potest ulterius compleri per subsistentiam, quia per formam non est ultimo completa.

48. Quod si instes, fieri inde, subsistentiam absolutam compleri, & subsistere per relatiuam; atque adeo dari subsistentiam subsistentiæ, & infinitum abeundum. *Respondeo*, subsistentiam absolutam compleri quidem, & subsistere per relatiuas, non tamen in eodem genere, scilicet absoluto, qua ratione subsistentia absoluta complet essentiam; sed in diuerso, scilicet relatiuo. Vnde nullus est processus infinitus. Quod si iterum instes, non dari actionem actionis, neque vnionem vnionis: ergo neque sub-

stisten

sistentiam subsistentiæ. *Respondeo* possibilem esse actionem actionis, & de facto dari unionem unionis, nam educatio unionis humanæ est unio ipsius unionis: ergo his potius probaretur possibilis, & existens subsistentia absoluta, quam impossibilis.

49. Obijcies quintò, si daretur subsistentia absoluta, relatiua esset superflua; ergo non datur. Antecedens probatur, nam subsistentia relatiua necessaria tantum est, vt Persona diuina sit subsistens, & incommunicabilis alteri: id haberet, etiamsi relatio non esset subsistentia: ergo subsistentia relatiua superflua est. Minor probatur, nam per subsistentiam absolutam esset quælibet persona subsistens, & per propriam relationem, etiam si subsistentia non esset, incommunicabilis esset alteri: ergo esset subsistens & incommunicabilis alteri. *Confirmatur*, quælibet subsistentia relatiua reddit naturam perfectè subsistentem, & completam: ergo superflua erit alia subsistentia absoluta, qua iterum compleatur, & subsistat.

Obiectio: Si daretur subsistentia absoluta, relatiua esset superflua.

50. *Respondeo* negans antecedens, subsistentia enim relatiua necessaria est ad vltimo constituendum concretum Personæ, quod nec præstare potest subsistentia absoluta, nec præstaret relatio, si subsistentia non esset. Ad confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia licet Paternitas reddat naturam diuinam perfectè subsistentem, non inde fit superfluam esse Filiationem eadem perfectione naturam diuinam complementem; quia necessaria est ad aliud concretum substantiuum personale constituendum. Subsistentia autem absoluta necessaria est ad concretum substantiuum *Deus* commune omnibus personis constituendum, quod nulla relatio præstare potest, atque adeo superflua non erit, etiamsi subsistentia relatiua naturam diuinam reddat perfectissimè subsistentem.

Manus, & necessitas subsistentiæ absolutæ, & relatiuæ.

51. Obijcies sextò, si daretur subsistentia absoluta, maximè, vt omnes Personæ essent vnus, idemque Deus: ad id subsistentia absoluta necessaria non est: ergo reijcienda. Major est vnicum fundamentum à nobis sect. præcedenti

Obiectio contra potissimū nostræ sententiæ fundamentū ejusque solutio.

denti stabilitum. Minor probatur. Nam vt omnes Personæ sint vnus, & idem Deus, satis est, vnã, & eandem Deitatem esse in omnibus, quamuis non sit vna, & eadem subsistentia, sed diuersa: ergo Antecedens probatur. Nam concretum *Deus* principalius importat Deitatem, quam subsistentiam, sicut concretum Personæ principalius importat Personalitatem, quam naturam: ergo sicut homo, & Deus, quantumuis naturis distinctis constituti, sunt in Christo vna, eadẽque Persona, ab vnica personalitate verbi, quam concretum *Persona* principalius importat, ita omnes diuinæ Personæ, quantumuis distinctis subsistentiis constitutæ, erunt vnus, idẽque Deus, ab vnica, eadẽque Deitate, quam concretum *Deus* principalius importat: ergo ad id subsistentia absoluta superflua erit.

52 Respondeo ex dictis sect. præcedenti subsistentiam absolutam necessariam non esse, vt omnes personæ sint vnus, & idem Deus ab vnica Deitate absoluta, sed vt tales sint ab vnica Deitate concreta, siue à concreto *Deus*, secundum totam suam latitudinem omnibus personis communi. Nam omnes ita esse vnum, eundemque Deum stabilitum est ex S. Thoma.

Recens obiectio processum infinitum subsistentiarum intendens,

53. Objicies vltimò, Recentior doctus. Si daretur subsistentia absoluta, procedendum esset in infinitas subsistentias absolutas virtualiter distinctas, quarum vna esset alterius subsistentia, & altera istius, &c. id sine dubio absurdum est: ergo non datur. Ad sequelæ probationem ponit, subsistentiam, quæ in eius sententia est vltimus terminus præsupponens naturam, esse reflexiuam in naturam, seu attingere illam, non vtcumque, sed vt præsuppositam ad subsistentiam. Quo posito, ita probat sequelam. Subsistentia absoluta reddit realiter formaliter naturam subsistentem: ergo natura sumpta realiter formaliter redditur subsistens per subsistentiam absolutam. Patet consequentia, nam si ob aliquam rationem, natura eo modo sumpta non redderetur subsistens per subsistentiam absolutam, maximè, quia alicui, quod est realiter formaliter
liter

liter natura, non conueniret reddi subsistens per subsistentiam absolutam: id autem dici non potest: ergo. Minorem probat, quia omne prædicatum absolutum, quod conuenit naturæ, ea ratione, qua ipsi conuenit, conuenit etiam realiter formaliter cuilibet prædicato, tam absoluto, quam relatiuo, sic quia natura diuina est intelligens, Paternitas realiter formaliter est intelligens: ergo quia virtualitatem naturæ reddi subsistentem per subsistentiam absolutam, totum est quid absolutum, debet realiter formaliter conuenire cuilibet prædicato Dei: ergo natura diuina sumpta realiter formaliter redditur subsistens per subsistentiam absolutam; atqui non potest subsistentia absoluta ita reddere naturam subsistentem, quin aliquo modo, saltem virtualiter, tanquam vltimus terminus reflectat, seu attingat naturam sumptam realiter formaliter: ergo cum ex parte naturæ sic sumptæ detur subsistentia absoluta, debet subsistentia attingens naturam sumptam realiter, attingere etiam subsistentiam absolutam: ergo in subsistentia absoluta debet dari aliquod prædicatum, quod per modum vnius virtualitatis reflectat supra subsistentiam absolutam: ergo cum ista reflexio sit per modum vltimi termini, subsistentia erit: ergo concedenda esset vna virtualitas, quæ esset subsistentia alterius subsistentiæ, & sic in infinitum, cum de qualibet idem procedat argumentum.

54. Hæc obiectio, sui authoris verbis proposita, licet speciosa, non tamen videtur efficax. In primis basis illius, & fundamentum, scilicet subsistentiam esse vltimum terminum naturam præsupponentem, negatur à nobis, quo totam argumenti machinam corruere, quis ambiget? Tota enim subsistentiarum distinctio in ea præsuppositione rei subsistentis à subsistentia nittebatur. In nostra autem sententia, subsistentia absoluta non aliter reflectit, seu attingit naturam, quam in sententia obijcientis intellectio necessaria attingit, & reflectit in se ipsam. Sicut ergo ex reflexione intellectio in se ipsam, non sequitur processus infinitus intellectio in tua sententia, ita

Basis, & fundamentum obijctionis difutum.

140 Tract. I. De *Essentia & Attributis Dei.*
neque subsistentiarum in nostra ex reflexione subsistentiæ
in naturam.

Ea basi, &
fundamēto
donatis af-
sumptum,
non proba-
tur.

55. Deinde, ea basi, & fundamento donatis, assumptum
sequelæ non probari, videtur clarum. Nam vel subsisten-
tia relatiua reddit realiter formaliter naturam diuinam
subsistentem, vel non? Si non ita reddit, cur subsistentia
absoluta ita denominare debet. Si reddit realiter forma-
liter naturam diuinam subsistentem? Rogo, an ex hoc
tuo antecedenti bona sit hæc consequentia: ergo natura
sumpta realiter formaliter redditur subsistens per subsi-
stentiam relatiuam. Si dicas bonam non esse, vnde hæc
eadem consequentia tua in subsistentia absoluta ex eo an-
tecedenti bona probabitur. Si dicas, quod necesse est
bonam esse, stat tuum argumentum contra te in subsisten-
tia relatiua. Nam ideo absoluta reflectere debet in se ip-
sam, quia per modum vltimi termini reddit subsistentem
naturam diuinam realiter formaliter sumptam, qua ratio-
ne est ipsa subsistentia absoluta, sed natura diuina realiter
formaliter sumpta est ipsa subsistentia relatiua: ergo cum
ista denominet subsistentem naturam diuinam realiter
formaliter sumptam, reflectere debet in se ipsam per mo-
dum vltimi termini, non minus quam absoluta: ergo in
vtraque, vel in nulla, dari debet subsistentia in infinitum.

56. Confirmo, nam supposito argumentantis fundamen-
to, quod scilicet subsistentia debeat præsupponere natu-
ram, subsistentia absoluta, si daretur, esset virtualitas à
natura distincta, non minus quam relatiua: ergo non se-
queretur professus infinitus, atque adeò ex hoc incon-
uenienti non bene probatur impossibilis subsistentia
absoluta. Consequentia probatur, ideò in subsistentia
relatiua non probatur per te processus infinitus, quia
licet denominet naturam subsistentem, non tamen
denominat illam realiter formaliter sumptam, sed
solam denominat subsistentem virtualitatem naturæ,
idem autem præstaret subsistentia absoluta, si esset; cum
non minus esset virtualitas à natura diuina distincta, quam
relatiua: ergo non sequeretur processus infinitus; atque
adeò

adeò ex hoc inconuenienti sequendo, non probatur impossibilis subsistentia absoluta; cum tale inconueniens non sequatur in mea sententia negante subsistentiam debere præsupponere naturam, nec in tua id affirmante: ergo in nulla.

57. Ad argumentum respondeo, subsistentiam absolutam denominare virtualitatem naturæ realiter formaliter subsistentem, id est verè, & formaliter subsistentem, & non per æquiualentiam tantum; quod si subsistentia absoluta indistincta virtualiter sit à natura diuina, censeo etiam denominare se ipsam realiter formaliter subsistentem, non minus, quam naturam, quidquid sit nostro modo concipiendi. Quia subsistentia intrinsecè, & ex parte obiecti est ipsa natura, & natura ipsa subsistentia. Non secus, nec aliter, ac in communi sententia in sola actuali intellectuone naturam diuinam constituyente, intellectio actualis naturam, & se ipsam denominat realiter formaliter intelligentem, eo quod ipsa intellectio est natura, & ipsa natura est intellectio. Nec ex eo quod subsistentia absoluta in se ipsam reflectat, inferri potest inter subsistentiam, & se ipsam distinctio vlla virtualis; quia ea reflexio non maiorem desiderat distinctionem, quam reflexio diuinæ scientiæ necessariæ in se ipsam, quæ stat absque vlla distinctione virtuali. Idemque est de reflexione amoris necessarij, vt ostendi tract. de voluntate Dei disp. 3. sect. 1. Nam vt constat ex dictis sectione præcedenti, de ratione non est supponere naturam, sed cum illa concretum subsistentiatuum constituere.

Satis constat
præcedenti
fundaméto.

S E C T I O V.

*Dubia aliquot circa subsistentiam absolutam
resoluntur.*

58. **D**ubium primum, an naturæ diuinæ subsistentia absoluta concedenda sit. Respondeo affirmatiuè. Naturæ diuinæ subsistentia ab-

foluta con-
cedenda.

Ratio est, quia cuicumque perfectioni diuinæ subsistentia absoluta concedatur, essentia, seu naturæ negari non potest, imò potissimo titulo illi concedenda, cum subsistentia sit naturæ complementum. Quod si aliis perfectionibus concedatur, eo quod substantiæ sint: ergo cum natura diuina substantia sit, concedenda illi erit subsistentia absoluta.

Attributis
subsistentia
absoluta
propria ip-
forum mini-
mè conce-
denda.

59. Dubium secundum, an attributis quatenus ab essentia distinctis concedenda sit subsistentia absoluta propria ipsorum. Affirmant Recentiores, nam subsistentia est complementum substantiæ; & attributa, quatenus ab essentia distincta propriam sibi vendicant rationem substantiæ. Respondeo tamen negatiuè. Nam subsistentia non est complementum debitum rationi subsistentiæ, sed soli naturæ substantiali, vnio enim hypostatica substantia est, & nulla gaudet subsistentia, aliter in Christo duplex esset, creata vna, & increata altera, vnde dixi in Metaphysica vnioni inter materiam, & formam substantialem debitam non esse propriam subsistentiam, quantumuis substantialis sit, eo quod natura non sit, sed vinculum naturarum. Attributa autem quatenus ab essentia diuina distincta, natura non sunt: ergo neque debita erit subsistentia propria.

60. Objicies, attributa, quatenus distincta ab essentia, sunt substantiæ completæ: ergo habent complementum, quo compleantur in ratione substantiæ: hoc autem est subsistentia: ergo. Antecedens probatur, quia attributa diuina non se habent tanquam rationes superiores, aut inferiores contrahibiles; aut contractæ; sed tanquam physicæ quædam entitates inter se, & ab essentia distinctæ: ergo sicut aliis physicis entitatibus secum debetur complementum substantiale, si substantiæ sint, & accidentale, si accidentia; ita etiam speciale complementum substantiale debetur attributis, quæ substantiæ sunt. *Confirmatur*, quia non minus completa est diuina volitio, v. g. in suo esse substantiali, quam volitio creata in esse accidentali: volitioni autem creatæ debitum est proprium comple

complementum accidentale, videlicet inhærentia: ergo & volitioni substantiali diuinæ proprium complementum substantiale, nempe subsistentia.

61. Respondeo attributa, diuina esse quidem substantias completas, non tamen complemento proprio, sed complemento naturæ, quia licet in se sint formaliter substantiæ, non tamen sunt formaliter natura, cuius solius proprium est complementum substantiale. Ad probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia; nam entitates creatæ sunt formaliter natura, vnde quid mirum si debita sit illis propria subsistentia; attributa verò diuina, quatenus ab essentia distincta, non sunt formaliter natura; atque adeò non propria est ipsis debita subsistentia. Ad confirmationem dicimus volitionem diuinam necessariam non minus esse completam complemento substantiali, quam creatam accidentali, non tamen complemento proprio, sed complemento naturæ.

Attributa licet substantiæ completæ sint, non tamen propriam habent subsistentiã.

62. Instabis, omne accidens connaturaliter existens habet proprium complementum, scilicet inhærentiam: ergo & omnis substantia proprium habebit complementum, scilicet subsistentiam: attributa autem, vt ab essentia distincta sunt substantia connaturalissimè existens: ergo proprio donanda sunt subsistentiæ complemento; non enim videtur dispar ratio, cur subsistentia non debeat esse omnis substantiæ complementum, sicut inhærentia est omnis accidentis. Respondeo, concesso antecedenti, negans consequentiam. Disparitas est, quia inhærentia est existentia accidentis in subiecto, qualiter est omne accidens connaturaliter existens; subsistentia verò in creatis non est productio connaturalis substantiæ, aliter productio vnionis hypostaticæ subsistentia esset; sed productio connaturalis naturæ substantialis, cuius est proprium complementum subsistentia, cum qua personam, vel suppositum, aut concretum substantium constituit.

Soluitur instantia à complemento accidentis petita.

63. Dubium tertium, an subsistentia absoluta distinguatur virtualiter à natura diuina. Respondeo negatiuè cum magno Soario lib. 4. de Trinitate c. 11. n. 3. & tom. 1.

Subsistentia absoluta nõ distinguitur virtualiter à natura diuina.

in

144 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

in 3. part. disp. 11. sect. 3. Ratio est, nam subsistentia absoluta, & natura diuina nulla componunt prædicata realiter contradictoria, nec vna est principium alterius, in quo stat distinctio virtualis, vt constabit suo loco. Antecedens probatur, quia nulla prædicata competunt realiter naturæ diuinæ, quæ absolutæ subsistentiæ non conueniant, hæcenus enim assignata non sunt; aliunde natura diuina non est principium virtuale subsistentiæ absolutæ, cum nulla huius rei sit necessitas, de ratione enim subsistentiæ non est esse à natura, tanquam à principio, non subsistentia creata non producitur à natura, sed potius est naturæ productio; neque de ratione subsistentiæ est, esse naturæ productionem, vt patet in subsistentiis relatiuis; atque adeò nulla stat necessitas constituendi rationem principij & termini inter subsistentiam absolutam, & naturam diuinam, & consequenter nec distinctionem virtualem.

64. Nec dici potest, subsistentiam absolutam, & naturam distingui virtualiter, non distinctione illa maxima componente, prædicata realiter contradictoria, aut rationem principij, aut termini, sed altera minori solam diuersitatem connotatorum, vel æquiualentiam entibus realiter distinctis exigente. Non inquam id dici potest, nam eam connotatorum diuersitatem, aut æquiualentiam sufficientem non esse distinctioni virtuali constabit expresso disp. 7.

Subsistentia absoluta, nec personalitas est, nec personam absolutam, aut suppositum constituit

65. Dubium quartum, an subsistentia absoluta constituat vnà cum natura personam, aut suppositum absolutum, & commune. Caietanus 3. part. quæst. 2. art. 2. existimat subsistentiam absolutam esse personalitatem absolutam, & personam absolutam constituere, quam tamen personam non vult esse plenam, & perfectam, sed semipersonam tantum, & incompletam.

66. Respondeo tamen, subsistentiam absolutam personalitatem non esse, nec personam absolutam, aut suppositum constituere. Hæc est communis ferè omnium Theologorum sententia contra Caietanum. Probatur primò, ex S. Thoma dist. 26. quæst. 1. art. 1. ita scribente

Ad

Disp. III. De *Div. subst. & subst.* Sect. V. 145

Ad quartum dicendum est, quod persona, ut dictum est, non distinguitur in diuinis ex parte naturæ, vel ex parte ipsius esse; sed solum ex parte proprietatum, unde illa nomina quæ dicuntur secundum respectum ad proprietatem pluraliter prædicantur sicut hypostasis, & persona: ergo ex parte naturæ, seu essentiæ diuinæ non correspondet persona absoluta. Nam ibi distinguit S. Doctor inter personam hypostasim, & essentiam, seu naturam, & dum concedit naturam esse communem, idemque præstat de subsistentia absoluta; expressè negat personam, & hypostasim esse communem, aut singulariter prædicari, sicut essentia, & subsistentia absoluta singulariter prædicantur: ergo ex mente S. Thomæ nulla stat persona absoluta.

66. Probatur secundò. Nam persona absoluta esset in Deo omnino otiosa, & fortè principiis fidei pernitiōsa: ergo rejicienda est, & extirpanda. Antecedens probatur, quia persona illa vnica absoluta ad nullum alium effectum inferuire posset; nisi vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus essent vna persona: id autem, omnino otiosum est, imò fidei principiis repugnans, docentibus non vnica esse personam, sed tres; & aliam esse personam Patris, aliam Filij, & aliam Spiritus sancti: subsistentia autem absoluta necessaria est vt omnes tres personæ sint vnus, idemque Deus concrete: ergo etiam admissa subsistentia nullum est, vel leue fundamentum, ad personam absolutam admittendam.

Persona absoluta esset in Deo omnino otiosa.

67. Tertio, de ratione personalitatis est, esse subsistentiam indiuiduam, id est, esse subsistentiam incommunicabilem pluribus, siue distinctis: ergo implicat in terminis personalitas absoluta. Patet consequentia, nam personalitas absoluta, hoc ipso esset, & non esset communicabilis, esset quidem, quia omne absolutum communicabile est omnibus personis; non esset, quia incommunicabilitas est de ratione personalitatis: ergo. *Confirmatur*, nam personalitas absoluta constitueret personam virtualiter distinctam à Patre, Filio, & Spiritu sancto: ergo constitueret quartam personam, sicut relatio Spiratoris constituit

Implicat terminos personalitas absoluta.

T quartam

quartam relationem, etiamsi à Paternitate, & Filiatione virtualiter tantum distinguatur.

68. Dices, incommunicabilitatem non esse de ratione personalitatis vt sic, sed de ratione tantum personalitatis relatiuæ sicut non est de ratione subsistentiæ vt sic, sed de ratione tantum subsistentiæ relatiuæ. Sicut enim vltra subsistentias relatiuas admittitur à nobis absoluta, cur etiam vltra personalitates relatiuas admittenda non erit absoluta.

Incommu-
nicabilitas
est de ratio-
ne persona-
litas.

69. Contra primò, quia de ratione personalitatis est, esse subsistentiam indiuiduam, id est, subsistentiam incommunicabilem, vt loquuntur omnes Patres, à quibus in intelligentia nominum spectantium ad fidei mysteria recedere non licet. De ratione autem subsistentiæ id non esse, non nostra fulcimus autoritate, sed grauium Theologorum consensu, & expressissima S. Thomæ Doctrina; non ergo idem ferendum est iudicium de subsistentia absoluta, & personalitate, maximè cum vtriusque non sit eadem necessitas, vt vidimus. *Secundò*, quia si de ratione personalitatis non esset incommunicabilitas, relatio Spiritus cum subsistentia relatiua sit, & Patri, Filioque communis, personalitas esset etiam relatiua, vtrique communis; vnde non solum daretur persona absoluta omnibus communis, sed etiam relatiua Patri, Filioque communis, quod nec Caietanus admittet, nec vllus alius.

70. Objicies, Deitas, vt est vna entitas absoluta, est subsistentia completa: aliunde est incommunicabilis alieno supposito: ergo est persona absoluta. Patet consequentia, quia ad personam aliud non exigitur, quam substantia completa incommunicabilis alteri. *Respondeo*, Deitatem, quatenus est vna entitas absoluta, & à relationibus distincta, esse substantiam completam subsistentia absoluta; & pluribus communi, non verò subsistentia incommunicabili pluribus, siue distinctis. Ad rationem autem personalitatis, non sat est incommunicabilitas alieno supposito, quam ex suis prædicatis habet natura; sed vltèrius opus, est incommunicabilitas pluribus suppositis distinctis


Disp. IV. *De Vita intellect. Dei. Sect. I.* 147
distinctis, etiam si propria sint; subsistentia autem absoluta pluribus distinctis incommunicabilis non est, & consequenter neque personalitas.

71. Instabis, in creatis quælibet subsistentia naturæ rationalis est personalitas: ergo etiam in Deo: ergo subsistentia absoluta personalitas erit absoluta. *Respondeo* concessio antecedente, negans utramque consequentiam disparitas est, quia in creatis nulla est subsistentia naturæ rationalis, quæ sit communicabilis pluribus suppositis distinctis, inde quælibet personalitas est; in Deo autem subsistentia absoluta est communicabilis pluribus suppositis distinctis, ideoque personalitas esse non potest.



DISPVATIO IV.

*Quo pacto sit Deus substantia Spiritualis,
uiuens, & intelligens.*

I.  **D**EVM esse substantiam spiritualem, certum est fide ex illo Ioan. 4. *Spiritus est Deus.* Et ratio est, quia substantia spiritualis, vel est substantia indiuisibilis in partes extensionis, vel substantia natura sua replicabilis: Deus autem indiuisibilis est in partes extensionis, utpote compositionem arguentes; & natura sua replicabilis in omni loco: ergo & substantia spiritualis. Deum insuper uiuentem, & intelligentem esse, veritas est etiam de fide. Prima pars exprimitur Daniel ultimo. *Dominum meum adoro, quia ipse est Deus uiuens.* Et Apoc. 5. *Adorauerunt uiuentem in*

Deus substantia spiritualis est, & intelligens.

148 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.
secula seculorum. Secunda frequentissima est in sacris
litteris inferius subjiciendis, & vtriusque ratio ma-
nifesta. Nam Deus continere debet perfectissimum
gradum entis, qualis est viuentium, & inter viuentia
continere debet supremum, qualis est intelligentium.
Difficultas ergo est circa modum quo huiusmodi
perfectiones competant Deo.

SECTION I.

*An sit Deus viuens, & intelligens in actu primo,
seu an sit in Deo actus primus intelligendi.*

Status con-
trouersia
ponitur.

2. **N**ON differo nunc, an respectu intellectionis ab-
solutæ, tam liberæ, quam necessariæ detur in
Deo actus primus intelligendi per modum principij pro-
ductiui, aut receptiui actualis intellectionis; neque an
talis actus primus sit realis formalis, aut tantum virtualis,
seu nostro solo modo concipiendi distinctus ab actuali
intellectione, hæc enim omnia futuris sectionibus deri-
menda venient. Ab his ergo omnibus præsciendo con-
trouersia nobis est, an sicut in intelligente creato cum di-
stinctione reali, non solum reperitur intellectio, seu ex-
pressio, aut perceptio obiecti, sed etiam substantia intel-
lectiua illius; ita in intelligente diuino cum identitate
reali, non solum reperiat actualis intellectio correspon-
dens intellectioni creatæ, sed etiam substantia intellectiua,
& perceptiua obiecti correspondens actui primo intelli-
gendi creato.

Sententia
doctorum
Scotus,
P. Soarius.
P. Arrubal.

3. Prior, & communis sententia affirmat, dari in Deo
actum primum intelligendi respectu intellectionis abso-
lutæ, tam liberæ, quam necessariæ, non enim hic agitur
de intellectione notionali. Ita Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7.

P. Soa

Disp. IV. De Vita intellect. Dei. Sect. I. 149

P. Soarius disp. 3. metaph. sect. 15. P. Arrubal 1. part. disp. 28. cap. 5. P. Granadus, Molina, Torres, Vasquez Floraluante, Portugal, & Machin, apud nostrum Hemelman tom. 1. tit. 3. disp. 1. P. Raynaudus in sua Theologia naturali dist. 8. quæst. 1. P. Arriaga de scientia Dei disp. 15. tota sect. 3. P. Franciscus de Lugo lib. 1. de Deo vno disp. 16. cap. 4. P. Martinon 1. part. disp. 3. num. 7. Henricus 1. parte summæ art. 36. Durandus in 1. dist. 35. quæst. 1. num. 8. Alensis 1. part. quæst. 19. num. 1. Auerfa hic quæst. 14. sect. 2. *Posterior sententia* negat. Ita P. Herice disp. 2. de Scientia Dei cap. 3. Secutus Aureolum in 1. dist. 35. art. 3. & Gabrielem ibidem dubio primo. Eandem sententiam tenent. P. Hemelman tom. 1. in primam partem tit. 3. disp. 1. cap. 5. P. Ribas de Scientia Dei disp. 1. cap. 2. & 3. P. Ribadinera ibidem disp. 2. cap. 7. & alij Recentiores.

P. Granadus.
P. Molina.
P. Torres.
P. Vasquez.
P. Raynaud.
P. Arriaga.
P. F. de Lugo
P. Martinon.
Henricus.
Durandus.
Alensis.
Auerfa.
P. Herice.
Aureolus.
Gabriel.
P. Hemelm.
P. Ribas.

4. Afferendum est cum priori sententia, dari in Deo actum primum intelligendi respectu intellectiois absolutæ tam liberæ quam necessariæ. Assertum suadetur primò ex Concilio Rhemenfi sub Eugenio Papa III. contra Gilbertum Porretanum Pictauientse Episcopum, vbi innuitur, in Deo dari cum identitate reali, id quod est sapiens & id quo est sapiens: ergo in Deo non solum admitenda est actualis intellectio, quæ est sapiens, & intelligens vt quo; sed etiam capacitas intelligendi, quæ sit sapiens, vt quod; & consequenter actus primus intelligendi in ea capacitate consistens. Cum enim Gilbertus diceret inter alia, Deum esse sapientem, non verò sapientiam, quibus manifestissimè constituebat in Deo actum primum intelligendi ab actuali intellectioe realiter distinctum; firmatum est à Patribus Prouinciarum contra illum, Deum, *non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse.* Quibus non excluditur à Patribus actus primus intelligendi, sed sola distinctio realis illius ab actu secundo. Cuius rei meminit S. Bernardus ferm. 80. in cantica acriter exprobens Gilberti errores. *Confirmatur.* Nam ex illo Prophetæ Psalm. 93. *Qui plantauit aurem non audiet, aut*

Datur actus primus intelligendi in Deo.

150 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

qui finxit oculum non considerat. Inferunt communiter Theologi, esse in Deo cognitionem, eo quod illam nobis impertitus est: ergo etiam erit in Deo actus primus intelligendi, quem nobis largitus est. Imo potissimum exprimitur eo testimonio, ubi non actus secundus creatus, sed primus memoratur à Propheta nominibus auris, & oculi; ac si diceret, qui mentis aurem plantauit, & oculum finxit, similibus perfectionibus carebit.

Secunda probatio ex Patribus. Irenæus. Cyrillus Alex. Fulgentius. Thomas.

5. Secundò probatur ex Patribus concedentibus Deo intellectum, siue mentem Irenæus lib. 2. aduersus hæreses. cap. 48. *Deus totus existens mens, & totus existens logos.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 5. *Filius appellatur verbum, ac sapientia, quoniam ex intellectu immediate, atque indiuisibiliter est:* Et iterum, *mens enim & intellectus in verbo.* Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. *sic est verbum apud Deum, sicut est in mente verbum.* S. Thomas 1. part. quæst. 19. articulo 1. corpore. *Respondeo dicendum, in Deo esse voluntatem, sicut & in eo est intellectus: voluntas enim intellectum consequitur.* Et infra, *unde in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis, & sic oportet esse in Deo voluntatem, cum sit in eo intellectus.* Intellectus autem expressius denotat actum primum intelligendi, quam actualem intellectionem, cum sit ratio conueniendi cum intellectu, & non cum intellectione creata: ergo.

Tertia probatio, quia à Deo & creatura præscindi potest ratio substantiæ intellectiue.

6. Tertiò ratione probatur: Nam à Deo, & Angelo potest præscindi ratio intelligentis: huiusmodi autem conceptus, ita proprius est actus primi creati, vt actui secundo nulla ratione competat: ergo datur in Deo conceptus intelligentis ita proprius actus primi creati, vt actui secundo nulla ratione competat. Nec dicas à Deo, & Angelo præscindi solum posse conceptum intelligentis communem intelligenti vt quo, & vt quod, qui conceptus communis est, tam actui primo intelligendi creato, quam secundo, cum intellectio creata sit intelligens vt quo. Non inquam id dicas, nam à Deo, & Angelo præscindi potest ratio substantiæ intelligentis, qui conceptus ita proprius
ita

ita est actus primi creati, vt actui secundo; vtpote pure accidentali, conuenire non possit: ergo stat in Deo conceptus ita proprius actus primi, qui actui secundo nullatenus communis est.

7. Quarto, intellectio creata non continet integram, & adæquatam perfectionem generis intelligentis: ergo si intelligens diuinam solam diceret perfectionem actualis intellectionis, & non actum primum intelligendi, non diceret integram, & adæquatam perfectionem generis intelligentis. Antecedens probatur; nam differentia, per quam substantia creata contrahitur ad intellectiuum, est perfectio generis intelligentis, vt est certum: cognitio autem creata, non dicit eam differentiam, cum ab illa realiter distinguatur: ergo nec dicit integram, & adæquatam differentiam generis intelligentis. *Confirmatur*, nam in creatis potissima perfectio generis intelligendi posita non est in actuali intellectione, sed in actu primo intelligendi: ergo si iste Deo negaretur, potissima perfectio generis intelligendi extirparetur ab illo.

Quarta,
quia actus
primus in-
telligendi
est perfectio
generis in-
tellectiui.

8. Dices, differentiam, per quam substantia creata contrahitur ad intellectiuum, esse quidem perfectionem generis intelligentis, sed mixtam imperfectionibus potentialitatis, atque adeò exterminandam à Deo, vt eius actualis intellectio sit actus purissimus nulli potentialitati subiectus.

9. *Contra primò*; nam etiam intellectio creata permixta est imperfectionibus formæ, & tamen quia perfectio est generis intelligentis, conceditur Deo actualis intellectio, expulsis imperfectionibus creatis: ergo cum actus primus intelligendi creatus sit perfectio generis intelligentis, concedendus Deo erit præcisus imperfectionibus creatis. *Secundò*, quia in Deo datur actus primus intelligendi respectu veritatis contingentis: ergo iste nullam dicit in Deo imperfectionem, atque adeò etiam respectu veritatis necessariae concedendus Deo erit. Antecedens probatur, nam capacitas intelligendi libera, est perfectio Deo necessaria, actualis verò intellectio continens

Effugium
quod tentari
posset, in-
fringitur.

gens

gens: ergo capacitas intelligendi obiecta libera non potest esse actus secundus, cum iste sit contingens: ergo erit actus primus respectu intellectiois liberæ. *Tertio*, in Deo datur actus primus volendi, non solum respectu volitionis liberæ, sed etiam necessariæ, siue in essentia diuina, vt volunt aliqui, consistat, siue in voluntate ab illa distincta, vt tenent alij: ergo concedendus etiam est actus primus intelligendi per intellectioem necessariam, siue virtualiter siue logicè tantum distinctus, de quo modo non disputo.

Quinta probatio ex diuino subsistente, & subsistentia.

10. *Quinto*, in subsistente diuino non solum datur conceptus subsistentiæ correspondens subsistentiæ creatæ, & non conueniens naturæ; sed etiam conceptus subsistentis vt quod, correspondens naturæ creatæ, & nulla ratione conueniens subsistentiæ: ergo pariter in intelligente diuino, non solum dabitur conceptus intellectiois correspondens intellectioi creatæ, & non conueniens intellectui sed etiam conceptus intelligentis vt quod, correspondens intellectiuo creato, & non conueniens intellectioi. Probatur consequentia, ideò in Deo, vltra subsistentiam, conceditur subsistens vt quod, quia vtrumque est de gradu integro, & completo substantiæ; qui gradus perfectus est: similiter autem tam intellectio, quam intelligens vt quod, sunt de gradu intelligendi integro, & perfecto, qui gradus perfectissimus est: ergo vtrumque Deo concedendum erit.

Sexta, quia intelligens v quod cæteris paribus maior est perfectio, quam intellectio.

11. *Sexto*, intelligens vt quod, cæteris paribus, perfectius est actuali intellectioe, vel saltem æqualis perfectionis cum illa: ergo concessa Deo intellectioe actuali, nullum stat fundamentum ad actum primum intelligendi negandum. Antecedens probatur: nam intellectus accidentalis perfectior est intellectioe accidentali: ergo & intellectus substantialis perfectior erit intellectioe substantiali, & intellectus simpliciter infinitus perfectior erit intellectioe simpliciter infinita, vel saltem æqualis erit perfectionis cum illa.

12. Dices primò, intellectum accidentalem esse quidem perfectiorem sua intellectioe; quia nulla intellectio accidenta

dentalis continet extensionem intellectus; iste enim extenditur ad omne cognoscibile; intellectio verò ad vnum vel ad alterum tantum; intellectio autem diuina extenditur ad omne cognoscibile, ideoque maiorem arguit perfectionem, quam intellectus.

13. Contra *primò*, quia intellectus accidentalis non solum est perfectior vna, vel altera intellectione accidentali, sed etiam omni intellectione ipsi possibili, potentia autem accidentalis intellectiua non habet maiorem extensionem, quam cumulus omnis intellectione accidentalis: ergo licet potentia intellectiua diuina non contineat maiorem extensionem, quam intellectio, erit illa perfectior, vel saltem æqualis perfectionis quod sufficit argumentationi nostræ. *Secundò*, quia sicut potentia intellectiua accidentalis maiorem habet extensionem, quam vna, vel altera intellectio hominis, vel leonis; ita potentia intellectiua diuina maiorem habet extensionem, quam vna, vel altera intellectio diuina hominis, vel leonis; & sicut potentia intellectiua accidentalis æqualem habet extensionem cum omni intellectione accidentali; ita potentia intellectiua diuina æqualem haberet extensionem cum omni intellectione diuina: ergo sicut potentia intellectiua accidentalis non solum est perfectior vna, vel altera cognitione hominis, vel leonis, sed etiam cumulo omnis intellectione, ita potentia intellectiua substantialis diuina, non solum erit perfectior vna, vel altera intellectione substantiali diuina hominis, vel leonis, sed cumulo omnis intellectione; vel saltem æqualis erit perfectionis. *Tertiò*, possibilis est potentia intellectiua per vnicam tantum intellectionem, & vnus tantum obiecti perceptiua, in ea autem tanta esset extensio intellectione, quanta potentia; & tamen potentia esset perfectior intellectione: ergo licet intellectio diuina tantam contineat extensionem, quantam potentia intellectiua, sufficiens non est fundamentum ad negandam potentia intellectiua maiorem, vel æqualem perfectionem.

14. Dices *secundò*, potentiam intellectiuam, cæteris
 V paribus

paribus, æqualem esse perfectionem cum intellectione, cæterum implicare in Deo, quia derogat perfectioni intellectione, extrahendo illam à ratione actus purissimi.

Responso
actus puris-
simi librata.

15. Contra tamen primò; nam si semel statuatur, potentiam intellectiuam æqualem esse perfectionem cum actuali intellectione, attendendum non est, vtrum deroget perfectioni formali sui actus, nec inde Deo negari potest, vt fatentur aduersarij, in conceptu substantiæ, & substantiæ. Etenim, quia melius est Deo integrum substantiæ genus continere, quam partem, conceditur illi non solum substantia, sed etiam ratio substantiæ subsistentis vt quod, quia vterque conceptus est de integritate substantiæ: nec obstat, quod conceptus substantiæ sit actus primus respectu subsistentiæ, & deroget perfectioni actus purissimi formalis, qualis esset substantia, si nullum supponeret actum primum sui: melius autem est Deo habere integrum genus intelligendi, quam partem: ergo melius illi erit esse simul intelligentem, vt quo, & vt quod; quam esse tantum intelligentem, vt quo: ergo licet potentia intelligendi deroget perfectioni formali actus purissimi erit Deo concedenda.

Qualem po-
tentia actus
purissimus
excludere
debeat.

16. Secundò, quia nostra argumenta contendunt, nullam esse imperfectionem respectu Dei, quod intellectio necessaria non sit actus formaliter purissimus, quatenus iste excludit omnimodam potentiam intelligendi, sed quatenus tantum excludit potentiam realem formalem; sic essentia diuina, citra omnem imperfectionem, dicitur attributorum, relationumque radix, & apud aduersarios est actus primus respectu intellectione liberæ, & ista actus secundus: ergo sicut de ratione intellectione diuinæ liberæ non est, esse actum formaliter purissimum, neque erit de ratione intellectione necessaria.

17. Tertiò, quia potentia generatiua Patris nihil derogat perfectioni, & puritati Filiationis idem est de potentia spiratiua Patris, & Filij respectu Spiritus sancti: ergo neque potentia intellectiuam derogaret puritati, & perfectioni intellectione, etenim sicut Filiatio est actus secundus

us formalis realis potentia generatiua, ita intellectio esset actus secundus virtualis, aut per rationem potentia intellectiua; cur ergo Filiatio stabit purissima, & perfectissima, quantumuis supponat potentiam generatiuam, & non stabit intellectio quantumuis supponeret potentiam intellectiuam.

18. Vltimò probatur conclusio, concussio aliquorum fundamento. Si Deo repugnaret actus primus, seu potentia intelligendi, maximè, quia esset pura radix intellectiua nullam dicens perfectionem formalem: id falsum est: ergo &c. Minor probatur quia pura radix tantum dicit vim sui termini productiuam: potentia autem intellectiua, non tantum id dicit: ergo neque erit pura radix. Minor probatur, tum quia potest reperiri virtus productiua intellectiua absque potentia intelligendi per illam, vt patet in lumine gloriae, & habitibus infusis habentibus vim productiuam visionis beatae, & actuum supernaturalium absque vlla potentia intelligendi; tum etiam, quia, Deus ~~non~~ habet virtutem producendi cognitionem creatam, quin habeat capacitatem intelligendi per illam: ergo potentia intellectiua speciale continet prædicatum præter vim intellectiua productiuam. Confirmatur *primò*, si in Deo esset potentia intelligendi, ea esset perfectio formalis: ergo non ideò neganda, quia esset pura radix nullam dicens perfectionem formalem. Antecedens probatur, potentia intelligendi in Angelo, & homine perfectio formalis est, non minus quam intellectio: ergo etiam in Deo. *Secundò*, quia principium connaturale subsistentiae, ideò non est pura radix, quia esse principium subsistentiae, vel posse subsistere, dicit esse substantiam, esse autem principium intellectiua, seu posse intelligere, dicit esse substantiam intellectiuam: ergo non erit pura radix, sed perfectio formalis.

19. Ex dictis collige, admittendum esse in Deo actum primum volendi, seu volituum radicale. Hæc assertio eisdem argumentis, quibus præcedens, firmanda est, &

Potentia intellectiua non esset pura radix intellectiua nisi diuinae.

Actus primus volendi concedendus Deo.

S E C T I O II.

*An actus primus intelligendi diuinus sit
realis formalis.*

Placita do-
ctorum
Albiz.
Aureolus.
Scotus.
Durandus.
Alensis.
P. Granadus.
P. Alarcon.

20. **H**Æc controuersia agitur inter Doctores admit-
tentes in Deo actum primum intelligendi, &
ex suppositione illius. Prior ergo sententia negat actum
primum intelligendi diuinum esse realem formalem re-
spectu intellectiōnis absolutæ. Ita Albiz, Aureolus & alij,
quos citat, & sequitur P. Hemelman tom. 1. tit. 3. disp. 1.
cap. 3. Posterior sententia affirmat, quæ tamen diuersimo-
dè defenditur. Nam Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. sua di-
stinctione reali formali admittit realem formalem produ-
ctionem intellectiōnis absolutæ à potentia intelligendi.
Ab Scoto vix distant Durandus in 1. dist. 35. quæst. 1.
num 8. & Alensis 1. part. quæst. 20. P. vero Granadus 1.
part. controu. 7. tract. 1. disp. 1. cap. 1. P. Alarcon tract. 2.
disp. 1. cap. 1. & alij docent; ad actum primum realem
formalem necessariam non esse rationem principij realis
formalis, sed sufficere capacitatem realem formalem, vt
Deus vnione perfectissima identitatis per intellectiōnem
denominetur intellegens vt quod.

21. Ab his sententiis iudico maiori ex parte de voce po-
tius, quam de re contendi, excepto illo Scoti fundamen-
to distinctionis realis formalis ex natura rei, consimilis-
que productionis inter potentiam intellectiuam, & actua-
lem intellectiōnem absolutam. Huiusmodi enim distin-
ctionem, & productionem, nisi in virtualem coincidat,
nullam esse inter prædicata absoluta Dei mihi compertum
est. Vt clarius tamen constet dissidium illud hominis ef-
fe, vtriusque sententiæ fundamenta producemus, vnde
apparebit, quid vnaquæque sententia actui primo intel-
ligendi concedat, quidque neget.

22. Doctores ergo negantes in Deo, respectu intellectio-
nis absolutæ, actum primum realem formalem intelligen-
di; hoc trahuntur fundamento. Nam de ratione actus
primi realis est, esse principium reale formale actus secun-
di, sicut de ratione actus primi realis virtualis est, esse prin-
cipium virtuale actus secundi: respectu autem intellectio-
nis absolutæ implicat principium reale formale, cum hoc
non stet absque distinctione reali formali à termino: ergo
& actus primus realis formalis. Confirmant, nam si intel-
lectio esset realiter formaliter actus secundus, deberet
esse realiter formaliter ab actu primo, cum actus secundus,
modo quo talis est, debeat esse ab actu primo illique op-
positus: id autem implicat, utpotè distinctionem realem
formalem inuoluens, eo quod nulla res possit esse connat-
urale principium sui ipsius, quidquid sit de obedientiali,
vnde nos tractatu de Trinitate, principium, quo prox-
imum realiter productiuum diximus non posse in absoluto
consistere, sed in solo relatiuo personæ producentis, quia
hoc solum distinctum realiter est à termino productio:
ergo.

Fundamentū
sententiæ
negantis
actum pri-
mum realem
formalem
intelligendi,
in Deo.

23. Doctores verò affirmantes in Deo, respectu intel-
lectionis absolutæ, actum primum realem formalem in-
telligendi potissimè mouentur, quia Deus verè propriè,
& realiter formaliter intelligit per intellectionem abso-
lutam, quantumuis realiter formaliter improductam &
indistinctam: ergo verè propriè, & realiter formaliter est
potens intelligere; nam qui actu intelligit potens est in-
telligere, cum ab actu ad potentiam legitima sit illatio:
ergo verè propriè, & realiter formaliter habet Deus po-
tentiam intelligendi per intellectionem, quantumuis rea-
liter indistinctam, & improductam; nam qui potens est
aliquid præstare, est habens potentiam ad præstandum
illud: potentia autem intelligendi per intellectionem,
& actus primus intelligendi apud admittentes illum, verba
sunt tantum diuersa: ergo cum sit in Deo verè propriè,
realiter formaliter potentia intelligendi, quoque erit
verè propriè, & realiter formaliter actus primus intelli-
gendi.

Fundamen-
tum senten-
tiæ affirman-
tis.

24. Ex his fundamentis satis apparet non idem intelligi ab utriusque sententiæ Doctoribus nomine actus primi realis formalis; nam negantes intelligunt principium realiter formaliter intellectiois productiuum, qualis actus primus non concluditur ab affirmantibus; affirmantes vero intelligunt potentiam realiter formaliter intelligendi, per intellectioem quantumuis realiter improductam, & indistinctam, quam non crediderim à negantibus expungi. Tota ergo lis consistet in intelligentia nominis actus primi, an videlicet intelligendum sit principium reale formale actus secundi, an verò capacitas, seu potentia intelligendi absque tali ratione principij, idcirco.

Qua ratione
negandus in
Deo actus
primus in-
telligendi
realis for-
malis.

25. Censeo primò, nullum dari in Deo actum primum realem formalem intelligendi sumptum pro principio realiter formaliter productiuo actus secundi. Ratio est, quia connaturaliter idem non potest esse principium reale formale sui ipsius, sed necessario debet esse principium termini realiter formaliter distincti, vt multis stabiliuimus tract. de Trinitate disp. 6. sect. 1. inter prædicata autem absoluta qualia sunt actus primus intelligendi, & actualis intellectio, nulla distinctio realis formalis potest consistere: ergo nec ratio principij realis formalis. Idem firmari potest ex principio virtuali, quod necessario debet esse termini virtualiter distincti.

Quo pacto
admittendus.

26. Censeo secundò, admittendum esse in Deo actum primum realem formalem intelligendi sumptum pro potentia intelligendi per intellectioem, quantumuis realiter indistinctam, & improductam. Ratio est, quam pro doctoribus affirmantibus exposuimus supra. Nam huiusmodi actus primus non sumit denominationem realis formalis à productione actus secundi, sed à capacitate quam habet, vt ab actu secundo reddatur realiter formaliter intelligens. Quod si dicas hoc pacto admittendum esse in Deo actum primum realem formalem subsistendi per subsistentiam absolutam, quantumuis realiter, & virtualiter distinctam à natura, quia ista per illam denominatur realiter formaliter subsistens. Respondeo
id

id verum quidem esse, nec vllum continens absurdum. Vnde actus primus intelligendi etiamsi solo nostro modo concipiendi ab actu secundo distingueretur, adhuc rationem actus primi realis formalis contineret.

S E C T I O III.

An actus primus intelligendi sit virtualiter distinctus ab actuali intellectione, vel solo nostro modo concipiendi.

27. **P**Rior sententia docet esse virtualiter distinctum. Ita Pater Vasquez, P. Molina, P. Granadus, P. Turrianus, & alij citati à nostro Hemelman tom. 1. tit. 3. disp. 1. Insuper P. Arrubal tom. 1. in 1. part. disp. 28. P. Raynaudus sua Theologia naturali dist. 8. quæst. 1. num. 5. Aversa hic quæst. 14. sect. 2. *Posterior sententia* tenet, actum primum intelligendi tantum nostro modo concipiendi distingui ab actuali intellectione necessaria; à libera verò virtualiter. Ita P. Arriaga disp. 15. sect. 3. subsect. 5. & multi Recentiores cum ipso.
28. Affero primò, actum primum intelligendi distingui virtualiter ab intellectione libera. Conclusio hæc facile probatur. Nam actus primus, & scientia libera fundant prædicata realiter contradictoria, scilicet, potuisse non esse realiter in Deo, quod non fundat actus primus intelligendi, vtpote omnino Deo necessarius, quod tractatu de voluntate agentes de constitutio actus liberi fusius prosequuti sumus; ibi enim magna illa difficultas, quomodo actus diuinus liber potuerit in Deo realiter non esse; cum tamen idem sit realiter adæquatè cum solo ipso, declarata à nobis est interuentu distinctionis virtualis prædicata realiter contradictoria componentis; quod idem de scientia libera tuendum est.
29. Affero secundò, actum primum intelligendi distin-

Sententiæ
Doctorem,
P. Vasquez.
P. Molina.
P. Granadus.
P. Torres.
P. Arrubal.
P. Raynaud.
P. Arriaga.

Actus pri-
mus intelli-
gendi distin-
ctus virtua-
liter ab in-
tellectione
libera.

gui

Virtualiter
tam distin-
ctus ab in-
tellectione
necessaria.

gui etiam virtualiter ab intellectione necessaria. Probat-
tur, nam intellectio diuina necessaria est actio, seu ope-
ratio potentiae intellectiuae: ergo est à potentia intellec-
tiua operante: non operante realiter formaliter, cum id
absque distinctione reali formali consistere non possit: er-
go operante realiter virtualiter. Quod autem est à princi-
pio realiter virtualiter operante, distinguitur virtualiter
ab illo: ergo & intellectio necessaria à potentia intellec-
tiua. Primum Antecedens probatur primò (reliqua enim
ex terminis nota sunt, cum idem non possit esse princi-
pium sui ipsius) Nam sexta Synodus generalis actione 18.
statuit volitionem diuinam, præscindendo à libera, &
necessaria, operationem esse diuinæ voluntatis, vt ex
professo attingimus tract. de voluntate disp. 1. sect. 2. ergo
etiam intellectio diuina præscindendo, à libera & neces-
saria, operatio erit intellectus diuini.

Sexta Syno-
dus gene-
ralis.

S. Thomas.

30. Et sanctus Thomas 1. part. quæst. 27. art. 5. corpore
disputans vtrum sint plures processiones in diuinis, quam
duæ? rem dirimit his verbis. *Respondeo dicendum quod pro-
cessiones in diuinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quæ
in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellec-
tuali, & diuina, non sunt nisi duæ scilicet, intelligere, & velle.*
Sermonem autem ibi esse de intellectione, & volitione
necessaria, certum est, cum per illas, & fortè solas, sint
diuinæ processiones; vtrumque autem vocat S. Thomas
actionem, seu operationem manentem in agente, id est,
in suo principio: ergo intellectio necessaria est operatio
potentiæ intellectiuae, & hoc illius principium. Vrgen-
tiora habet S. Thomas, eadem prima parte, quæst. 14. ita
scribens. *Post considerationem eorum, quæ ad diuinam substan-
tiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad
operationem ipsius. Et quia operatio quadam est quæ manet in
operante, quadam verò quæ procedit in exteriorum effectum, pri-
mo agemus de scientia, & voluntate (nam intelligere in intelli-
gente est, & velle in volente)* ibi autem sermonem esse de
omni scientia, etiam necessaria, indubitatum est, cum de
ista potissimum disputet in sequentibus; eodemque modo

de

de intellectu, & volitione loquatur, & volitione etiam necessariam comprehendat, id quod S. Doctor clarissime explicat art. 4. loquens enim de intellectu, quæ est Dei essentia, nempe physica, qualis non est scientia libera, sed sola necessaria ait. *Ad primum ergo dicendum, quod intelligere non est operatio exiens ab ipso operante sed manens in ipso*: ergo intellectio necessaria est operatio à diuina essentia operante; qui termini gratis à Recentioribus ad operationem pure grammaticalem referuntur, cum physice potius proprii sint, scilicet, actio, operatio manens in operante, in agente, & manere non sit purè grammaticaliter, sed physicè per identitatem realem.

31. Secundò idem antecedens ratione probatur, quia actus vitalis est perfectio ab intrinseco, id est, manens in eodem principio à quo fluit; vt explicant communiter omnes: intellectio autem diuina necessaria est perfectissimus actus vitalis: ergo est ab intellectu diuino, in quo manet, tanquam à principio. Nec placent Recentiores respondentes, de ratione actus vitalis diuini non esse, quod sit ab intrinseco positiuè, sed tantum negatiuè, id est, quod non sit ab extrinseco principio. Non inquam placent: Tum quia omnipotentia, formaliter vt talis, non potest esse ab extrinseco principio, nec tamen est formaliter actus vitalis: ergo ad actum vitalem diuinum, non fat est, quod sit perfectio ab intrinseco negatiuè. Tum etiam, quia modo quo actus est vitalis debet esse ab intrinseco: intellectio autem diuina necessaria est actus perfectissimè, & positiuè vitalis, & non negatiuè tantum; cum sit positua tendentia intentionalis in obiectum: ergo debet esse ab intrinseco positiuè, & non tantum negatiuè. Tum denique quia intellectio libera est positiuè ab intrinseco, idque perfectio illius est: ergo etiam necessaria, cum ista non distinguatur à libera, præcisè, quia operatio intentionalis est; sed quia vna contingens est, altera vero necessaria.

Actus vitalis est perfectio ab intrinseco positiuè.

32. Tertiò, prædicatum actus primi, seu potentia, aut capacitas intelligendi vt quod, ita imbibit formaliter

Prædicatum actus primi imbibit rationem

tionem prin-
cipij actus
secundi.

rationem principij sui actus secundi; vt illius defectu, actus primus, seu potentia, aut capacitas intelligendi vt quod, penitus euanescat, non solum materialiter, sed formaliter, quantumuis cetera omnia prædicata consistant; aliter possemus nos intelligere per intellectionem à nobis minimè productam, quod negant aduersarij, ex illo capite docentes, nos non posse intelligere per scientiam diuinam, quamuis vniretur intellectui nostro, quia intelligere formaliter imbibit esse principium intellectionis: ergo si in Deo non esset conceptus principij respectu intellectionis necessariae, neque esset prædicatum actus primi, seu potentiae, aut capacitatis intelligendi vt quod. Confirmo, nam aduersarij non alia ratione impugnant actum primum realem formalem in Deo, vt vidimus sectione 2. nisi quia futurum esset principium reale formale sui actus secundi, idque firmant actu primo reali virtuali, qui formaliter imbibit rationem principij virtualis: ergo conceptus actus primi intelligendi, modo quo actus primus est, est conceptus principij sui actus secundi; vnde conceptus actus secundi erit conceptus operationis ab actu primo.

33. Dices, actum primum intelligendi esse quidem principium, & actualem intellectionem, operationem; non tamen realiter formaliter, nec realiter virtualiter, sed tantum nostro modo concipiendi, quo non probatur distinctio virtualis, sed sola distinctio rationis. Hac est solutio in qua recentiores peccatissimi viuunt. Idcirco illam expresso infringere necesse est.

Quid est
operatio no-
stro modo
intelligendi.

34. Contra primò, quia intellectionem diuinam esse operationem, seu procedere nostro modo intelligendi ab intellectu diuino aliud non est, quam concipi à nobis instar operationis procedentis à diuino intellectu: vel ergo re ipsa, & obiectiuè correspondet nostro modo intelligendi intellectio, quæ sit operatio procedens ab intellectu diuino, vel non? si primum? ergo intellectio non tantum nostro modo intelligendi, sed intrinsecè, & ex parte obiecti distincta erit à diuino intellectu, cum ab eo intrinsecè

cè, & ex parte obiecti procedat. Si secundum? Fit primò non esse in Christo duas operationes, sed apprehendi à nobis, quod est contra Concilium itauens, esse in Christo duas operationes. Fit secundò, male à nobis concipi diuinam intellectionem instar operationis ab intellectu procedentis, cum talis non sit, nec esse possit.

35. Confirmatur. Ideò Deus benè à me concipitur intelligens, secus verò sentiens; quia ex parte obiecti meo conceptui correspondet intellectio; non verò sensatio: ergo si ex parte obiecti non corresponderet intellectio, quæ esset operatio intellectus, malè à me conciperetur vt talis diuina intellectio.

36. Occurrere posset aliquis, ad concipiendam diuinam intellectionem, & operationem diuini intellectus, duos intercedere actus, vnum directum, reflexum alterum. Directus attingit intellectionem diuinam in ordine ad intellectionem creatam, qui non exprimit intellectionem diuinam sub conceptu operationis, sed illam constituit in esse operationis. Reflexus verò exprimit intellectionem diuinam, & actum directum attingentem illam in ordine ad intellectionem creatam, quibus constituitur in esse operationis. Sicut actus directus exprimens hominem in ordine ad sensationem, non cognouit distinctionem animalis à rationali, sed illam constituit. Reflexus verò exprimens hominem, & actum directum attingentem illum in ordine ad sensationem, exprimit distinctionem animalis à rationali, quia coniunctum illud verè est distinctio animalis à rationali.

37. Displicet responsio. Primò, quia fieret ex illa, operationem diuini intellectus esse intellectionem diuinam, & nostrum actum attingentem illam in ordine ad intellectionem creatam; quod, quam absurdum sit demonstrabit, vel leuis rei attenda meditatio, idem de cæteris perfectionibus diuinis dici potest. Et vnde precor tantum priuilegium in nostros tenues conceptus deriuari potuit, vt eorum subsidio stet diuini intellectus operatio, eorumdemque defectu penitus euanescat? vnde iterum fieret

Responsio
operationis
solo nostro
modo concipiendi nõ
satisfacit.

operationem diuini intellectus esse temporalem, & contingentem. Nam coëxistentia intellectiōnis diuinæ, & nostri actus directi contingens est, & temporalis, in eaque consisteret operatio diuini intellectus. Et confirmatur, ideo distinctio rationis est Deo contingens, & temporalis, quia includit nostros temporales conceptus, & Deo contingentes: operatio autem diuini intellectus includeret nostrum conceptum temporalem, & Deo contingentem: ergo esset temporalis & contingens Deo.

Operatio fo-
lo nostro
modo con-
cipiendi re-
jicitur ab
inconueni-
enti.

38. Displicet responsio secundo. Quia ex ea fieret, in Deo, seorsim à nostris conceptibus, non dari intellectiōnem, neque volitionem, atque adeò Deum, seorsim à nostris conceptibus, non esse intelligentem, neque volitionem, quod absurdissimum est. Sequela probatur: Quia non minus certum est dari in Deo operationem diuini intellectus, quam dari intellectiōnem, & volitionem: operatio autem diuini intellectus esset diuina intellectiō, & noster conceptus exprimens illam in ordine ad operationem creatæ intellectiōnis: ergo diuina intellectiō, & volitio essent diuina perfectiō, & noster conceptus exprimens illas in ordine ad intellectiōnem, & volitionem creatam: ergo sicut seorsim à nostris conceptibus non stat operatio diuini intellectus, ita neque staret intellectiō, neque volitio cum idem sint. Non stantibus autem intellectiōne, & volitione non staret intelligens, & volens: ergo Deus seorsim à nostris conceptibus non esset volens, neque intelligens.

39. Confirmatur: si seorsim à nostris conceptibus non esset in Deo intrinsecè cognitio, neque posset esse extrinsecè per nostrum conceptum directum attingentem Deum in ordine ad cognitionem creatam: ergo si seorsim à nostris conceptibus non esset in Deo intrinsecè operatio intellectus, neque posset esse extrinsecè per nostrum conceptum directum attingentem Deum in ordine ad operationem creati intellectus. Sicut ergo non præcedente intrinsecè cognitione in Deo, inanis esset tuus conceptus directus attingens Deum in ordine ad intellectiō-

nem

nem creatam, vt confurgeret in Deo cognitio, ita non præcedente in Deo operatione diuini intellectus inanis esset tuus conceptus directus attingens Deum in ordine ad operationem intellectus creati, vt confurgeret in Deo talis operatio.

40. Displicet tertio, quia Deus seorsim à nostris conceptibus cognoscit omnia, quæ in ipso intrinsecè existunt; vel ergo cognoscit operationem diuini intellectus, in ipso existentem, vel non? Si cognoscit: ergo est in Deo intrinsecè talis operatio. Si non cognoscit: ergo in Deo non est talis operatio contra Concilium superius adductum, statuens, duplicis naturæ esse in Christo duplicem operationem, non ait apprehendi à nobis, sed esse in Christo; quod à nostris apprehensionibus prorsus independet: ergo si Deus independenter à nostris conceptibus non cognosceret, esse in ipso operationem intellectus, neque per nostros conceptus posset esse in ipso talis operatio, cum intrinseca debeat esse Deo, non minus, quam intellectio.

Diuina cognitio ad-
struit intel-
lectionem
esse intrinse-
cè operatio-
nem in Deo.

41. Displicet quarto, quia præscindendo à distinctione, datur in Deo prædicatum actus primi siue potentia, aut capacitas intelligendi, & prædicatum actus secundi, scilicet intellectio; sicut datur potentia, seu capacitas subsistendi, & subsistentia: prædicatum autem actus primi, seu potentia, aut capacitatis intelligendi est, vel imbibit prædicatum principij intellectiois: ergo intrinsecè, & ex parte obiecti datur in Deo prædicatum principij intellectiois: idem autem non potest esse intrinsecè, & ex parte obiecti principium sui ipsius: ergo alterius intrinsecè, & ex parte obiecti, seu quod idem est, virtualiter distincti. Maior mihi certa est, quia sicut noster actus non potest ponere in Deo conceptum substantia, & subsistentia, sed distinguere inter illas suppositas intrinsecè existentes in Deo, ita nec ponere potest capacitatem intelligendi, nec intellectioem, sed distinguere inter illas suppositas intrinsecè existentes in Deo. Minor verò constat ex dictis, nam actus primus, sui capacitas intelli-

gendi impræscindibilis est à principio intellectiōnis.

Actus distin-
guens inter
perfectiōnes
diuinas sup-
ponit illas
intrinsecè
existentes
in Deo.

42. Displicet quintò, actus noster distinguens inter aliquas perfectiōnes diuinas supponit illas intrinsecè & ex parte obiecti existentes in Deo, vt patet in actu distinguente inter substantiam, & subsistentiam absolutam; aliter actus noster potius fingeret prædicatum in Deo, quam distingueret: actus autem noster per vos distinguit inter capacitatem intelligendi, & actualem intellectiōnem: ergo vtramque supponit intrinsecè existentem in Deo. Confirmo, si actus noster non esset distinctio inter prædicata diuina, nec posset illa constituere per rationem distincta: actus autem noster non est productio intellectiōnis diuinæ necessariæ, vt est indubitatum: ergo nec poterit constituere principium illius per rationem: ergo cum actus primus intelligendi sit principium non id habebit extrinsecè à nostris conceptibus, sed intrinsecè & ex parte obiecti à se ipsa.

SECTIO IV.

Soluntur obiectiones.

Impossibilitas produ-
ctionis virtualis in di-
uinis obij-
citur.

43. **O**bjicies primò, in Deo nulla est possibilis productio virtualis: ergo non benè probata à nobis est sect. 2. distinctio virtualis inter intellectiōnem, & intellectum diuinum, eo quod intellectio virtualiter ab intellectu procedat. Antecedens probatur, quia productio virtualis continere debet conceptum communem, tam productioni virtuali, quam reali, sicut distinctio virtualis continet conceptum communem, tam distinctiōni virtuali, quam reali, scilicet, componere prædicata contradictoria, id implicat: ergo. Minor probatur, quia conceptus ille productionis, tam reali, quam virtuali, talis naturæ debet esse, vt constituat productionem realem, eo præcisè, quod coniungatur cum extremo finito, & limitato

limitato: sicut conceptus distinctionis communis, tam reali, quam virtuali, scilicet componere prædicata contradictoria, talis est naturæ, vt constituat distinctionem realem, eo præcisè, quod extremo finito, & limitato coniungatur. Huiusmodi autem prædicatum impossibile est in Deo: ergo, & productio virtualis.

44. Minor hæc vltima probatur, quia conceptus communis productionis non coniungi potest cum extremo finito, & limitato, quin inde consurgat productio realis: ergo impossibile est in Deo prædicatum productionis, quod talis sit naturæ, vt constituat productionem realem, eo præcisè, quod extremo finito, & limitato coniungatur. Antecedens probatur, quia natura humana, & voluntas sunt extrema finita, & limitata, quæ participant conceptum communem productionis; nam voluntas titulo proprietatis est à natura humana, tanquam à principio productiuo: nec tamen inter naturam humanam, & voluntatem intercedit productio realis, sed tantum virtualis: ergo conceptus communis productionis talis naturæ non est, vt constituat productionem realem, eo præcisè, quod extremis finitis coniungatur.

45. Scio hoc argumentum non premere eos, qui distinctionem virtualem in creatis admittunt, etiam illam, quæ componit prædicata contradictoria. Id tamen alibi morosius expendendum est, interim placet argumenti doctrina, scilicet, distinctionem virtualem, pariterque productionem talis esse naturæ, vt coniuncta cum extremo finito, & limitato, eo præcisè constituat distinctionem, & productionem realem, quia componere prædicata contradictoria cum identitate reali, perfectionem finitam, omnemque limitationem excedit; non minus quam identificari cum tertio, & non identificari inter se, quod maiorem perfectionem non arguit, quam componere prædicata contradictoria. Duo autem identificari cum vno tertio, & non inter se, fatentibus omnibus, arguit perfectionem infinitam, omnemque limitationem excedentem, eoque præcisè, quod coniungatur extremo finito, constituit se-

paratio

Distinctio &
productio in
creatis vir-
tuales esse
non possunt,
sed reales.

parationem realem in identitate, si extrema non sunt idem cum tertio, vel coniunctionem, si idem sint cum illo: ergo similiter distinctio virtualis, pariterque productio coniuncta cum extremo finito, & limitato, constituit distinctionem realiter, pariterque productionem.

Quelibet
proprietates
in creatis di-
stincta est
realiter à sua
essentia.

46. Respondeo igitur, voluntatem esse quidem proprietatem naturæ humanæ, non tamen virtualiter, sed realiter ab illa distinctam. Satius enim mihi est distinguere realiter proprietates creatas, à suis essentiis, quam perfectiones Dei infinitas facibus creaturarum permiscere. Idcirco cum ex vno capite constet voluntatem esse proprietatem naturæ humanæ, vt vidimus ex sexta Synodo generali à nobis expensa sect. 3. pro intellectu diuino. Et ex alio capite non possit virtualiter tantum distingui à natura humana; cum non possit virtualiter tantum produci, dicimus voluntatem titulo proprietatis esse distinctam à natura humana, idemque de omni proprietate creata respectiuè ad suam essentiam dicendum est, nam vna est omnium, eademque ratio. Quia scilicet de ratione proprietatis, est, consequi essentiam; cum autem in creatis implicet emanatio virtualis, sola consistere potest emanatio realis, quæ non stat, nec stare potest sine distinctione reali.

Productione
virtualem
nihil posse
esse for-
maliter
in Deo.

47. Objicies secundo, omne prædicatum existens in Deo, & quod virtualiter est aliud, debet esse aliquid formaliter in se ultra id, quod est, esse virtualiter aliud: sic distinctio virtualis ultra id, quod est, æquivalere distinctioni reali, est in se formaliter compositio prædicatorum contradicentium: omnipotentia, quæ est virtualiter quælibet creatura, formaliter est virtus actiua illius, & aurum ultra id, quod est, esse æquiualeuter argentum, in se est formaliter aurum: ergo prædicatum productionis virtualis, ultra id, quod est, esse æquiualeuter, seu virtualiter productionem realem debet in se esse aliquid formaliter. Productio autem virtualis nihil potest esse formaliter, ultra id, quod est, esse æquiualeuter productionem realem: ergo implicat in Deo productio virtualis.

Minor

Disp. IV. De Vita intellect. Dei. Sect. IV. 169


Minor probatur, quia productio virtualis non potest esse formaliter origo vnius ab altero, aliter non esset productio virtualis, sed formalis: ergo.

48. Confirmatur primò. Si productio virtualis esset origo formalis, non esset vnde distingueretur ab origine reali: id falsum est: ergo. Sequela probatur, quia vtraque esset formalis origo vnius ab altero, vtraque esset realis: ergo vtraque esset origo realis formalis: ergo non esset vnde vna ab altera distingueretur, vnde fieret conceptum originis formalis vnius ab altero, non arguere distinctionem realem inter virtutem productiuam, & terminum productum; atque adeò tractatu de Trinitate; non benè à nobis probari principium quo productiuum consistere in relatiuo personæ producentis, eo quod virtus productiua distincta debeat esse à termino producto, ex illo principio: idem non posse esse principium sui ipsius, quod euidens est.

49. Confirmatur secundò: Productio realis, seorsim à distinctione reali, aliquid habere debet per quod distinguatur à productione virtuali, seorsim etiam à distinctione virtuali: id non haberet, si vtraque esset origo formalis: ergo talis non est. Minor videtur certa, nam vtraque productio verè dat esse termino producto, eiusque possibilitatem constituit in statu exigentiæ, & seorsim à distinctione reali, & virtuali vtraque est vera, & formalis origo. Maior ergo probatur, quia productio realis se ipsa infert distinctionem realem, non vero virtualis: explicandum ergo est illud prædicatum, quod in productione reali infert distinctionem realem, potius quam in virtuali. Hoc autem aliud esse non potest, quam origo formalis vnius ab altero: ergo si productio virtualis esset origo formalis, iam virtualis non esset, sed realis, & inferens distinctionem realem inter principium productiuum, & terminum productum.

50. Respondeo, productionem virtualem non esse originem formalem, sed virtute tantum, & æquiuvalenter; aliter enim, vt benè probat obiectio, distinctio, & productio

Non posse esse originem formalem, quia esset origo realis formalis.



Productio virtualis non est origo formalis,

quæ prædicata cõponat

ductio virtualis distingui non possunt à reali. Prædicata ergo contradictoria, quæ componit productio virtualis, & in quibus formaliter consistit sunt, vnum esse prius à quo per se, aliud verò posterius, quæ prædicata eo præcisè, quod differentia finitæ, & limitatæ coniungantur, constituunt productionem realem.

51. Instabis compositio eorum prædicatorum; scilicet prioris, & posterioris à quo, & formaliter origo vnus ab altero: ergo si productio virtualis consisteret formaliter in illa, esset formaliter origo vnus ab altero.

Prius & posterius quid commune est origini virtuali, & formali.

52. Respondeo negans antecedens; compositio enim prioris, & posterioris à quo, non est formalis origo, sed quid commune origini formali, & virtuali; sicut compositio prædicatorum contradicentium, non est distinctio formalis, sed prædicatum commune, tam distinctio formali, qualis est sola realis, quàm virtuali, quæ formaliter distinctio non est, sed virtute tantum, & æquivalenter. Et quamuis hæc æquivalencia sit formaliter in Deo, non inde fit, esse distinctionem inter prædicata absoluta. Sicut licet aurum sit æquivalenter argentum, imò sit ipsamet formalis æquivalencia, non inde fit esse formaliter argentum.

53. Objicies tertio si esset possibilis in Deo productio virtualis, componeret prædicata contradictoria productionis realis, id implicat: ergo & productio virtualis. Maior constat, non enim est potior ratio, cur distinctio virtualis componere debeat prædicata contradictoria distinctio realis, & productio virtualis componere non debeat prædicata contradictoria productionis realis. Minor probatur, quia productionis realis; non alia possunt assignari prædicata contradictoria, quàm extensio numeri positione alterius vnitatis. Huiusmodi autem prædicata componi non possunt ab essentia diuina, & intellectu necessaria: ergo. Minor probatur quia intellectio necessaria, & essentia diuina sunt vna, & eadem vnitas: ergo nulla est inter illas extensio numeri positione alterius vnitatis.

54 Hoc argumentum contra distinctionem virtualem conuerti potest, quia extensio numeri positione alterius unitatis non minus inducitur distinctione reali, quam productione: ergo vel vtraque, vel neutra ea prædicata componere debet, atque aded vtraque, vel neutra implicabit. Quare nodus iste ab omnibus soluendus est. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem. Ad probationem, nego maiorem; Prædicata enim contradictoria, quæ componit productio realis, tam in diuinis, quam in creatis, sunt vnum prius esse à quo, alterum verò posterius. Hæc autem prædicata componuntur ab intellectu diuino, & intellectione necessaria, vt constat ex nuper dictis.

In quo productio virtualis, æquivalere debeat reali.

55. Instabis, prædicata contradictoria, quæ componere debet productio virtualis, talia esse debent, vt coniuncta extremis finitis, & limitatis componant distinctionem realem, & extra huiusmodi extrema finita, & limitata, non illam componant, talia autem non sunt prædicata à nobis assignata: ergo. Maior probatur, quia ea prædicata inter Patrem, & Filium in diuinis constituunt productionem realem, cum tamen non sint extrema finita, & limitata: ergo talia non sunt, vt extra finita, & limitata non componant productionem realem.

56. *Respondeo* negans minorem; prædicata enim contradictoria, quæ cõponit productio virtualis, satis est esse talia, quæ cõiuncta extremis finitis, & limitatis & eo præcisè, constituere debeant productionem realem, etiamsi extra talia extrema constituere possint productionem realem. Sicuti prædicata contradictoria, quæ componit distinctio virtualis, etiamsi eo præcisè, quod coniungantur extremis finitis, & limitatis constituent distinctionem realem, non tamen opus est, quod extra huiusmodi extrema non valeant illam constituere. Nam produci, & non produci, quæ sunt prædicata contradictoria distinctionis virtualis inter Filiationem, & essentiam; constituunt distinctionem realem inter Paternitatem & Filiationem.

57. *Objicies* quartò: *Implicat in Deo accidens virtuale: ergo & productio virtualis. Antecedens commune est in-*

Implicat in Deo accidens virtuale:

ter Theologos, etiam productionem virtualem propugnantes; nam ratio accidentis realis, non ex alio capite repugnat Deo, nisi quia ratio accidentis ut sic est impræcindibilis ab imperfectione, quod longè aliter contingit in ratione productionis, & distinctionis ut sic; etenim conceptus isti, utpote præcidentes ab omni imperfectione, realiter in Deo reperiuntur; nam inter personales diuinas, realis intercedit productio, realisque distinctio; atque adeò conceptus productionis, ut sic præcindens à reali, & virtuali, necesse quoque est, præcindat ab omni imperfectione. At ratio accidentis realis Deo penitus repugnat: ergo non ex alio capite, nisi quia ratio accidentis ut sic præcindere non potest ab imperfectione.

58. Prima igitur consequentia probatur: si esset in Deo productio virtualis; admittendum quoque esset accidens virtuale; hoc admitti non potest: ergo neque productio virtualis. Maior probatur, quia si diuina intellectio realiter produceretur, realiter quoque esset accidens in Deo: ergo si virtualiter produceretur, virtualiter quoque esset accidens, & vitari non posset virtuale accidens in Deo. Patet consequentia, nam ideo diuina intellectio esset accidens reale, si realiter produceretur, quia esset realiter extra constitutum substantiale Dei; si autem virtualiter produceretur, esset virtualiter extra constitutum substantiale Dei: ergo esset virtualiter accidens.

Accidens virtuale in Deo quinam tueantur.

59. In primis mihi improbabile non est, quod multi, & ingeniosi recentiores tuentur, cum P. Alarcon 1. part. tract. 3. disp. 4. cap. 7. num. num. 20. Videlicet admitti posse in Deo absque vlllo scrupulo accidens virtuale, quo sponte tota corrui argumenti moles.

Diuina intellectio necessaria accidens virtuale non est etiam si sit virtualiter producta.

60. Cæterum ad præsentem diuinæ intellectiois necessariæ controuersiam, iudico nullam esse necessitatem admittendi accidens virtuale, quidquid sit de intellectiois libera. Nam ut tradidi in metaphysica ens substantiale commune Deo, & creaturis, aliud non est, quam ens de constitutiuo suppositi. Vel ergo facta hypothesis impossibili,

bili, quod intellectio diuina necessaria realiter produceretur; constitueret suppositum diuinum, vel non? Si primum, dicimus futuram realiter in eo euentu diuinam intellectionem necessariam ens substantiale, & non accidens. Si secundum, dicimus futuram accidens. Inde tamen sola ista sequitur consequentia: ergo si diuina intellectio necessaria esset virtualiter producta, & non esset virtualiter de constitutio suppositi, non esset ens substantiale, sed accidens virtuale. Quæ illatio vera est, cum ea suppositione, *Si non esset virtualiter de constitutio suppositi*. Negamus tamen suppositionem. Nam diuina volitio necessaria virtualiter, & formaliter est de constitutio suppositi Spiritus sancti, non minus, quam intellectio Filij. Imò, vt ostendi tractatu de Trinitate, omnes diuinæ perfectiones necessariae absolutæ, quamuis non omnes eodem modo constituunt virtualiter, & formaliter diuinæ personas; atque adeo omnes substantiales sunt:

61. Ad argumentum in forma respondeo concessio antecedente, circa perfectiones diuinæ necessarias, negans consequentiam.

62. Ad probationem, nego maiorem de productione virtuali perfectionis diuinæ necessariae (circa liberam enim non grauabor admittere accidens virtuale, cum omnes sint virtualiter extra constitutum suppositi diuini.) Nec vltima probatio vrget: nam perfectionem aliquam esse substantialem, vel accidentalem, hauriendum non est, ex eo, quod sit, vel non sit extra constitutum substantiale metaphysicum Dei, aliter omnes relationes essent accidens, cum nulla sit de metaphysico constitutio Dei. Nec hauriendum est ex eo quod sit perfectio realiter producta, nam relationes Filij, & Spiritus sancti sunt realiter productæ, nec tamen sunt accidens. Attendendum ergo est; an sint, vel non sint de constitutio suppositi, siue producantur realiter, aut virtualiter, siue non. Cum autem intellectio necessaria, & omnes diuinæ perfectiones necessariae sint de constitutio suppositi: inde

est, omnes esse substantiales, nullam verò accidens, adhuc virtuale.

63. Objicies vltimò, vbi nulla stat distinctio virtualis, nec stare potest similis productio: sed inter actum primum intelligendi, & actualem intellectionem necessariam nulla stat distinctio virtualis: ergo neque productio virtualis: atque adeò non benè à nobis ex productione virtuali colligitur distinctio. Minor probatur, nam distinctio virtualis non stat, nisi inter extrema, de quibus verificantur prædicata realiter contradictoria: hæc autem non verificantur de actu primo intelligendi, & actuali intellectione necessaria, cum nihil competat realiter vni, quod non etiam alteri realiter conueniat; nec vlla hæcenus prædicata contradictoria ostensa sunt, nec absque vrgentissimo fundamento admittenda, quale non apparet in præfenti: ergo.

Alia prædicata contradictoria, quæ componunt actus primus intelligendi, & actualis intellectio.

64. Respondeo concessa maiori, negans minorem; ad cuius probationem neganda est similiter minor. Plurima enim sunt prædicata realiter contradictoria, quæ actus primus intelligendi, & actualis intellectio necessaria componunt, dedimus iam propria productionis virtualis, nunc alia distinctioni communia subicimus. Nam actualis intellectio necessaria est realis, & formalis communicatio respectu Filij, & talis non est actus primus intelligendi, sed tantum est terminus per intellectionem communicatus, quæ omnia ex professo tractatu de Trinitate præcipuè disp. 7. stabilita sunt à nobis, eorumque necessitas ibidem ostensa disp. 10.

SECTIO V.

An actus primus diuinus, tam intelligendi quàm volendi sit proximus, vel remotus.

65. **A**ctus primus proximus bifariam sumi potest. *Primò* relatiuè ad remotum, quo pacto, si in Deo non fuerit actus primus remotus, neque proximus erit videlicet supponens remotum. *Secundò* absolutè, & simpliciter, pro substantia se sola sufficiente, absque adminiculo vllò potètiæ superadditæ, vel habitus aut speciei impressæ, quibus reddatur proximè potens ad intelligendum, & volendum; qua ratione distinguentes potentias ab anima rationali tuentur, istam esse actum primum intelligendi, & volendi remotum, potentias verò proximum. Quare si substantia diuina intellectiua nulla indigeat potentia superaddita, habitu, aut specie, erit simpliciter, & absolutè actus primus proximus; si verò indigeat, remotus erit. In hac controuersia, qui intellectum diuinum ab essentia distinguunt, fateri tenentur, essentiam esse actum primum intelligendi remotum, intellectum verò proximum.

Actus primus proximus quot modis sumi possit, & distinctio illius à remotò

66. Afferò primò, in Deo nullum dari actum primum intelligendi remotum, sed tantum simpliciter, & absolutè proximum. Ratio est quia, cum substantia intellectiua diuina, quam nunc supponimus esse naturam, & essentiam Dei, sit formaliter simpliciter infinita, in genere intellectiua, nullam aliam substantiam intellectiuam à se distinctam pati potest: intellectus autem, ab essentia distinctus, esset formaliter substantia intellectiua: ergo impossibilis est. Minor est certa, nam intellectus, vtpote perfectio necessaria, non potest esse accidens, maximè cum intellectio actualis necessaria sit substantia; aliunde verò nihil haberet præter esse formaliter substantiam intellecti

Nullus in Deo actus primus intelligendi remotus, sed proximus.

tellectiuam. Maior autem probatur, nam perfectio simpliciter infinita formaliter in aliquo genere continet formaliter omnem perfectionem talis generis, quin patitur aliam distinctam eiusdem generis; sic impossibiles sunt in Deo duplex intellectio, & volitio eiusdem rationis, & obiecti, duplex omnipotentia, &c. eo quod quælibet earum in suo genere sit formaliter simpliciter infinita: ergo cum substantia diuina intellectiua sit formaliter simpliciter infinita in suo genere, impossibilis erit alia substantia intellectiua, scilicet intellectus ab ea distinctus.

Actus primus ab speciebus aut habitibus distinctis impossibilis in Deo, & vnde.

67. Nec substantia intellectiua diuina potest esse actus primus remotus ab speciebus, aut habitibus ipsi superadditis; nam habitus distincti à substantia intellectiua præstant reddere facilem potentiam, quæ de se talis non est, eiusque difficultatem iuuare, species verò præstant determinare ex parte obiecti potentiam de se indifferentem ad cognoscendum, etiam suppositâ obiecti veritate. Substantia autem diuina intellectiua de se est summè facilis, prompta, & determinatissima ad cognoscendum quamcunque veritatem, eo ipso quod existat: ergo species & habitus distincti superflui penitus, & otiosi erunt in Deo, & consequenter impossibiles.

Stat in Deo actus primus remotus volendi, & quare.

68. Affero secundò, admittendum esse in Deo actum primum remotum volendi. Ratio est, quia essentia, seu natura diuina, cum tantum sit formaliter de genere intellectiuo, & non volitiuo, vt suo loco dicitur; nec posset esse voluntas, nec volitio; sed hæc omnia, titulo proprietatis, vt pote extra essentiam, distincta esse debent ab ipsa essentia: ergo voluntas erit actus primus volendi proximus, essentia verò remotus. Vnde per volitionem, tam liberam, quam necessariam, sola diuina voluntas erit proximè volens non essentia, cum de genere volitiuo non sit, sed de genere tantum intellectiuo, sicut omnipotentia est actus primus proximus productiuus, essentia verò remotus, eo quod ista non sit formaliter de genere productiuo, sed tantum intellectiuo. Quod si inquires, quid sit, essentiam diuinam esse actum primum remotum volendi?

lendi? Respondeo aliud non esse, quam esse radicem virtualem diuinæ voluntatis, quod proprium est generis intellectiui.

69. Objicies primò, vel essentia diuina est volens per volitionem, vel non? Si non est volens: ergo neque viuens per volitionem, cum viuere per volitionem idem sit quod velle per ipsam. Si essentia est volens: ergo est capacitas, seu potentia volendi, quæ cum simpliciter infinita sit pati non poterit aliam capacitatem, & potentiam volendi à se distinctam, qualis esset voluntas. *Respondeo*, essentiam diuinam esse viuentem per volitionem, non quidem proximè, sed remotè, quatenus videlicet est radix virtualis voluntatis proximè per volitionem viuentis, & volentis.

Essentia per volitionem remotè tantum est viuens, & volens.

70. Objicies secundò, si voluntas diuina esset virtualiter ab essentia distincta, vellet quin intelligeret: id implicat, quia nihil volitum quin præcognitum: ergo. Occurrunt aliqui respondententes, axioma illud, nihil volitum quin præcognitum, intelligendum non esse de eadem potentia, sed diuersa, ita vt sensus sit, nihil esse volitum à voluntate, quod non sit præcognitum ab intellectu; quidquid tamen de hoc sit. *Respondeo*, sufficere identitatem realem voluntatis cum essentia, ne illa in incognitum ferri dicatur.

71. Objicies tertio, essentia diuina est principium virtuale proximè, & immediatè omnium attributorum: ergo etiam volitionis: ergo erit principium proximè & immediatè volituum. *Respondeo* concesso entymemate, negans secundam consequentiam, nam principium volituum non stat in solo principio volitionis productiuo, sed ultra in speciali prædicato, quemadmodum de intellectiuo dictum est; huiusmodi autem prædicatum utpote generis volitiui, non est formaliter in essentia, sed in sola voluntate. Vnde licet essentia sit principium proximè, & immediatè volitionis productiuum, principium tamen proximè volituum formaliter non erit. Sicut omnipotentia principium volituum non est etiam si immediatè vnà

Etiamsi sit principium immediatè productiuum volitionis.

cum voluntate creata nostram volitionem producat. Idemque est de habitibus, & speciebus impressis immediatè ad actus nostros vitales concurrentibus.

Essentia simul est principium proximum, & remotum volitionis.

72. Instabis, essentia diuina est principium virtuale proximum, & immediatum volitionis: ergo non erit principium remotum; atque adeo nec erit remotè volens, sed proximè. *Respondeo* negans consequentiam, nam essentia diuina dupliciter est principium volitionis, & immediatè per se ipsam qua ratione est principium proximum, & media voluntate, qua ratione remotum est.


Soluitur instantia à natura rationali creata sumpta.

73. Objicies quartò, etiamsi in creatis intellectus, & voluntas distinguantur realiter ab anima, tamen ista non solum est remotè intelligens, & volens, mediis potentiis, sed etiam proximè, recipiendo, & producendo immediatè vna cum potentiis intellectionem, & volitionem: ergo etiamsi essentia diuina sit remote volens media voluntate, cum proximè, & immediatè producat volitionem, quoque erit proximè, & immediatè volens per illam. *Respondeo* concessio antecedente, negans consequentiam, disparitas est, quia anima rationalis vtrumque genus continet, formaliter intellectuum, scilicet, & volituum absque vlla distinctione intrinseca inter vtrumque; vnde si immediatè producat, & recipiat suos actus vna cum potentiis, proximè quoque, & immediatè intelliget, & volet per illos. Essentia autem diuina non continet formaliter genus volituum, sed solum intellectuum, eminenter continens volituum, inde etiamsi immediatè volitionem producat, non est immediatè, & proximè volens per illam.



DISPUTATIO V.

In qua stet constitutivum seu essentia Dei.

1.  **H**Æc controuersia grauissima est, & ex qua plurium aliarum pendet in Theologia decisio, idcirco iure quidem optimo solita est ex professo à Doctoribus agitari. Innumera pene est sententiarum varietas, magna ex parte ansam præbente dissimili vsurpatione constitutivi, seu essentiæ. Ne ergo in sequentibus, hisce scrupulis offendamus eas omnes prior disputationis sectio comprehendet.

SECTIO I.

*Varia acceptiones constitutivi, seu essentia
discutiuntur.*

2. **M**itto aliquos, quos non semel in publicis certaminibus audiui intrepidè pronuntiantes, illud esse de constitutivno, seu essentia alicuius rei, sine quo ista nec existere, nec intelligi potest. Huiusmodi enim doctrinam falsitatis apertissimè conuincit quælibet metaphysica connexio. Nam res ita alteri connexa, nec valet existere sine termino, cui essentialiter connectitur, nec intelligi sine illo, si sit connexio cum vnico tantum termino, nec sine aliquo, si pluribus connectatur, nec

tamen vllus terminus est de constitutiuo rei connexe; vno enim non constituitur extremis, nec actus intuitiuus obiecto, nec homo discursui adhuc possibili, & idem est de aliis sexcentis: ergo constitutiuum non est id, sine quo res nec existere, nec intelligi potest.

Prima con-
stitutiui, seu
essentia
minimè suf-
ficiens.
P. Soarius.
P. Molina.

3. Prima ergo vsurpatio constitutiui, seu essentia est Patris Soarij disp. 30. Metaphysicæ sect. 6. P. Molinae quæst. 27. ad art. 2. disp. 1. & aliorum, *asserentium*, constitutiuum, seu essentiam esse omne illud prædicatum, quod est inseparabile à subiecto, & indistinctum realiter ab ipso. Dicitur inseparabile propter actus liberos diuinos, qui licet sint realiter idem cum Deo, illum tamen nulla ratione adhuc materialiter constituunt, eo quod Deus sine illis, saltem quoad denominationem, existere potuerit, & nulla res existere possit sine suo constitutiuo, seu essentia, cum nulla res existere valeat sine ipsa, & constitutiuum, seu essentia sit ipsa res.

4. Hæc tamen acceptio constitutiui, seu essentia propria non est, & rigorosa. *Primò*, quia si sermo sit de constitutiuo reali à physico, seu materiali, & metaphysico, seu virtuali præscindente vtrique minimè congruere potest, plurima enim sunt realiter inseparabilia, & indistincta ab essentia metaphysica Dei, quæ non sunt de constitutiuo metaphysico illius, vt constabit ex dicendis. *Secundò* quia licet sermo sit de constitutiuo physico, & materiali, adhuc est insufficiens; nam relationes diuinæ sunt inseparabiles, & realiter idem cum natura diuina, nec tamen adhuc materialiter sunt de essentia illius, vt ostendam sect. sequenti: ergo ea constitutiui seu essentia acceptio propria non est, & rigorosa.

Secunda, &
communis
acceptio
constitutiui.
P. Herice.

5. Secunda vsurpatio constitutiui, seu essentia, quam tuetur P. Herice tract. 1. disp. 3. cap. 3. num. 10. quamque ait esse communem omnium scholasticorum, docet, illud prædicatum esse de constitutiuo seu essentia rei, quod est primum constituens, & determinans speciem, seu quo vnaquæque res redditur talis, & distinguitur à quolibet alio. Dicitur primum constituens respectiue ad alia, quæ

quæ ad illud consequuntur. Dicitur determinans speciem, quia determinat alia prædicata magis vniuersaliora seu indifferentia ad determinatam speciem, propriam, & completam talis entis.

6. Non placet acceptio ista. *Primò*, quia non minus differentia indiuidualis est de constitutiuo, & essentia indiuidui, quam specifica speciei: ergo vltra prædicatum determinans speciem, datur prædicatum de constitutiuo, & essentia rei, nisi de voce contendatur. *Secundò*, quia apud aduersarium negantem distinctionem virtuales in creatis, non datur v. g. in homine prædicatum prius, & posterius: ergo rationale non erit primum constituens: & tamen est de constitutiuo, & essentia hominis: ergo. *Tertiò*, quia in homine physicè sumpto sola anima est, quæ vltimo determinat materiam de se indifferentem ad speciem hominis; nec tamen sola anima est de constitutiuo seu essentia hominis, cum sola anima non sit homo physicè. *Quartò*, quia diuina Paternitas, quatenus ab essentia distincta, est primum constituens, & determinans ad speciem Patris in esse Patris, cū aliud ad id non supponat; est insuper id quo Pater constituitur in esse Patris, & distinguitur ab aliis, & tamen Paternitas non est, nec dici potest adhuc relatiuè essentia Patris, idemque est de aliis relationibus: ergo primum constituens, & determinans speciem non est idem, quod essentia. *Confirmo*, quia Pater redditur talis per paternitatem, & per illam, & non per essentiam, vtpote communem, distinguitur à Filio: ergo si id quo vna res redditur talis, & distinguitur ab aliis esset essentia, potius Paternitas, quam prædicatum absolutum, vtpote commune, esset essentia Patris.

7. Tertia acceptio vsurpat constitutiuum, seu essentiam, pro natura abstractè sumpta, & quatenus distincta à subsistentia. Sic humanitas dicitur constitutiuum, & essentia hominis; & frequens est inter Theologos, essentiam diuinam vocare naturam, & naturam essentiam. Hæc tamen vsurpatio diminuta est, nam in creatis non minus est de essentia hominis subsistentia, quam natura,

Præcedens
constitutiu
vsurpatio
reiecta.

Tertia vsur-
patio consti-
tutiu, seu
essentiæ li-
bræ.

Quarta ac-
ceptio Re-
centiorum.

& idem est de subsistentia absoluta respectu Dei, ut concretum substantivum, atque adeò non soli naturæ competit esse, quid de constitutivitate seu essentia rei. *Quarta acceptio* essentia est Recentiorum asserentium, illud prædicatum esse essentiam rei, quo stante stant res, etiamsi cætera per impossibile deficerent, & quo deficiente res deficeret, etiamsi cætera per impossibile persisteret. Displicet etiam, nam prædicatum relationis ad Filium tale est, ut eo stante staret Paternitas, etiamsi cætera per impossibile deficerent, & eo deficiente deficeret Paternitas, etiamsi cætera per impossibile persistenterent: nec tamen est essentia Paternitatis prædicatum relationis ad Filium, idemque est in Filiatione de prædicato relationis ad Patrem: ergo ea regula exacta non est pro essentia præscindente à creata, & increata, tam physica, & materiali, quam metaphysica, & virtuali.

Non idem
semper est
constitutivum
& essentia.

8. Censeo ergo primò, non idem semper esse constitutivum, quod essentia. Moueor, nam relationes diuinæ, quatenus ab essentia distinctæ, habent propria constitutiva relatiua, cum habeant propria prædicata intrinseca relatiua, seu esse relationem, quod constitui formaliter non potest prædicato absoluto, sed relatiuo: non autem habent propria essentias, adhuc relatiuas, cum essentia sit vna tantum omnium relatiuorum, & plures admitti non possint, iuxta Catholicam doctrinam: ergo constitutivum non semper idem est, quod essentia. *Confirmo*, essentia diuina distincta virtualiter est à prædicatis relatiuis propriis vniuscuiusque relationis: ergo & distincta erit à constitutivitate proprio ipsius: ergo non idem erit virtualiter constitutivum Paternitatis, quod essentia illius.

9. Dices, essentia est ipsummet esse rei, seu ipsamet prædicata intrinseca rei: hoc ipsummet est constitutivum: ergo constitutivum, & essentia idem sunt. *Respondeo*, falsam esse maiorem in diuinis, nam essentia Paternitatis non est ipsummet esse relatiuum ipsius, sed quid absolutum virtualiter distinctum à prædicatis relatiuis Paternitatem formaliter constituentibus. Vnde in diuinis non
idem

idem sunt constitutum, & essentia, quamuis in creatis idem sunt.

10. Censeo secundo, illam perfectionem esse de essentia subiecti, præcindendo à creata, & increata, physica, & metaphysica, à qua subiectum est inseparabile, indistinctum, quæque est communis omni, & soli illi, in quo subiectum tali prædicato constitutum reperitur. Dicitur inseparabile, & indistinctum, inseparabilitate, & indistinctione præcindente, à materiali, & etiam virtuali, ut utriusque constitutio essentia, tam physico, qua virtuali conueniat. Dicitur commune omni, & soli illi, in quo subiectum tali prædicato constitutum reperitur, quo excluduntur diuinæ relationes à conceptu essentia, quia istæ communes non sunt omnibus personis, in quibus Deus essentia constitutus, reperitur, cum Paternitas communis non sit Filio, in quo Deus essentia constitutus reperitur, idemque est de Filiatione respectu Patris, & Spiracione passiuæ respectu Patris, & Filij.

Regula constitutiui seu essentia tam in creatis quam in diuinis.

11. Hinc colligo communem diuisionem essentia, in physicam, seu materialem; & metaphysicam, seu virtualem. Illa ergo perfectio erit de essentia physica seu materiali, à qua subiectum est inseparabile, & materialiter, seu physicè indistinctum, & communis est omni, & soli illi, in quo subiectum, tali prædicato constitutum, reperitur. Illa verò erit de essentia metaphysica, seu virtuali, à qua subiectum est inseparabile, & metaphysicè, seu virtualiter, indistinctum, & communis omni, & soli illi, in quo subiectum tali prædicato constitutum, reperitur. Quæ omnia clariora fient ex dicendis toto Disputationis progressu, ubi etiam conditiones proprias essentia metaphysica aperiemus.

Diuisio constitutiui, seu essentia in physicam, & metaphysicam.

12. An autem prædicata diuisio sit in membra realiter distincta? Affirmant aliqui in constitutio physico, & metaphysico entis naturalis, constantis materia, & forma, nam utraque pars est de constitutio physico essentia, sola vero forma de metaphysico; coniunctum autem ex materia & forma distinctum realiter est à sola forma. Non

Non est in membra realiter distincta contra aliquos affirmantes.

placet,

placet, quia sola anima nec physicè, nec metaphysicè est homo, etiam si sit potissima pars, & ultimo determinans partem ad speciem hominis. *Respondeo*, ergo prædictam diuisionem non esse in membra realiter distincta, sed ad summum virtualiter, eo quod essentia physica plures contineat conceptus virtualiter distinctos, quam metaphysica; ut patet in Deo, cuius physica essentia complectitur omnia prædicata absoluta, quorum aliqua sunt ab essentia metaphysica virtualiter distincta. Idemque erit in creatis, si stet distinctio virtualis inter essentiam metaphysicam, eiusque proprietates.

S E C T I O II.

Quanam prædicata sint de essentia physica, seu materiali Dei.

13. **D**Vo sunt genera prædicatorum, quæ physicam Dei, seu materialem essentiam constituere possent. Alia sunt relatiua, ut Paternitas, Filiatio, & Spiratio tam actiua, quam passiuua. Alia absoluta, & ex his quædam sunt necessaria, ut essentia, & attributa, quædam contingentia, ut scientia, & volitio libera. Quærimus ergo, an hæc omnia sint de constitutio materiali essentia Dei.

Placita Doctorum,
Bañez.
Albiz.
P. Valencia.
C. Belarm.
Soarius.
S. Augustin.
Boëtius.
Henricus.
Ægidius.
Argentinas.
P. Torres.
Ferrara.
P. Molina.

14. *Prima sententia* affirmat, non solum prædicata absoluta, sed etiam relatiua esse de essentia materiali Dei. Ita Bañez 1. part. quæst. 27. dub. 3. Albiz tract. 4. disp. 10. sect. 6. P. Valencia tom. 1. disp. 2. quæst. 4. *Secunda sententia* negat proprietates relatiuas esse de essentia materiali Dei & affirmat constitui omnibus, & solis perfectionibus absolutis necessariis. Ita Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 9. P. Soarius lib. 4. de Trinitate cap. 5. num. 2. citans pro se Augustinum, Boëtium, Henricum, Ægidium, Argentinam, Turrianum, & Terraram. Eandem

dem sententiam tenent Pater Molina 1. parte quæst. 28. art 2. disp. 6. P. Ribas disp. 1. cap. 4. P. Ruiz de Trinitate disp. 14. sect. 2. referens pro se Durandum, Scotum, Ocham, Gabrielem, Albertum Magnum, Gregorium Ariminum, sanctum Bonaventuram, Vasquium, Carthusianum, Alexandrum, Richardum, Marsilium, & alios. *Tertia sententia*, esse posset, relationes in particulari non esse de essentia materiali Dei, benè verò conceptum communem relationis ab omnibus præcisum.

P. Ribas.
P. Ruiz.
Durandus.
Scotus,
Ocham.
Gabriel.
Albertus M.
Gregorius.
S. Bonavent.
P. Vasquez.
Carthusian.
Ricardus.
Marsilius.

15. Affero primò, Perfectiones liberas non esse de essentia materiali Dei. Ratio est nam ens, & perfectio, quæ est de essentia materiali illius, debet esse inseparabiles ad inuicem, vt dictum est sect. precedenti, nulla enim res à sua essentia separari potest: Deus autem à perfectionibus liberis de facto existentibus separari potuit, cum potuerit sine illis existere, & à non existentibus de facto separatus est, cum sine illis existat: vt tract. de voluntate ostensum est: ergo perfectiones liberæ non sunt de essentia materiali Dei. *Confirmatur*, Si perfectiones liberæ essent de essentia Dei materiali, cum defectibiles sint, aliquo etiam modo defectibiles essent de essentia Dei; & consequenter Deus, tali essentia constitutus: Deus autem nullo pacto est, aut dici potest defectibilis: ergo nec perfectiones liberæ poterunt esse de essentia materiali illius.

Perfectiones
liberæ non
sunt de es-
sentia mate-
riali Dei.

16. Affero secundò, neque relationes in particulari esse de essentia materiali Dei. Probatum primò ex Conciliis. Nam Lateranense cap. *Firmiter*, & cap. *damnamus*, Florentinum, & alia decernunt, *Patrem communicasse Filio totam essentiam, non verò relationem*: ergo ratio non est de essentia Dei adhuc materiali, cum nec materialiter Pater communicat Filio Paternitatem. Insuper Nicæna fides apud Nazianzenum orat. 50. profitetur, *Filium esse Deum de Deo, perfectum de perfecto, plenum de pleno*: ergo in Filio est plenitudo diuinitatis: non autem in illo est Paternitas: ergo ista non est de plenitudine diuinitatis. Similiter in Patre est plenitudo diuinitatis, non autem est Filiatio:

Neque rela-
tiones in
particulari
sunt de es-
sentia mate-
riali Dei.

Concilium
Lateranense,
& Flere-
ntinum.

ergo. Rursus eodem cap. Firmiter decernitur: *Hac sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta; & cap. damnamus à medio. Ut distinctio sit in personis, & unitas in natura.* Et in Symbolo. *Patris & Filij, & Spiritus sancti una est diuinitas, iuxta illud Ioan. 10. Ego & Pater unum sumus.* Et 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt:* in quibus stabilitur vnica trium personarum diuinitas, & essentia: ergo cum personalitates sint tres, non erunt de essentia Dei, aliter tres essent essentia saltem relatiua, quod dici non potest, sicut nec tres Dij.

- Damasceus. 17. Secundò probatur ex Patribus, Damascenus lib. 3. fidei cap. 6. *Non differunt ab inuicem hypostases secundum substantiam, sed secundum accidentia.* Vbi nomen accidentis usurpat, vt denotet hypostases, seu personalitates non esse de essentia Dei, quam intelligit nomine substantia, sed extra illam, omne enim accidens extra essentiam est. Iterum idem Damascenus. *Confitemur Deitatis naturam omnem in vnaquaque suarum hypostaseon perfectè esse, omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu sancto:* ergo cum in Patre non sit Filiatio adhuc materialiter, nec in Filio Paternitas, &c. nulla relatio erit de natura seu essentia materiali Dei.
- Augustinus. Augustinus in Psalm. 68. concione 1. *Pater, quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdem substantia Filius, proculdubio, & Filius Deus. At verò quod Pater est, quia non substantia nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse.* Vbi signanda sunt verba illa de Paternitate, quoniam non substantia nomen est, id est essentia, quam ibi usurpat nomine substantia, vt Patribus commune est.
- Athanasius. Athanasius Dialogo 1. de sancta Trinitate contra Anomæum. *Essentia declarat communisatem, & si quid est essentia proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ essentia subsunt.* Et post pauca. *Quæ propria sunt essentia similiter sunt communia Patri, Filio, & Spiritui sancto:* nulla autem hypostasis communis est: ergo neque de essentia Dei. Idem Athanasius oratione contra gregales sabellij.

fabellij. *Vniuersa plenitudo, & integritas Deitatis est, Pater, ut Pater; vniuersa item plenitudo Deitatis est, Filius, ut Filius; quandoquidem amborum vna forma intelligitur, qua integrè se in vno quoque, & solide exhibet.* Vbi apertissimè docet plenam integram, & totam Deitatem esse quamlibet personam, cum tamen vna persona non sit altera: ergo nulla personalitas erit de plenitudine, & integritate essentia. Idem vnanimè ceteri Patres docent hoc punctum agitantes.

18. Tertiò probatur ratione; illud est de constitutio materiali essentia diuinæ, quod commune est omni supposito diuino: nulla autem relatio adhuc materialiter communis est omni supposito diuino: ergo nulla est de constitutio materiali essentia Dei. Minor certissima est, quia paternitas communis non est Patri cum Filio, aut Spiritu sancto, idemque est de Filiatione, & Spiratione tam actiua, quam passiuæ. Maior autem constat, tum ex dictis sect. præcedenti, tum etiam ex Conciliis, & Patribus proximè relatis, constanter asserentibus, Patrem communicare Filio totam essentiam, omnium personarum vnã esse diuinatam, & totam in singulis existere. Et confirmatur, nam in Patre prioritate à quo supponitur tota essentia communicanda Filio: non autem supponitur Filiatio: ergo hæc non est de constitutio essentia.

19. Quartò, si Paternitas v. g. esset de essentia Deitatis, fieret, aut Filium non esse totam diuinitatem, aut esse Patrem: neutrum dici potest: ergo. Minor certa est quoad secundam partem, nam Filius non est Pater; quoad primam, verò constat ex Conciliis, & Patribus statuentibus in qualibet persona diuina esse totam, integram, & plenam diuinitatem, seu substantiam, aut formam Dei. Sequela igitur ostenditur, nam si Paternitas esset de essentia Deitatis, vel Filius esset tota Deitas, vel non? Si primum: ergo esset Paternitas, cum foret partialis Deitas. Si secundum: ergo Filius non esse tota Deitas. Imò de nulla persona tota Deitas prædicari posset, cum tota Deitas complecteretur omnes relationes, essetque tota Trinitas, quæ de nulla persona sigillatim prædicari potest; Pater

Constitutum materiale Dei debet esse quid commune.

Absurda, quæ incurrit opposita sententia. Nullam personam fore plenam diuinitatem.

enim non est tota Trinitas, idemque est de Filio, & Spiritu sancto.

Quia admitti
deberent
plures essen-
tia.

20. Quintò, in Deo admitti non possunt plures essentia, adhuc cum addito, scilicet relatiuæ, sicut nec admitti possunt plures Dij: admittendæ autem essent, si relationes forent de essentia Dei: ergo non sunt. Maior constat ex Conciliis, & Patribus. Minor probatur, quia relationes essent de essentia Dei saltem inadæquata: relationes autem sunt plures; ergo & essentia saltem inadæquate forent plures. *Confirmatur*, ideò personæ diuinæ sunt plures, quia personalitates plures sunt: ergo si personalitates quæ tales essent, essentia, cum personalitates plures sint, plures quoque essentia essent; sicut plures sunt perfectiones, eo quod vnaquæque sit perfectio, & personalitates quæ tales, plures sint.

Admittenda
quoque foret
distinctio
intra essen-
tiam.

21. Sextò, vnitatem essentia, siue substantia, Concilia, & Patres intelligunt talem, quæ non patiatur intra se distinctionem, siue diuisionem, sed tota diuisio, seu distinctio in personis, seu relationibus consistat: si autem relationes essent de essentia Dei, ista intra se diuisionem, seu distinctionem pateretur, cum relationes sint distinctæ: ergo. Maior constat ex Conciliis, & Patribus à nobis adductis, & dilucidè traditur à Boëtio libello, *utrum Pater, Filius & Spiritus sanctus de diuinitate substantialiter prædicentur*, in quo prope initium, ita scribit. *Vna igitur substantia trium, nec separari vllomodo aut disiungi potest, nec velut partibus in vnum coniuncta est, sed est vna simpliciter*. Et circa finem eiusdem libelli: *Quod si personæ diuisæ sunt, substantia verò indiuisa sit, necesse est vocabulum, quod ex personis originem capit, id ad substantiam non pertinere. At Trinitatem personarum diuersitas facit: Trinitas igitur non pertinet ad substantiam, id est non ita pertinet, vt substantialiter prædicetur tanquam de quidditate Deitatis*.

Identitas
realis rela-
tionum cum
essentia non
facit, vt sint
de constitu-
tuo Dei.

22. Vltimò probatur conclusio, si relationes essent de essentia materiali Dei, maximè, propter identitatem realem earum eum Deo: id non sufficit: ergo. Minor probatur, tum quia scientia, & decretum liberum sunt materiali

materialiter idem cum Deo; vt ostendi tract. de voluntate; nec tamen illum materialiter constituunt, eo quod Deus sit ens necessarium, scientia verò, & decretum liberum contingentia: Deus autem est vnus: ergo non potest multiplici relatione constitui, cum non minus repugnet vnitati multiplicitas, quam necessitati contingentia. Tum etiam quia distinctio virtualis inter essentiam, & relationes, præstat relationem v. g. Filij materialiter produci, & nulla ratione adhuc materialiter, produci essentiam: ergo etiam præstare poterit, Deum perfectionibus absolutis necessariis materialiter constitui, & nullatenus relatiuis, æquè enim difficilis est vtrorumque extremorum compositio.

23. Objicies primò, relationes sunt materialiter essentia Dei, cum non differant materialiter, sed potius identificentur cum illa: ergo sunt de constitutio essentia Dei. Probaturs consequentia, illud est de materiali constitutio essentia Dei, quod est materialiter ipsa essentia Dei, nihil enim est magis de constitutio rei quam ipsius essentia: relationes autem sunt materialiter ipsa essentia Dei: ergo & de constitutio illius. Hoc argumentum soluendum est ab aduersariis in scientia, & volitione libera, quæ materialiter sunt ipsa essentia, cum ab ea realiter non differant, nec tamen sunt materialiter de essentia Dei.

Obiicitur
identitas
materialis
relationum
cum essentia.

24. Respondeo distinguens antecedens, relationes sunt materialiter essentia Dei, cum distinctione virtuali ab illa, præstante, essentiam esse materialiter communem, & tales non esse relationes, concedo: sine tali distinctione nego. Et neganda est consequentia. Ad cuius probationem distinguenda est similiter vtraque syllogismi præmissa, & neganda consequentia. Aliud enim est relationes esse materialiter essentiam diuinam; aliud esse de constitutio essentia. Primum verum est, quia tantum valet, relationes identificari materialiter essentia. Secundum falsum, nam vt aliquid sit de constitutio essentia diuinæ, non sat est identificari realiter illi, sed vltra re-

Cur ea identitas ad constitutum materiale non sufficiat.

quiritur, esse aliquid omnibus commune, vt ex Conciliis, & Patribus ostensum est. Cum autem nulla relatio sit omnibus personis communis, inde nulla potest esse de constitutio materiali essentiae Dei; idem dicendum est de his propositionibus, *Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus, Deus est tota Trinitas*; Quarum veritas tota nititur identitati reali praedicti cum subiecto, quae non sufficit, vt Trinitas sit de constitutio Dei.

Qua ratione
Pater dicitur
fons &
principium
totius diuinitatis.

25. Objicies secundò, Pater est fons, & principium totius diuinitatis, vt loquuntur communiter Patres: ergo aliquod principiatum est de diuinitatis constitutio: Omne autem principiatum est relatiuum: ergo aliquod relatiuum est de constitutio Diuinitatis. *Respondeo*, Patrem non dici principium totius Diuinitatis, eo quod totam essentiam, aut aliquid de illius constitutio producat; sed quia totam diuinitatem cæteris personis procedentibus communicat, vt diximus disp. 15. de Trinitate sect. 2. vnde non sequitur quidquam relatiuum esse de constitutio Dei; imò oppositum; nam si Pater est principium communicans totam essentiam Filio, & Spiritui sancto: ergo cum non communicet Paternitatem, hæc non erit de constitutio essentiae.

Nazianzenus
declaratus.

26. Objicies tertio ex Nazianzeno orat. 5. de Theologia asserente, Patrem & diuinitatem, sine Spiritu sancto fore imperfectam: ergo personalitas Spiritus sancti est de perfectione deitatis, & consequenter de constitutio illius. *Respondeo* primò, relationes perficere essentiam instar proprietatis æquivalentis distinctioni reali; vnde sicut proprietates realiter ab essentia distincta, illam nõ perficit, quin materialiter constituat, ita diuinæ relationes. Dico secundò, Nazianzenum, aliosque Patres, tantum contendere, naturam Dei fore imperfectam deficiente personalitate, non quidem formaliter, & immediatè ex defectu personalitatis, quod requiritur ad rationem constitutiui, sed mediatè, nam deficiente personalitate, consequenter radicalis fecunditas naturæ deficeret, & ratione illius integritas, & perfectio essentiae.

27. Objicies quartò , personalitas est complementum substantiæ, & de constitutio substantiæ completæ: Deus autem est substantia completa: ergo & personalitas de constitutio illius. *Respondeo*, personalitatem esse complementum substantiæ diuinæ, non absolutum, sed relatiuum. Deus autem non constituitur substantia relatiuè, sed absolutè completa, sola enim constituitur substantia absoluta omnibus personis communi.

Quo pacto substantia completa sit de essentia Dei.

28. Assero tertio, nec relationem in communi ab omnibus præcisam, esse de essentia materiali Dei. Ratio est tum quia constitutum physicum, & materiale Dei, stat independentè à præcisionibus nostris. Tum etiam, quia relatio in communi distinguenda foret virtualiter à relationibus in particulari, cum physicè, & materialiter illa & non ista, Deum constituerent, quæ sine dubio prædicata sunt contradictoria, & fortè penitus repugnantia, cum rationi communi relationis intrinsecè conueniret prædicatum constituendi physicè Deum, quod particularibus repugnaret. Tum præterea, quia relatio in communi, utpote ex parte tantum nostri actus præcisa, esset cumulus omnium relationum, qui de singulis personis in particulari prædicari non potest; atque adeò nulla persona esset tota, & plena Deitas, aut essentia. Tum denique quia essentia diuina, saltem tota, non esset indiuidua, & singularis, contra Concilia, & Patres, sed partim esset vniuersalis, & multiplicabilis, quod dici non potest.

Relatio præcisa non est de essentia materiali Dei.

29. Assero quartò, omnes, & solas perfectiones absolutas necessarias esse de constitutio materiali essentia Dei. Ratio est, nam illa perfectio est de essentia materiali alicuius subiecti, à qua tale subiectum est physicè, & materialiter inseparabile, & indistinctum, quæque reperitur in omni, & solo supposito, in quo subiectum, tali perfectione constitutum, reperitur, ut vidimus sect. I. Ita autem se habent omnia, & sola prædicata absoluta necessaria: ergo. Minor probatur, quia Deus inseparabilis est & indistinctus ab omni absoluto necessario; & omne absolutum reperitur in omni & solo supposito, quod Deus est.

Omnes, & solæ perfectiones absolutæ necessariæ sunt de constitutio materiali essentia Dei.

est : cum commune sit omnibus diuinis personis , & solis illis : ergo.

Obiectio à
possibilitate
actus liberi
petita solui-
tur.

30. Obijcies, Deus est inseparabilis, & indistinctus à possibilitate intrinseca, & obiectiua volitionis liberæ, est- que possibilitas illa in quolibet supposito, quod Deus est, cum sit communis omnibus personis utpote perfectio non relatiua, sed absoluta: nec tamen est de essentia materiali Dei: ergo ad constitutum materiale non sat est, esse perfectionem, à qua Deus inseparabilis sit, & indistinctus, quæque omni supposito, quod Deus est, communis sit. Minor probatur, quia si possibilitas intrinseca, & obiectiua volitionis liberæ, esset de constitutiuo materiali essentia, cum talis non sit existentia eiusdem volitionis, distinguenda virtualiter foret ista ab eiusdem possibilitate; cum ad id sufficiat, prædicata contradictoria componere, qualia sunt esse de constitutiuo materiali essentia, & non esse: implicat autem existentia ab eius intrinseca, & obiectiua possibilitate virtualiter distincta: ergo.

31. Hæc obiectio roboris non est aduersus sententiam negantem connexionem Dei cum creaturis possibilibus, pariter enim etiam negat connexionem, & inseparabilitatem Dei ab actibus liberis possibilibus. Nec efficax est in sententia eam connexionem admittente. Nam inseparabilitas à nobis pro constitutiuo materiali tradita, non est inseparabilitas à præcisa possibilitate, sed ab illa simul, & existentia, quam non habet Deus respectu actuum liberorum, sed respectu tantum perfectionis necessariò existentis. Vnde nec possibilitas, nec actualis existentia liberorum de constitutiuo materiali diuinæ essentia dicendæ sunt.

SECTIO III.

An volitio necessaria sit de constitutiōe metaphisico virtuali essentia Dei.

32. **C**onstitutium metaphisicum virtuale, quatenus Vbinam constitutiū metaphisicū virtuale reperiat. à physico distinctum, tantum reperitur in eo ente, in quo plures dantur conceptus virtualiter distincti. Idcirco si in creatis nulla stet distinctio virtualis, neque metaphisicum constitutium virtuale à physico distinctum consistet, sed tantum metaphisicum per rationem si detur, de quo modo non disputo. In Deo autem cum plures sint conceptus virtualiter distincti, locus est inquirendi, quisnam eorum sit de metaphisico constitutiōe virtuali Dei. Nec dicitur constitutium virtuale, eo quod virtute tantum, & non formaliter constituat, sed eo quod ab aliis conceptibus non constituentibus virtualiter tantum distinguatur.

33. Tria omnium calculis ad metaphisicum constitutium virtuale necessaria sunt, scilicet, vt sit conceptus omnium prior, adæquatus in proprio gradu, & nulli alteri communis. Dicitur prior tum nobilitate, vel quia cæteros excedit perfectione, vel à nullo saltem exceditur, tum ordine, quia non consequitur ad aliud, sed omnia consequuntur ad illum. Dicitur adæquatus in suo gradu, si fortè differentia vltimo constitutiua plura contineat in proprio gradu virtualiter distincta, vt de apprehensiuo, iudicatio, & discursiuo tenent aliqui respectu rationalis. Dicitur alteri minimè communis, quia differentia propria vnus essentia, alteri, quod talis essentia non est, competere non potest; aliter iam non esset propria, nec ab omni alio distingueret. His positis, quæ ex dicendis longè clariorem lucem accipient.

34. Aduertendum est, nullum esse præfenti controuer-

fiæ locum, nisi gradus intelligendi, & volendi supponantur inter se virtualiter distincti, si enim sint vnum & idem, cum gradus intelligendi sit de constitutio metaphysico virtuali essentia, talis etiam erit gradus volendi; nam ex duplici conceptu virtualiter indistincto, impossibile est, vnum virtualiter intrinsecè, & ex parte obiecti constituere, & non alterum. Ne ergo à quaestione de constitutio Dei, in quaestione de distinctione diuinarum perfectionum fiat transitus. Supponendum est potius, quam ex professo probandum, actualement volitionem necessariam distinctam esse virtualiter ab actuali intellectione, similiter necessaria, eo quod volitio necessaria, & non intellectio, nec intellectiuum, sit ratio formalis communicandi essentiam Spiritui sancto, & è contra, intellectio necessaria, & non volitio, nec volitiuum, sit ratio formalis communicandi essentiam Filio, quæ omnia ex professo à nobis tractatu de Trinitate tradita sunt disp. 7.

Sententia
 Doctorum,
 P. Perez.
 Albiz.
 P. Becanus.
 P. Ruiz.
 P. Quiros
 P. Ribaden.
 P. Zuñiga.

35. Prior ergo sententia affirmat volitionem necessariam esse de metaphysico constitutio virtuali diuinæ essentia; atque adeo esse inadæquatam essentiam Dei, nam adæquatam non esse, non est qui dubitat. Ita P. Martinus Perez de Trinitate disp. 11. sect. 6. citans per se duos alios Martinos, scilicet Albiz de scientia disp. 2. sect. 6. & P. Becanum 1. part. cap. 1. de Attributis §. id quaest. 1. num. 6. Eiusdem sententia sunt P. Ruiz de Trinitate disp. 8. sect. 5. P. Bernardus de Quiros de visione Dei quaest. 57. P. Ribadeneyra de voluntate à disp. 3. vsque ad 6. P. Zuñiga de Trinitate quaest. 27. disp. 2. dub. 20. memb. 8. & Plures alij. Hæc tamen sententia variè defenditur ab authoribus suis, ab aliquibus enim negando distinctionem virtualement inter gradus intelligendi, & volendi, ab alijs vero ea distinctione admissa, vel permissa.

P. Soarius.
 P. Herice.
 P. Fasolus.
 P. Arriaga.

36. Posterior sententia negat volitionem necessariam esse de constitutio metaphysico virtuali adhuc inadæquato essentia Dei. Ita P. Soarius disp. 30. Metaphys. sect. 16. & lib. 11. de Trinitate cap. 6. num. 17. P. Herice disp. 12. cap. 2. P. Hurtado disp. 20. Metaphys. sect. 2.
 P. Fasolus

P. Fasolus tom. 1. quæst. 4. art. 2. & tom. 3. quæst. 27. art. 2. dubitatione 13. num 123. P. Arriaga 1. part. disp. 24. sect. 2. Et quotquot discrimen diuinæ generationis vsurpant, ex eo quod secundæ Trinitatis personæ communicetur ex vi formalis processionis sola intellectio quæ integra Dei natura est, & essentia; tertix vero sola volitio, quæ essentia non est.

37. Afferendum est, volitionem necessariam non esse de constitutio metaphysico virtuali, adhuc inadæquato essentix Dei. Probat, quia volitio necessaria supponit virtualiter gradum priorem, adæquatum, & proprium Dei, scilicet gradum illimitatum intelligendi: ergo supponit virtualiter constitutum metaphysicum adæquatum essentix, atque adeo volitio nihil erit essentix virtualiter, sed tota extra essentiam. Consequentia optima est ex regula superius tradita, quam cum cæteris approbat Martinus Perez citatus sect. 5. num. 5. Antecedens ergo, in quo tota voluitur difficultas, quoad singulas illius partes probandum est.

Volitio necessaria non est de constitutio metaphysico virtuali Dei.

38. Quoad primam ergo, scilicet gradum illimitatum intelligendi esse virtualiter priorem volitione necessaria, ostenditur. Et in primis si sermo sit de prioritate perfectionis certum est, gradum intelligendi esse de se nobiliorem gradu volendi; quod si ratione subiecti, omnes perfectiones æquales in Deo sint, necessarius non erit excessus, vt vna sit prior altera, modo quo id requiritur ad cõstituendam metaphysicam essentiam, aliter nullus gradus præ alio posset in Deo metaphysicam eius essentiam constituere, cum nullus esset prior altero, id est perfectior. Deinde si sermo sit de prioritate à quo virtuali (prioritas enim in quo nulla est inter perfectiones necessarias) duas requiruntur ad illam, videlicet & distinctio virtualis inter vtrumque conceptum, & influxus in aliquo genere principij conceptus prioris in posteriorem: gradum autem intelligendi distinctum virtualiter esse à volitione necessaria, admittunt aliqui aduersariorum, & ad præsentem controuersiam permittunt alij, & euincit mysterium

Gradus intelligendi virtualiter prior est volitione necessaria.

diuinæ generationis ; nam gradus intelligendi , & non gradus volendi , est ratio processionis Filij , & è contra volitio , & non gradus intelligendi , est ratio processionis Spiritus sancti , vt disp. 7. de Trinitate ostensum à nobis est , quæ prædicata , vt pote contradictoria , sufficiunt distinctione virtuali. Insuper gradum intelligendi præstare influxum in aliquo genere principij in volitionem necessariam patet ; nam est directius volitionis , & constitutius potestatis proximè volendi , vel saltem prærequisitus ad illam , cum nihil volitum quin præcognitum : ergo gradus intelligendi prior erit volitione necessaria.

39. Respondet Martinus Perez disp. illa 11. sect. 6. num. 23. gradum intelligendi , seu intellectionem necessariam non esse priorem à quò , nec radicem volitionis ; quia in creatis cognitio est mera conditio ad volitionem , nullum præstans concursum efficientem in illam , quod idem de diuina intellectione respectu volitionis dicendum est.

Præcedens
Martini Pérez
responsio
frangitur.

40. Contra *primò* , quia licet applicatio causæ ad agendum , v. g. approximatio , sit in creatis mera conditio virtutis productiuæ , tamen pertinet ad actum primum proximum priorem effectu : ergo licet intellectio diuina sit mera conditio , seu applicatio obiecti respectu potentia volendi , tamen pertinebit ad actum primum priorem volitione. *Secundò* licet scientia necessaria , sit mera conditio respectu decreti liberi , tamen est prior illo , eo quod non sit in Deo potestas proxima decernendi sine conditione obiecti : sed neque est potestas proxima necessariò amandi sine cognitione : ergo. *Teriò* , quia idem Martinus Perez tom. de Pœnitentia disp. 6. sect. 4. num. 7. contrarium docet , postquam enim concursum efficientem actui imperanti in imperatum internum concessit , scribit ita. *Similiter ob eandem rationem in mea sententia conditur idem actiuus influxus intellectioni in ordine ad actum volitionis , assensui quoque principiorum in ordine ad assensum conclusionis , & actui intentionis in ordine ad actum electionis , ita pariter actui imperanti in ordine ad actum imperatum. Omnes enim ista applicationes , ac determinationes nequeunt rectè explicari ,*

nisi

nisi per influxum effectuum. Si ergo in diuinis idem cum proportione, quod in creatis, de intellectione, & volitione dicendum est, diuina intellectio non erit mera conditio respectu volitionis, sed principium illius.

41. Nec dici potest, intellectiōnem priorem non esse volitione, eo quod volitio sit obiectum intellectiōnis, & nullum obiectum supponat sui cognitionem. Tum quia in sententia Perez citati de Trinitate num. 14. omnipotentia est obiectum intellectiōnis, & volitionis necessaria, & tamen vtraque ista prior est, & radix omnipotentia. Tum etiam, quia scientia processiois Verbi, & amor processiois Spiritus sancti, priores sunt illis: ergo ratio obiecti non excludit prioritatem à quo suæ cognitionis, maximè in diuinis, vbi obiectum motiuum non est, seu productiuum cognitionis, sed mere terminatiuum.

Intellectio necessaria prior esse potest suo obiecto.

42. Vtramque nostram instantiam sic ad hominem confirmo. Nam etiamsi cognitio creata esset mera conditio respectu volitionis, non idcirco idem de diuina dicendum esset. Nam licet in creatis volitio non sit radix potentiarum, tamen in diuinis apud aduersarium volitio est radix omnipotentia: ergo etiamsi cognitio creata esset mera conditio respectu volitionis, non idcirco diuina quoque futura talis esset; Insuper licet obiectum esset motiuum, seu productiuum creatae cognitionis, non idcirco tale est, nec esse potest respectu diuinæ. Rursus licet cognitio creata esset mera cognitio respectu volitionis nostræ liberæ; non idcirco talis est diuina, imò est vera radix, & principium illius: ergo licet cognitio creata respectu volitionis esset mera conditio, firmum non est fundamentum, vt inde talis etiam futura sit diuina. Denique quia vt ostendi tract. de Auxiliis, illustrationes supernæ efficienter causant actus nostræ voluntatis deliberatos, non ergo omnis cognitio creata pura erit conditio respectu volitionis.

Etiamsi cognitio creata esset mera conditio, nõ idcirco idem de diuina dicendum.

43. Quoad secundam partem, scilicet gradum illimitatum intelligendi esse adæquatum, probatur illud idem antecedens. Nam gradus intelligendi solis intellectiōni-

Gradus intelligendi adæquatus est.

bus integratur, & adæquatur; sicut in sententia Martini Perez, gradus viventis sola vita: volitio autem necessaria non est virtualiter intellectio: ergo neque erit virtualiter de integritate gradus intelligentis: ergo iste seorsim à volitione erit integer, & adæquatus. *Confirmatur* ad hominem contra Perez, ideo enim ait sect. 1. existentiam necessariam non intrare formale Dei constitutum, quia non integrat formaliter gradum viventis; & ideo non integrat formaliter, quia licet intrinsecè, & ex parte obiecti sit vita, non tamen formaliter, seu nostro modo concipiendi: volitio autem non est virtualiter intellectio: ergo neque gradum intelligendi virtualiter integrabit; atque adeo iste seorsim à volitione adæquatus erit, & completus.

44. Respondet Perez citatus sect. 6. num. 15. gradus intelligentis, & volentis esse quidem inter se integros, & completos non tamen respectu gradus viventis perfectissimi, quo Deus metaphysicè constituitur. Addit ibidem nostram argumentationem convincere, nec physicè posse Deum gradu volentis constitui, cum sit adæquatè distinctus à gradu intelligentis. Vnde autem id inferat non video; etenim gradus metaphysicè virtualiter adæquati sunt physicè vnum, & idem: ergo licet metaphysicè virtualiter Deum constituere non possint, physicè tamen constituere poterunt, quia physicè non se excludunt, benè verò metaphysicè.

Deus non
constituitur
gradu viven-
tis comple-
tens voli-
tionem.

45. Contra, nam in sententia aduersarij disp. 8. de Trinitate sect. 6. processiones diuinæ sunt perfectissimè immanentes, & vitales, & consequenter generis viventis perfectissimi, non tamen Deum vlla ratione constituunt: ergo gradus viventis perfectissimi, non constituit metaphysicè Deum. Nec sat est dicere, Deum non constitui gradu viventis communissimo prædicatis absolutis, & relatiuis, sed solo gradu viventis absoluto. Tum quia in opposita sententia omnipotentia est vita absoluta; nec tamen Deum metaphysicè constituit, eo quod supponat vitam intentionalem nobiliorem: vita autem affectiua, seu

seu volitiua supponit intellectiōnem nobiliorem : ergo Deum metaphysicè non constituet. Tum etiam quia si semel coarctandus sit gradus viuentis, ad id præstandum, omnium aptissimus est gradus intelligendi, cum sit in suo genere completus, & de se nobilior, ergo solo illo metaphysicè Deus constituendus erit.

46. Quoad tertiam verò partem, scilicet, gradum illimitatum intelligendi esse proprium solius Dei, ostenditur primum illud idem Antecedens. Tum quia omne intelligens creatum finitum est, & limitatum. Tum etiam quia volitio apud aduersarios non ponitur inadæquata Dei essentia virtualis, eo quod intellectio illimitata non sit propria Dei, vnde enim erit propria volitio, si talis non esset intellectio, sed vt gradus essentiæ adæquatus sit, & completus: ergo intellectio illimitata, seu gradus intelligendi illimitatus, erit perfectio Dei propria, non minus quam volitio.

Gradus illimitatus intelligentis proprius solius Dei.

47. Probatur secundo conclusio, vnico Martini fundamento concusso. Ideò enim tuetur, Deum volitione necessariâ metaphysicè constitui, quia Deus constituitur vita intellectuali perfectissima, quam ait integrari volitione, eo quod extra vitam vegetantem, & sentientem intellectualis sola consistat: vita autem volitionis non est vegetans, nec sentiens: ergo intellectualis. Hic autem discursus firmus non est: ergo. Minor probatur, tum quia apud Martinum supra, processiones diuinæ sunt vita perfectissima; non vegetans, nec sentiens, vt est certum: ergo intellectualis. Hic autem discursus non conuincit, Deum processionibus constitui: ergo neque tuus ille simillimus conuincit, Deum volitione constitui. Tum etiam, quia sicut volitio non est vegetatio, nec sensatio, ita neque apud te est virtualiter intellectio: ergo neque erit virtualiter vita intellectualis, sed affectiua. Tum denique quia apud aduersarium omnipotentia est perfectissima vita: non vegetatiua nec sensitiua, vel ergo est vita intellectualis, vel non? Si primum constituet Deum contra te. Si secundum: ergo ex eo quod volitio sit perfectissima vita, & non

Fundamentū oppositiæ sententiæ dirutum.

fit

fit vegetatiua, nec sensitiua, non sequitur esse intellectualem.

S E C T I O I V .

An voluntas diuina sit de constitutiuo metaphysico virtuali essentia Dei.

48. **N**on idem sentiendum de voluntate, quod de actuali volitione in ordine ad constitutiuum metaphysicum virtuale diuinæ essentia, censet P. Arriaga i. part. disp. 24. sect. 2. docens, voluntatem esse de constitutiuo metaphysico virtuali essentia, non verò volitionem, eo quod volitio, & non voluntas, sit virtualiter distincta ab actuali intellectione, quam supponit metaphysicam Dei essentiam. Alij verò voluntatem, & volitionem necessariam virtualiter identificantes, & utramque ab actuali intellectione, quam supponunt metaphysicam Dei essentiam, distinguentes, idem de voluntate, quod de volitione iudicant sentiendum. Quibus adscribendi sunt illi, qui voluntatem diuinam tam à gradu intelligendi, quam à volitione necessaria virtualiter distinguunt, & essentiam metaphysicam Dei in solo gradu intelligendi constituunt, quam distinctionem voluntatis stabiliuimus nos ex professo tract. de voluntate disp. 1. eo quod intrinsecè, & ex parte obiecti proprietas sit naturæ diuinæ.

Voluntas
diuina non
est de con-
stitutiuo
metaphysico
essentia Dei

49. Afferendum est, voluntatem diuinam non esse de constitutiuo metaphysico virtuali essentia Dei. Probatur quia supponit gradum intelligendi virtualiter priorem, adæquatum, & proprium Dei: ergo & adæquatam essentiam metaphysicam; atque adeò voluntas non aliquid erit de constitutiuo essentia sed extra totam essentiam adæquatam, & consequenter proprietas ad essentiam consecuta. Consequentia bona est apud omnes. Antecedens solum indiget probatione quoad distinctionem virtualem

tualem voluntatis à gradu intelligendi, quod iam à nobis tract. de voluntate disputatum est, à sect. 3. Nunc assumptum ad hominem contra P. Arriagam ostendere extra rem non erit.

50. Ostenditur ergo primò. Ideò apud P. Arriagam volitio distinguitur virtualiter ab intellectu, quia intellectio communicatur Verbo ex vi formalis processionis, non verò volitio; & è contra, volitio ex vi formalis processionis communicatur Spiritui sancto, non autem intellectio. Et ideò communicatur intellectio verbo, & non volitio, & è contra, Spiritui sancto volitio, & non intellectio, quia verbum cum sit de linea tantum intelligendi, & Spiritus de linea tantum volendi, inde verbum solum exigit intellectionem, quæ de linea intelligendi est, & Spiritus sanctus volitionem, quæ de linea volendi est: voluntas autem est de linea volendi, ut est certum: ergo verbum non illam exigit, sicut nec volitionem: exigit autem intellectionem: ergo intellectio, & voluntas virtualiter distinguuntur, non minus quam intellectio, & volitio.

Voluntas distincta est virtualiter ab intellectu necessaria

51. Ostenditur secundò, nam sententia illa P. Arriagæ processionis verbi per solam intellectionem, & Spiritus per solam volitionem, colligitur ex Patribus, eo quod asserant processionem verbi esse per intellectionem, spiritus verò per amorem: iidem autem Patres similiter, & frequentius docent, verbum producere per intellectum, & spiritum per voluntatem: ergo verbum ad sui processionem exigit intellectum, & non voluntatem, & spiritus voluntatem, & non intellectum. *Confirmatur*, nam si verbum procederet per voluntatem non solum esset delinea intelligendi, sed etiam volendi, quod est falsum: ergo non ita procedit. Antecedens probatur, tum quia ideò verbum est generis intellectiui, quia procedit per intellectionem, quæ est de linea intelligendi: procederet autem etiam per voluntatem, quæ est de linea volendi: ergo etiam esset generis volitiui. Tum etiam quia si verbum procederet per intellectionem simul & amorem, esset

Idem ex processione Verbi & Spiritus sancti confirmatur contra P. Arriagam.

de vtroque genere intelligendi, & volendi: ergo idem esset si per intellectionem simul & voluntatem procederet. Tum denique quia si Spiritus sanctus procederet per volitionem, & intellectum, esset de vtraque linea intelligendi, & volendi: ergo etiam Verbum si per intellectionem, & voluntatem prodiret.

Qua ratione volitio necessaria essentiam diuinam denominet volentem.

52. Obiicies primò, natura diuina à volitione necessaria denominatur volens, per eamque verè vult: ergo natura diuina est voluntas. Probatum consequentia, nam quod per volitionem vult, & denominatur volens, voluntas est; cum hæc aliud formaliter non sit, quam capacitas volendi. *Respondeo*, naturam diuinam per volitionem necessariam non esse, nec denominari proximè volentem, quod necessarium est ad rationem voluntatis; sed tantum remotè, quatenus videlicet est radix voluntatis proximè volentis, vt dictum est disp. præcedenti sect. 5. vbi alia, quæ hic obiici possent soluta sunt.

Licet volitium Angelum, hominemque constituat, non tamen Deum.

53. Obiicies secundò, intellectiuium, & volitium in Angelo, & homine constituunt virtualiter vnã essentiam: ergo etiam in Deo. *Respondeo*, antecedens falsum esse, si detur in creatis distinctio virtualis inter intellectiuium, & volitium; si vero ea distinctio non stet in creatis, nec valet consequentia cum in diuinis detur distinctio virtualis inter intellectiuium, & volitium, ratione diuinarum processionum, quarum prior, scilicet Verbi, est per intellectum, & non per voluntatem; posterior vero, videlicet Spiritus sancti, è contra per voluntatem, & non per intellectum, iuxta dicta tractatu de Trinitate, tum disp. 7. tum etiam 10. sect. 8.

Cur Deus non sit volens per participationem.

54. Obiicies tertio, Deus non est volens per participationem: ergo per essentiam: ergo voluntas est de essentia. Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia quod est aliquid per formam extra essentiam, habet tale esse per participationem: ergo si Deus esset volens per voluntatem extra essentiam, volens quoque esset per participationem. *Respondeo*, concessio antecedente, & priori consequentia negans posteriorem. Nam quod habetur per

Disp.V. De constitutio Dei. Sect.IV. 203

per participationem habetur ab alio per formam creatam, & limitatam. Quod habetur, à se per formam increatam dicitur haberi per essentiam, etiam si virtualiter ab essentia distinguatur, & hoc pacto dicitur Deus volens per essentiam, & non per participationem.

55. Obiicies quartò. Essentia diuina etiam metaphysicè est simpliciter infinita: ergo continet de conceptu essentiali omnem perfectionem simpliciter simplicem: voluntas autem est perfectio simpliciter simplex: ergo continetur in essentia de constitutio illius. Idem argumentum fieri potest de volitione. *Respondeo*, metaphysicam Dei essentiam esse quidem simpliciter infinitam, formaliter quidem in solo genere intelligendi, complectens omnem perfectionem generis intellectiui, in omni alio genere, non formaliter, sed eminenter, cum sit generalis radix omnium aliarum perfectionum proximè, vel remotè. Ad hoc argumentum probare contra suos authores, relationes diuinas esse de constitutio Dei metaphysico cum sint perfectiones simpliciter simplices, vt ostendimus de Trinitate disp. 12. sect. 12.

Quomodo
essentia di-
uina sit sim-
pliciter in-
finita in om-
ni genere.

56. Instabis, Essentia diuina ita est in summo gradu perfectionis, vt nihil illa perfectius esse, aut excogitari possit: natura autem, quæ metaphysicè contineret de constitutio, non solum eminenter, sed etiam formaliter omnem perfectionem, esset in summo gradu perfectionis; & nihil illa perfectius esse, aut excogitari posset: ergo talis erit essentia metaphysica Dei.

57. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem. Nam de perfectione essentia metaphysica, quatenus à physica distincta, est, quod sit gradus prior, adæquatus, & proprius; si autem voluntas, aut volitio esset de quidditate essentia metaphysica, hæc iam non esset gradus prior adæquatus, & proprius, sed permixtio gradus prioris cum posteriori, quod est contra perfectionem essentia metaphysica. Quod si inter gradum intelligendi, & volendi prioritas, & posterioritas negaretur hoc ipso è medio telleretur distinctio virtualis, & consequenter fecunditas diui-

Essentiam
diuinam in-
cludere for-
maliter vo-
litionem non
est maior il-
lius perfe-
ctio.

na ad duplicem processionem distinctam, vnam Filij per solum gradum intelligendi procedentis, & aliam Spiritus per gradum solum volendi, quod grandis quidem esset imperfectio naturæ, utpotè ad duplicem illam processionem infæcunda.

Obiectio
sumpta ab
identitate
reali volun-
tatis cum
essentia.

58. Obiicies ultimò, voluntati, & volitioni necessariæ realiter formaliter conuenit, non solum esse physicum constitutum Dei, sed etiam metaphysicum virtuale: ergo realiter formaliter non solum erunt de constitutiuo physico, sed etiam metaphysico virtuali. Antecedens probatur *primò*, quia voluntas, & volitio necessaria, sunt realiter formaliter gradus intelligendi: gradus autem intelligendi est formaliter de metaphysico virtuali constitutiuo Dei: ergo voluntas, & volitio realiter formaliter idem erunt. *Secundò*, quia ideo voluntas, & volitio sunt realiter formaliter gradus intelligendi, quia non distinguuntur realiter formaliter ab illo: sed neque distinguuntur realiter formaliter à constitutiuo metaphysico virtuali Dei: ergo erunt realiter formaliter metaphysicum Dei constitutum virtuale.

Instantiæ,
quas patitur
præcedens
obiectio

59. Hæc obiectio quantumuis difficilis, falax est, ne dicam periculosa. Eâdem enim forma probaretur, *primò*, essentiam diuinam realiter formaliter contingentem esse, quia realiter formaliter identificatur cum decreto libero, quod est formaliter contingens. *Secundò*, esse relatiuam, quia realiter formaliter identificatur personalitatibus, quæ formaliter relatiuæ sunt. *Tertiò*, esse productam, quia realiter formaliter identificatur Filiationi, quæ formaliter est realiter producta. Imò essentia diuina realiter formaliter indistincta est ab ipsamet contingentia actûs liberi, ab ipsomet relatiuo personalitatum, & ab ipsomet esse producto Filiationis, nec tamen hæc de essentia diuina realiter formaliter dici possunt; eo quod sint prædicata, propter quæ essentia distinguitur virtualiter ab actu libero, Personalitatibus, & Filiatione producta, quod fufius prosecuti sumus circa volitionem liberam tract. de voluntate Dei disp. 8. sect. 7. ex ibi ergo dictis.

60. Respondeo, negans antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori & minori, neganda est consequentia, quia ea forma argumenti non valet in Diuinis ratione distinctionis virtualis, vt ostensum est. Ad secundam probationem distinguenda est maior, ideo voluntas, & volitio sunt realiter formaliter gradus intelligendi, quia præcisè non distinguuntur realiter ab illo, nego: quia non distinguuntur, nec sub illis conceptibus sunt ratio virtualis distinctionis inter illos concedo. Et concessa minori nego consequentiam, quia conceptus constitutiui metaphysici virtualis, vt talis, est ratio distinctionis virtualis inter gradum intelligendi, & volendi; inde talis conceptus dici non potest realiter formaliter de voluntate, aut volitione, sed de solo intellectiuo, sicut contingens, relatiuum, & productum dici non possunt de essentia, ob eandem rationem.

61. Ex hætenus dictis colligo, idem, quod de voluntate, dicendum esse de omnipotentia, in ordine ad constitutiuum metaphysicum virtuale diuinæ essentia. Nam, vt ostendam infra, omnipotentia diuina est virtualiter indistincta à voluntate: ergo cum voluntas non sit de constitutiuo virtuali essentia; neque omnipotentia erit.

Omnipotentia non est de constitutiuo metaphysico virtuali Dei.

SECTIO V.

An actualis intellectio necessaria sit de constitutiuo metaphysico virtuali essentia Dei.

62. Sententia affirmans bipartita est. Negantes enim Somnem actum primum intelligendi, tum virtualem, tum logicum, seu nostro modo tantum concipiendi distinctum actuali intellectione, afferunt in sola ista positum esse integrum, & adæquatum constitutiuum metaphysicum virtuale essentia Dei. Hi sunt P. Herize disp. 3. cap. 3. P. Hurtadus disp. 20. Metaphy. sect. 2.

Placita Doctorum.
P. Herize.
P. Hurtadus.
P. Soarius.
Capreolus.
Caccianus.
Ferrariensis.
P. Molina.
P. Valquez.

P. Torres.
P. Gillius.
P. Arrubal.
P. Granadus.

Et multi Recentiores cum ipsis. Admittentes verò actum primum intelligendi subdiuisi sunt; nam qui identificant virtualiter illum cum actuali intellectione, utroque aiunt constitui metaphysicè Deum. Ita P. Soarius disput. 30. metaphy. sect. 15. nobili, & numerofo Recentiorum agmine stipatus; Qui vero actum primum intelligendi virtualiter ab actuali intellectione necessaria distinguunt, ex maiori parte asserunt, intellectionem necessariam nec inadæquatam esse Dei essentiam metaphysicam, sed omnino extra illam, non minus quam sit volitio. Ita ex Thomistis Capreolus 1. dist. 8. quæst. 4. art. 1. & dist. 25. quæst. 1. art. 2. Caietanus part. 1. art. 7. Et in hac quæst. art. 5. & 22. quæst. 1. art. 1. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 45. & alij. Ex nostris vero P. Molina 1. part. quæst. 2. art. 3. P. Vasquez 1. part. quæst. 13. art. 2. num. 30. & tom. 2. disp. 119. cap. 3. P. Turrianus disp. 2. de obiecto formali dub. 1. P. Gillius libro 2. tract. 1. cap. 12. P. Arrubal tom. 1. in 1. part. disp. 28. cap. 3. P. Granadus ibidem controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 2. & plures alij.

Intellectio
necessaria
non est adæ-
quata Dei
essentia me-
taphysica.

63. Assero primò, intellectionē necessariam non esse virtualiter adæquatam Dei essentiā metaphysicam. Probatur, quia ut vidimus disp. precedenti, admittendus est in Deo actus primus intelligendi virtualiter prior, & distinctus ab actuali intellectione necessaria, vel saltē nostro modo cōcipiendi: hic autem excludi non potest à metaphysica Dei essentia, si actualis intellectio ad illam pertineat: ergo. Maior probatur primò, quia actus primus intelligendi prior est actuali intellectione, & non minoris perfectionis quam illa, eiusdemque generis intelligentis. Secundò, quia actus primus intelligendi est de constitutiuo metaphysico omnis intelligentis, ut patet in homine, & Angelo: ergo cum Deus sit perfectissimus intelligens, actus primus intelligendi erit de metaphysico constitutiuo illius; atque adeo actualis intellectio modo, quo ab intellectu di-
stinguitur, non erit adæquata Dei essentia.

Nec est in-
adæquata
essentia Dei

64. Assero secundò, actualem intellectionem necessariam non esse metaphysicam Dei essentiam adhuc inadæquatam

qu
liti
ria
&
tia
apu
exp
cec
por
telli
dist
ced
seo
est
dus
stat
nec
nor
nec
Dei
tate
65.
cess
nem
que
tio a
fari
tia
firm
met
con
non
con
deli
met
66.
con

quatam, sed omnino extra illam, non minus quam sit volitio necessaria. Probatur primò, quia intellectio necessaria supponit virtualiter conceptum priorem, adæquatum, & proprium Dei: ergo neque inadæquatè erit de essentia metaphysica virtuali Dei. Consequentia optima est apud aduersarios, eo fundamento volitionem necessariam expungentes ab essentia metaphysica virtuali Dei. Antecedens probatur, nam actualis intellectio necessaria supponit actum primum, seu potentiam intelligendi, aut intellectiuum radicale ab actuali intellectione virtualiter distinctum, & priorem illa titulo principij, vt disp. præcedenti ostensum est. Esse autem gradum adæquatum seorsim ab actuali intellectione necessaria, mihi clarum est, tum quia intellectio non est actus primus, sed secundus, tum etiam quia in creatis actus primus intelligendi stat completus seorsim ab actuali intellectione, etiam necessariò producta. Esse denique proprium Dei, negari non potest ab aduersariis propugnantibus, intellectionem necessariam infinite perspicacem, & à se, propriam esse Dei: ergo etiam potentia intellectiua infinita perspicacitate perceptiua obiecti, & à se, propria Dei erit.

metaphysica, sed extra illam non minus quàm volitio.

65. Probatur secundò ab aliquibus, nam intellectio necessaria nihil habet, quo distinguatur à libera, nisi rationem entis necessarij, vtraque enim est intellectio, vtraque enim est intellectio, vtraque infinite perspicax: ratio autem entis necessarij est communis volitioni necessariæ: ergo non potest esse differentia metaphysica essentia Dei, quæ non essentia communis esse non potest. *Confirmatur*, ideò conceptus cognitionis non est differentia metaphysica essentia, quia communis est non essentia: conceptus autem perspicacitatis infinitæ communis est non essentia, scilicet intellectioni liberæ, & similiter conceptus entis necessarij communis est non essentia, videlicet, volitioni necessariæ: ergo neuter erit differentia metaphysica Dei.

Aliquorum probatio minus efficax.

66. Respondetur, differentiam Dei metaphysicam non constitui infinita perspicacitate communi intellectioni li-

Aliorum responsio ad præcedens fundamentum.

beræ; nec ente necessario communi volitioni necessaria, sed speciali scilicet infinita perspicacitate exigente, vel habente virtualem identitatem cum ente necessario; & similiter ente necessario exigente, vel habente identitatem virtualem cum perspicacitate infinita, qui conceptus communes non sunt intellectiōni liberæ, nec volitioni necessaria, utpotè virtualiter distinctis ab intellectiōne necessaria.

Instantia cō-
tra præcedē-
tem respon-
sionem.

67. Instant illi, id verum esse, sed non sufficiens ad præsentem controuersiam; solutio enim differentiam Dei reducit ad identitatem duplicis conceptus de se communis non essentia, qui fiunt proprij essentia ratione identitatis virtualis inter se. Quo pacto etiam ens, substantia, cognitio, &c. dicenda essent differentia metaphysica Dei, scilicet quæ virtualem identitatem habent cum intellectiōne necessaria, cum propria illius sint, & nulli communia. Quod non videtur plenum ad præsentem controuersiam inuestigantem formam, quæ seorsim ab identitate sit ratione sui propria essentia. Cæterum, qui assignet eam, quis est hic, & laudabimus eum; non enim apparet, vnde conceptus ad essentia diuinæ constitutum confluentus, proprij fiant nisi ad identitatem virtualem recurratur, quod in singulis sententiis facilè erit expendere cuique.

Responso
aliarum.

68. Respondetur iterum, intellectiōnem actualement necessariam habere formam essentia metaphysicæ propriam, videlicet rationem entis virtualiter à se, quod nulli extra essentiam competit, siue creato, siue increato; nam omnia creata sunt realiter ab alio, quod excluditur ab ente virtualiter à se; increata verò sunt virtualiter ab alio, scilicet essentia. Insuper intellectiōni necessaria competit esse radicem virtualem omnium attributorum, quod nulli attributo competere potest, aliter aliquod eorum esset virtualis radix, & ratio existendi sui ipsius, quod implicat.

Quid in
præcedenti
responso
displicet.

69. Id mihi displicet *primò*, quia actualis intellectiō necessaria non est virtualiter à se, sed ab alio, titulo actus perfecti

perfectissimè vitalis, qui necessariò debet esse à principio intrinseco, vt disp. præcedenti ostensum est. *Secundò*, quia differentiam metaphysicam Dei esse ens virtualiter à se, sicut & esse conceptum omnium priorem, cæterorumque radicem, nemo dubitat, nec de hoc est controuersia, sed in assignanda perfectione, cuius id proprium sit: ergo sicut qui diceret, differentiam Dei metaphysicam esse conceptum omnium priorem: cæterorumque radicem, inexplicatam relinqueret perfectionem, cuius id proprium esset; ita qui diceret esse ens virtualiter à se. *Tertiò*, quia differentiam metaphysicam Dei esse virtualiter à se, & non ab alio, colligendum est, ex eo quod habeat formam, quæ ratione sui non patiatür aliam priorem: hæc non assignatur in intellectu necessaria infinite perspiciaci, cum nec conceptus intellectiōis infinite perspicaci ex se aliam formam priorem, vt patet in intellectu libera, nec conceptus entis necessarij, vt constat in volitione necessaria: ergo non est vnde cum fundamento colligatur intellectu necessariam esse virtualiter à se. *Quartò*, quia perfectio, quæ virtualiter est ab alia priori, adæquata, & propria; radix non est omnium attributorum, sed potius ipsa est à tali radice: ita se habet intellectu necessaria, vt probatum est: ergo.

70. Objicies primò, sanctum Augustinum de Trinitate pluribus in locis, præcipuè lib. 15. ita scribentem. *Non est aliud sapientia eius, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* S. Maximum apud Eutymium in Planopia part. 1. tit. 3. cap. *Deus propriè*, asserentem. *Reliquum igitur est, vt post hæc, dicamus Deum intelligentiam, & solam intelligentiam, &c.* Quibus excludere videtur ab essentia volitionem dum solam intelligentiam admittit, atque adeò sermonem fuisse de essentia metaphysica. *Respondeo* eos Patres, & alios similes locutos de essentia non metaphysica, sed physica. Nec Maximus particula illa, *solam intelligentiam*, volitionem excludit, sed solam potentiam intelligendi realiter distinctam, ne Deus, vt ipse antea dixerat, *compositus existimaretur.*

Satisse Patribus obiectis, Augustino, & Maximo.

210 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

S. Thomas
obiectus, &
declaratus.

71. Objicies secundò, sanctum Thomam docentem
l. part. quæst. 14. art. 4. corpore; *Quod intelligere Dei est
eius substantia.* Et iterum, *quod ipsum eius intelligere sit eius
essentia & eius esse.* Quod idem pluribus aliis locis inculcat
sæpius. Rursus quæst. 27. art. 2. ideò ait, verbum esse Fi-
lium, quia procedit per conceptionem intellectus, seu
intellectionem ~~de qua~~ *ait. Idem esse intelligere, & esse.* Ibi
autem sumi non potest physicè, sed metaphysicè; nam
quo pacto ibi affirmat, verbum procedere per intellectio-
nem, negat. art. 4. per illam procedere Spiritum sanctum,
aiens, illius processionem esse tantum per amorem: ergo
intellectio metaphysicè sumpta est essentia Dei. *Respon-
deo*, utroque testimonio Angelicum Doctorem locutum
de essentia physica; in primo quia eodem modo loquitur
de volitione quæst. 19. art. 1. aiens. *Et sicut suum intelligere est
suum esse, ita suum velle.* Et quæst. 54. art. 2. *Vnde solum esse
diuinum est, suum intelligere, & suum velle.* Ad secundum
testimonium dicimus loqui sanctum Thomam de intel-
lectione metaphysicè sumpta in ordine ad processionem
verbi, dum verò ait, eam esse essentiam loquitur de es-
sentia physica, non metaphysica, quia eodem modo in-
tellectio, & volitio vocantur essentia.

Iterum sta-
bilita ex S.
Thoma.

72. Solutio nostra confirmatur ex Patribus, vnde sumpta
est obiectio. Nam primò Damascenus lib. 1. fidei cap. 4. ita
loquitur de natura diuina. *Nam etsi bonam, si iustam, si sa-
pientem, si quidvis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea
qua circa naturam.* Ac si diceret, nec bonitate, scilicet mor-
rali, neque iustitia, neque sapientia, nec his similibus,
dicitur natura, videlicet metaphysica, nam physicam di-
ci, quis dubitet; sed dicuntur tantum ea, quæ circa natu-
ram sunt, nempe attributa, qualis est bonitas moralis, iu-
stitia, sapientia, & quoduis aliud simile istis, videlicet
misericordia, constantia, & reliquæ virtutes. Vnde non
video, quo fundamento persuaserint sibi Recentiores,
per ea verba, *sed ea qua circa naturam*, non attributa, sed
creaturas intelligi, & tantum intendere Damascenum,
conceptum Dei à nobis in hac vita formatum, intuitivum
non

Disp. V. De constitutio Dei. Sect. V. 211

non esse, sed abstractiuum in creaturis, quæ circa naturam sunt.

73. Secundò S. Thomas 1. part. quæst. 14. ita scribit. *Post considerationem eorum, qua ad diuinam substantiã pertinent, restat considerandum de his qua pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quædam est, qua manet in operante; quædam verò, qua procedit in exteriorem effectum. Primò agemus de scientia, & voluntate: (nam intelligere in intelligente est, & velle, in volente,) & postmodum de potentia Dei, qua consideratur ut principium operationis diuina in effectum exteriorem procedentis. Ibi autem sermonem esse de omni scientia, etiam necessaria, indubitatum est, cum de ista potissimum disputet in sequentibus S. Doctor, eodemque modo de intellectu, & volitione loquatur, & volitione, etiam necessariam comprehendat. Id quod ipse Thomas clarissimè explicat art. 4. eiusdem quæst. loquens enim de intellectu, quæ est substantia Dei physica, qualis non est intellectio libera, sed sola necessaria, ait. *Ad primum: ergo dicendum, quod intelligere non est operatio existens ab ipso operante, sed manens in ipso.* Ergo intellectio necessaria, vtpotè operatio manens in essentia operante, non pertinet ad illam.*

Iterum stabilita ex S. Thoma.

74. Dices cum Recentioribus S. Thomam nec locutum ibi de essentia metaphysica, sed de physica tantum, & materiali; nec scientiam vocare operationem physicam, sed grammaticalem tantum, nec asserere eam esse de essentia metaphysica. *Contra*, Tum quia intellectio necessaria non pertinet ad substantiam, seu essentiam de qua ibi est sermo, sed ad operationem ipsius: pertinet autem ad substantiam seu essentiam physicam fatentibus aduersariis: ergo substantia, de qua ibi agitur, non est physica, sed metaphysica. Tum etiam quia intellectio necessaria non est operatio essentiæ physicæ: ergo essentia cuius asseritur operatio, metaphysica est. Tum præterea quia verba illa, *operans & operatio, qua manet in operante*, gratis referuntur ad operationem purè grammaticalem. Tum denique, quia scientia asseritur esse ab essentia verbis illis. *Restat considerandum de his, qua pertinent ad operationem ipsius,*

Solutio Recentiorum expuncta.

scilicet substantiæ, seu essentiæ; scientia autem non est operatio ab essentia physica: ergo à metaphysica.

Nostra sententia iterum ex S. Thomæ firmata.

75. Tertiò, idem S. Thomas quæst. 26. art. 2. disputans de Beatitudine Dei, quam ait, consistre in cognitione necessaria, ait, concedendam esse Deo beatitudinem, quia est in eo cognitio sui, de qua cognitione necessaria, ait. *In Deo autem non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentia rationem.* Id est non esse aliud realiter, benè virtualiter: ergo actualis intellectio necessaria non est virtualiter esse, seu essentia Dei.

Responsio aduersariorum reiecta

76. Occurrunt Aduersarij dicentes, sanctum Thomam non scribere, intellectionem necessariam esse aliud virtualiter ab essentia, imò id excludit asserens, esse aliud tantum secundum intelligentiæ rationem quo sola permittitur distinctio nostro modo concipiendi intellectio- nis ab aliis conceptibus in essentia inclusis. *Contra*, nam ea phrasi S. Thomas non excludit positiuè distinctionem virtuales. Sic eandem 1. part. q. 28. art. 2. disputans de identitate, & distinctione relationum ab essentia, circa finem corporis ait. *Et sic manifestum est, quod relatio existens in Deo est idem essentia secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentia rationem.* Id est virtualiter, & non tantum nostro modo concipiendi, quod fateri tenentur aduersarij, non tantum nostro modo intelligendi, sed virtualiter distinguentes relationes ab essentia, etiam si S. Thomas asserat non differre, *nisi secundum intelligentia rationem*: ergo ea locutio non excludit distinctionem virtuales, vt aiebant Recentiores, sicut nec à Concilio Florentino excluditur distinctio virtualis, quantumuis asserente, diuinitatem sola ratione ab hypostasibus distingui, vt Tractat. de Trinitate nobiscum tenent aduersarij.

S E C T I O VI.

*Vera sententia de constitutivno metaphysico
virtuali essentia Dei.*

77. **A**sfero, constitutivum metaphysicum virtuale
essentia Dei consistere in substantia intelle-
ctiva, seu actu primo, aut potentia intelligendi infinita
perspicacitate de se cognoscitiva cujuscumque obiecti.
Ita communiter Doctores distinguentes virtualiter actum
primum intelligendi ab actuali intellectione, etiam ne-
cessaria, quos dedimus initio sectionis præcedentis. Pro-
batur, quia hic est conceptus virtualiter omnium prior,
adæquatus, & proprius, nullique communis extra essen-
tiam: ergo & adæquata Dei essentia. Consequentia opti-
ma est. Antecedens quoad omnes illius partes probatur.
Nam conceptus substantia intellectiva infinita perspicacitate
cognoscitiva, &c. in primis est virtualiter prior,
intellectione necessaria, voluntate, volitione, & omni-
potentia, ut in superioribus ostensum est: Deinde nul-
lum alium conceptum supponit virtualiter priorem, adæ-
quatum, & proprium: ergo virtualiter est omnium prior
adæquatus, & proprius. Secunda antecedentis pars pro-
batur, nam si quis esset conceptus, quem virtualiter sup-
poneret gradus intellectivus assignatus à nobis, maximè
existentia necessaria, vel infinitas simpliciter, aut ens à
se: ita autem non supponuntur virtualiter à gradu intel-
lectivo, nec sunt conceptus proprii essentia, sed commu-
nes etiam attributis: ergo virtualiter nullum supponit
conceptum priorem adæquatum, & proprium. Minor
probatur, quia existentia necessaria vel indistincta est
virtualiter ab essentia, vel illa posterior, ut dicam sect. se-
quenti. Infinitas verò simpliciter, & ens à se, indistincta
sunt virtualiter à conceptu substantia intellectiva supe-

In quo ster
metaphysi-
cum confi-
tutivum vir-
tuale Dei.

rius explicatae, cum nulla componant praedicata contradictoria cum illa: ergo.

Intellecti-
um diuinū
conceptus
est omnium
prior.

78. Confirmatur, conceptus communes, non possunt determinari ad differentiam cum prioritate virtuali respectu illius; conceptus autem existentiae necessariae, infinitatis simpliciter, & entis à se, sunt communes intellectiuo, & volituo apud aduersarios: ergo nequeunt determinari ad differentiam intellectiui cum prioritate virtuali respectu illius. Maior probatur, quia conceptus communis, quantumuis esset virtualiter distinctus à differentia, non potest esse radix illius, aliter gradus superiores possent esse differentiarum radices: ergo neque poterunt determinari ad differentias cum prioritate virtuali respectu ipsarum; cum prioritas virtualis tota consistat in conceptu radice.

Per ens vir-
tualiter à se
non satis
explicatur
essentia Dei.

79. Dices, id probare quidem, intellectiuum non supponere gradus illos, utpote communes, virtualiter priores; non autem euincere, ens virtualiter à se non esse conceptum intellectiuo virtualiter priorem, utpote nulli communem, & proprium totius diuinæ essentiae. *Contra*, quia licet ens virtualiter à se, proprium sit solius diuinæ essentiae, pro istius tamen constitutio assignanda est perfectio diuina, cuius potius, quam alterius, proprium sit, esse ens virtualiter à se, id est primum omnium, cæterorumque radicem; quandiu enim talis perfectio, non aperiatur, inexplicata manet essentia, seu perfectio illa, cuius potius, quam alterius, proprium sit, esse ens virtualiter à se: huiusmodi autem perfectio alia esse non potest, quam substantia intellectiua à nobis assignata: ergo hæc erit, quæ virtualiter est à se, & omnium prima.

In vnaqua-
que essentia
explicanda
perfectio
omnium
prior, cæte-
rarumque
radix.

80. Confirmatur, nam si quis diceret, Deum metaphysicè esse conceptum omnium primum, cæterorumque radicem, verum re ipsa diceret, sed essentiam Dei non explicaret, quousque perfectionem illam reuelaret, cuius proprium esset, esse omnium priorem, cæterorumque radicem; aliter vnica definitione possent rerum omnium es-

sentia

sentia declarari, etenim de Deo, homine, Angelo, Leone, pariete, &c. verum est, constitui metaphysicè per conceptum omnium primum; cæterorumque radicem: ergo sicut in vnoquoque ente, ultra hoc, declarari debet perfectio illa, cuius potius quam alterius proprium sit, esse omnium primam cæterorumque radicem; ita in Deo manifestanda est perfectio illa, cuius potius, quam alterius proprium sit, esse ens virtualiter à se: hæc alia esse non potest, quam substantia intellectiua à nobis declarata: ergo hæc erit in Deo conceptus omnium metaphysicè prior, cæterorumque radix, & consequenter ens virtualiter à se.

81. Objicies, vis cognoscitiua liberorum non est de constitutio metaphysico virtuali diuinæ essentia: ea autem est substantia intellectiua, seu actus primus, aut potentia intelligendi infinita perspicacitate cognoscitiua obiecti: ergo hæc non est de constitutio metaphysico virtuali Dei. Maior probatur, nam vis cognoscitiua liberorum connectitur essentialiter cum intellectibus diuinis liberis, saltem possibilibus: essentia autem diuina non connectitur cum illis adhuc possibilibus: ergo vis intellectiua liberorum non est virtualiter essentia diuina, cum contradictoria sint connecti, & non connecti eidem. Hoc idem argumentum fieri potest de virtute intellectiua creaturarum possibilium, nam ea cum possibilis connectitur, non vero essentia.

Obiectio
contendens
vim intelle-
ctiuam libe-
rorum essen-
tia non esse.

82. Confirmatur, vis intellectiua liberorum est virtualiter posterior vi eorundem volitiua: vis autem volitiua liberorum est posterior virtualiter essentia, cum sit voluntas, quam ostendimus sect. 3. esse posteriorem virtualiter essentia: ergo, & vis intellectiua liberorum posterior virtualiter erit vi eorundem volitiua. Maior probatur, nam quoties actus vnius potentia est posterior actu alterius, etiam potentia actus prioris, prior est potentia actus posterioris, sic in Deo intellectiuum necessarium prius est eorundem volitio, quia intellectio necessaria prior est volitione similiter necessaria, & in creatis ob eandem

Et posteriorem esse vi eorundem volitiua, eo quod intellectio libera sit volitione posterior.

216 Tra&.I. De Essentia & Attributis Dei.

eandem rationem intellectus prior est voluntate, & apprehensiuum iudicatio: actus autem potentiae volitivae liberorum prior est actu potentiae eorundem intellectivae, cum volitio libera prior sit intellectione pariter libera: ergo vis intellectiva liberorum posterior est vi eorundem volitiva.

83. Respondeo, praecedens argumentum nullum esse admissa connexionione Dei cum creaturis, & actibus liberis possibilibus. Nam ea connexionione stante, falsum est, essentiam diuinam non connecti cum intellectiionibus liberis possibilibus; atque adeo vis intellectiva liberorum, propter eam connexionem, ab essentia non debet expungi. In sententia verò negante Deo eam connexionem, facile etiam respondetur, Deum non constitui vi intellectiva liberorum absoluta, seu quoad sufficientiam; sicut in simili de omnipotentia dici solet. Idcirco addidi in conclusione de se cognoscitiua, vt ab ea sententiarum varietate nunc praescinderem.

Prioritas, & posterioritas virtualis potentiarum ex prioritate, & posterioritate actuum metienda non est.

84. Ad confirmationem neganda est vtraque maior. Prioritas enim virtualis vnius potentiae, & posterioritas alterius, non ex prioritate, & posterioritate actuum metienda est, sed ex aliis capitibus comprobanda, quando videlicet, eadem ratio prioritatis, & posterioritatis actuum militat in potentiis, quod non stat in praesenti; nam in actibus liberis ratio cur volitio sit virtualiter prior scientia, est, independentia à dependenti, quae non reperitur inter potentias. Libeat doctrinam istam instantiis confirmare; nam in creatis virtus intellectiva per actus pendentes à libero voluntatis imperio, posterior non est virtualiter virtute productiua imperij prioris, aliter si potentiae inter se, & ab anima distinguerentur, daretur vnus intellectus prior voluntate, & alter posterior. Praeterea in actu, qui simul est intentio, & electio, conceptus electionis prior virtualiter non est conceptu intentionis, quamuis media, quae sunt electionis obiectum sint sine priora. Insuper cognitio diuina, necessaria representans Patrem, prior virtualiter non est cognitione representan-

te Filium, quamvis Pater sit prior Filio. Rursus in omni-
 potentia virtus productiua causæ prior non est virtute
 productiua effectûs, etiamsi causa sit prior effectû. Idem-
 que est de virtute productiua dispositionum, & formæ
 substantialis. Denique in homine animal quamvis vni-
 uersalius, non tamen est prius rationali, etiamsi sensatio
 sit prior discursu: ergo vnum actum esse priorem, seu ra-
 dicem alterius, hoc præcisè non arguit vnam potentiam
 altera virtualiter priorem.

85. Instabis contra secundam argumenti solutionem,
 expuncta connexionione Dei cum creaturis, & actibus liberis
 possibilibus, vis intellectiua liberorum quoad sufficien-
 tiam, & quoad efficaciam, eo tantum distinguntur quod
 illa sit omnino necessaria, non verò ista: ergo constitue-
 re Deum vi intellectiua quoad sufficientiam erit consti-
 tuere Deum duplici conceptu communi, videlicet, vi in-
 lectiua, quæ communis est, tam sufficienti, quam ef-
 ficaci, & ente omninò necessario, quod etiam commune
 est virtuti volitiuæ, quoad sufficientiam, qui modus con-
 stituendi Deum sufficiens non est.

86. Respondeo, vim intellectiuam quoad sufficientiam
 esse quidem in se omnino necessariam, & talem non esse
 vim intellectiuam, quoad efficaciam, vnam independen-
 dentem à creaturis, & actibus liberis possibilibus, dependen-
 dentem alteram sicut de omnipotentia, & voluntate,
 quoad sufficientiam, & quoad efficaciam tenent eius sen-
 tentiæ Doctores. Nego tamen constitui à nobis differen-
 tiam Dei prædicato aliquo communi non essentiæ, sed
 speciali, & proprio, qualis est vis intellectiua habens vir-
 tualem identitatem cum independentia à creaturis, &
 è contra, hic enim conceptus nulli communis est extra
 essentiæ. Qui modus constituendi essentiæ Dei ineui-
 tabilis est, vt singulorum sententias expendenti patebit,
 cum quælibet perfectio fiat propria Dei ratione illimita-
 tionis, & hæc de se communis sit non minus quàm ens necesse-
 sarium. Sicut ergo essentia diuina, hoc non obstante opti-
 mè constituitur illimitatione propria generis intellectiui;

Differentia
 Dei non cõ-
 stituitur du-
 plici concep-
 tu communi,
 sed speciali
 proprio.

218 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.
cur similiter ente omnino necessario proprio generis intel-
lectiuiconstitui non poterit.

SECTIO VII.

*An existentia necessaria propria essentia sit de
constitutiuo metaphysico virtuali illius?*

Placita Do-
ctorum.
Mayron.
Heruzus.
S. Thomas.
P. Soarius.
P. Gillius.
P. Ribas.

87. **D**Ixi propria essentia, quia existentiam attribu-
torum, utpote ab ipsis virtualiter indistinctam,
non constituere metaphysicam Dei essentiam, constat fa-
tis ex dictis. Difficultas ergo est, an existentia necessaria
propria essentia, illa videlicet, per quam prioritate à quo
ad omnes relationes, & attributa, essentia metaphysica
actu existens denominatur, sit de metaphysico constitu-
tiuo virtuali Dei. *Prior sententia* negat, ita Mayron. in 1.
dist. 2. art. 2. docens existentiam essentia esse modum eius
intrinsicum, Heruzus eandem tenet sententiam, non ta-
men fundamentum in 1. dist. 19. quæst. 2. art. 1. dub. 1. *Pos-
terior* affirmat, ita S. Thomas 1. contra gentes cap. 22. P. Soa-
rius lib. 1. de essentia Dei cap. 2. P. Gillius lib. 2. tract. 1. c. 5.
& tract. 2. cap. 1. P. Ribas disp. 1. cap. 2. numero 5. & plu-
res alij.

Existentia
essentia
propria est
de constitu-
tiuo meta-
physico vir-
tuali illius.

88. **A**ssero primò, existentiam essentia propriam esse
de constitutiuo metaphysico virtuali Dei. Probatur, nam
quidquid est virtualiter idem cum essentia metaphysica
Dei, quoque est de constitutiuo metaphysico virtuali ip-
sius Dei: existentia autem necessaria est virtualiter idem
cum essentia metaphysica Dei: ergo & de constitutiuo
metaphysico virtuali ipsius. Maior est certa, nam consti-
tutiuum metaphysicum virtuale est totum illud, quod
est virtualiter ipsum constitutiuum, & in eadem virtuali-
tate impossibile est, vnum constituere virtualiter, & aliud
non, hoc enim ipso, iam non vna, sed plures essent vir-
tualitates. Minor autem constat ex dictis disput. 2. sect. 5.
vbi

vbi ex professo ostendimus, existentiam necessariam essentia propriam non posse ab ipsa virtualiter distinguui.

89. Obiicies primò, essentia diuina est potentia, existentia vero actus: actus autem, & potentia virtualiter distinguuntur: ergo essentia, & existentia. Maior probatur, nam essentia denominatur existens ab existentia: quod autem denominatur potentia est, siue subiectum; quod vero denominat, actus: ergo essentia est potentia, existentia vero actus. *Respondeo* negans maiorem de potentia, & actu intrinsecè, & ex parte obiecti; quibus non sufficit præcisa denominatio: nam homo dicitur rationalis absque distinctione virtuali à rationalitate, & Deus dicitur intelligens absque distinctione virtuali ab actuali intellectione necessaria, si in ea consistat essentia, & intellectiuus à virtute intelligendi, & diuinus à diuinitate. Et ratio est, qui denominatio vna est per essentiam, altera per formam aduenientem essentia iam constituta, & sola hæc arguere potest actum, & potentiam virtualiter. Denominatio autem existentis est Deo per essentiam, atque adeo non patitur actum, & potentiam.

Existentia, & essentia non se habent instar actus & potentia.

90. Obiicies secundò, si existentia propria essentia non foret ab illa virtualiter distincta, neque existentia propria attributorum foret ab illis virtualiter diuersa: id autem implicat: ergo. Maior probatur, quia inde fieret, esse in Deo plures existentias, & per omnes illas quamlibet perfectionem absolutam existere, cum omnes capaces sint effectus existendi, & existentia sit sufficienter applicata per realem identitatem, quod videtur absurdum. *Respondeo*, id nullum esse absurdum, quia cum plures existentia virtualiter distincta euitabiles non sint, eo quod similia constitutiua attributorum, & essentia negari non possint, inconueniens non est, quod quælibet perfectio de se capax existendi per omnes illas denominetur existens; sicut inconueniens non est, quod natura diuina de se capax subsistendi, pluribus subsistentiis, tum absolutis, tum relatiuis terminetur.

Plures esse in Deo existentias absolutas, per easque perfectiones diuinas existere, nullum est inconueniens.

Existencia
virtualiter
ab essentia
distincta nõ
foret de con-
stitutio il-
lius.

91. Affero secundò, existentiam naturæ diuinæ propriam non futuram de constitutio metaphisico virtuali Dei secundum se, admissa distinctioe virtuali inter essentiam, & eius existentiam. Dixi secundum se, quia dubium non est, existentiam futuram de constitutio essentia, quatenus actualis. Probatur conclusio, nam tunc existentia illa supponeret gradum virtualiter priorem, adæquatum, & proprium: ergo non esset de constitutio metaphisico virtuali essentia. Consequentia constat ex hætenus dictis. Antecedens probatur, nam existentia non posset alio titulo distingui virtualiter ab essentia, nisi quia ista radix esset, aut principium virtuale illius: diuersa enim connotata, aut æquivalentiam rebus distinctis, non sufficere, certum mihi est; nec aliunde assignari posse prædicata contradictoria videtur apertum: igitur existentia supponeret gradum virtualiter priorem, scilicet intellectuum; quod non adæquaretur existentia, cum ista tunc non esset virtualiter vis intellectiua: illum autem gradum proprium esse Dei constat ex dictis: ergo.

Idem, quod
de existentia,
dicendum
de attributis
transcenden-
dentibus.

92. Idem, quod de existentia necessaria, dicendum est de attributis transcendentibus, si enim sint virtualiter idem cum essentia, etiam erunt de constitutio metaphisico virtuali illius, secus vero si distincta fuerint, de quo infra, eadem enim est omnium ratio, quæ de existentia necessaria, quæ vnum est ex attributis transcendentibus. Nec dicuntur attributa, eo quod proprietates sint essentia, sed quia perfectiones sunt, quæ attribuuntur illi, seu de illa prædicantur, quæ non excluduntur ab essentia.

S E C T I O VIII.

De constitutiuo metaphysico Dei nostro modo intelligendi.

93. **R**ecentiores aliqui non distinguentes actum primum intelligendi, seu intellectiuum diuinum ab actuali intellectione necessaria, & utroque Deum virtualiter constituentes, docent nunc. Constitutiuum metaphysicum formale seu per rationem consistere in solo intellectu diuino, quin actualis intellectio adhuc inadæquatè constitutiuum ingrediatur. Ducuntur, quia sicut constitutiuum virtuale est gradus virtualiter omnium prior, adæquatus, & proprius, ita constitutiuum per rationem debet esse gradus nostro modo concipiendi omnium prior, adæquatus, & proprius: tale autem est solum intellectiuum, quod logicè prius est actuali intellectione, cum nostro modo intelligendi, ista sit actus secundus illius: ergo solum intellectiuum diuinum erit de constitutiuo formali Dei nostro modo concipiendi.

Sententia Recentiorū de constitutiuo nostro modo concipiendi.

94. Vnde autem intellectiuum diuinum sit logicè seu nostro modo concipiendi prius actuali intellectione necessaria, hoc opus, huius sententiæ labor; nam confugere non potest ad connotata priora, & posteriora, cum nihil possit cognoscere actualis intellectio, cuius intellectiuum diuinum non sit vis cognoscitiua. Aliunde ut intellectiuum diuinum sit nostro modo intelligendi actus primus prior, & actualis intellectio secundus posterior, contingere id debet cum fundamento ex parte obiecti, saltem extrinseco; & non mera cognoscentis libertate, res enim per actum, quo sit logicè prior, debet cognosci ut est in se, si enim concipiatur aliter ac in se est, non prioritas, sed chymera confurget: nullum autem stat fundamentum ex parte obiecti, vnde intellectiuum diuinum sit prius, & actualis intellectio posterior: ergo.

Difficultas eius sententiæ circa prioritatem intellectiui diuini respectu intellectionis necessariæ.

95. Occurrunt aduersarij, fundamentum esse, quia intellectuum diuinum, quatenus formaliter tale, est ratio conueniendi cum intellectu creato, qui est actus primus, & prior respectu intellectiois suæ; intellectio autem diuina, vt formaliter talis, non est ratio conueniendi cum intellectu creato, sed cum sola intellectioe, quæ est actus secundus, & posterior; inde intellectuum diuinum est logicè, & ratione nostra prius, & actualis intellectio posterior.

Conuenientia intellectiui diuini cum creato insufficiens prioritati.

96. Contra, quia intellectuum diuinum, qua tale, est quidem ratio conueniendi cum creato intellectu, non tamen est ratio conueniendi cum illo, quatenus prior est intellectioe, sed tantum quatenus est vis perceptiua obiecti in quo conceptu, vtpote communi, tam intellectiui diuino, quàm creato, nullum stat fundamentum ex parte obiecti ad actum primum priorem, imò præcisio à tali fundamento, cum præscindat ab intellectiui creato, quod est actus primus prior, & à diuino, quod nec actus primus prior est, nec esse potest: ergo nullum stat fundamentum, vnde intellectuum diuinum adhuc ratione nostra possit esse prius respectu intellectiois actualis. *Confirmatur*, nam ea conuenientia intellectiui diuini cum creato non est fundamentum; vt intellectuum diuinum sit ens ab alio nostro modo concipiendi, etiam si creatum sit ab alio, quia in eo prædicato re ipsa non conueniunt, sed potius disconueniunt, & opponuntur: in prædicato autem actus primi prioris re ipsa intellectuum diuinum, & creatum non conueniunt, sed potius disconueniunt, & opponuntur, cum esse re ipsa actum primum priorem intellectiui diuino penitus repugnet: ergo.

Ab absurdis incurrendis idem confirmatur.

97. Contra secundò, si conuenientia duorum in aliquo prædicato communi, esset fundamentum, vt vnum haberet per rationem, quod alterum continet re ipsa, innumera sequerentur absurda; Paternitas enim in conceptu relationis conuenit cum Filiatione, nec tamen nostro modo concipiendi potest esse Filiatio, eo quod huiusmodi conceptus non est re ipsa, nec esse possit in Paternitate. Similiter

liter homo in conceptu animalis conuenit cum leone, nec tamen nostro modo concipiendi potest esse leo: eo quod huiusmodi conceptus non sit re ipsa, nec esse possit in homine: conceptus autem actus primi prioris re ipsa non est, nec esse potest in intellectu diuino respectu intellectiois actualis necessaria: ergo præcisa conuenientia illius cum intellectu creato quod re ipsa, actus primus prior est, non est fundamentum, vt nostro modo concipiendi intellectiuum diuinum sit actus primus prior.

98. Dices, intellectiuum, & actualement intellectioem in Deo habere connotata re ipsa priora, & posteriora; nam intellectiuum connotat immediatè solam intellectioem, intellectio uerò etiam creaturas possibiles, quæ posteriores sunt ipsa intellectioe necessaria, titulo entis ab alio. *Contra primò*, quia intellectio necessaria re ipsa non est connotatum intellectiui, sed ipsummet intellectiuum, cum nulla stet inter ipsos distinctio virtualis in aduersariorum sententia. *Secundò*, quia ex ea responsione fieret intellectiuum diuinum respectu intellectiois ipsius Dei, non esse formaliter actum primum logicum, cum connotatum huiusmodi intellectiois posterius non sit ipsa intellectioe. Vnde iterum fieret Deum nostro modo intelligendi, non constitui uirtute intelligendi se ipsum, cum ea uirtus actus primus intelligendi non esset sed sola uirtute intelligendi creaturas possibiles, quod non admittent aduersarij.

99. Alij uerò Doctores existimant, constitutiuum metaphysicum nostro modo intelligendi idem omnino esse cum constitutiuo metaphysico virtuali, nec ullam distinctionem interiici. Quia quod re ipsa est de constitutiuo rei tale etiam est nostro modo intelligendi. Vel enim res cõcipitur vt est in se, vel aliter ac est in se. Non secundum, quia id non esset essentiam concipere, sed prædicatum repugnans impingere. Si ergo res concipiatur vt est in se: ergo prædicatum quod in se est de constitutiuo rei, quoque tale erit nostro modo intelligendi.

100. Non placet alijs discursus iste. Quia licet in constitutiuo

Responso
connotati
prioris, &
posterioris
infringitur.

Aliorum iudicium circa
constitutiuum
nostro modo
concupiendi.

tutiuo

Quid in
precedenti
discursus
displiceat
aliis.

tutiuo metaphysico, per rationem non debeat concipi res aliter ac est in se, potest tamen concipi res in ordine ad vnum terminum nobiliorem, non concepta in ordine ad alterum minus nobilem; quo pacto non stante distinctione virtuali in creatis, homo concipi potest in ordine ad discursum, quin in ordine ad risum cognoscatur, & id sufficit, vt quamuis homo sit vnica indiuisibilis virtualitas, tamen rationale est essentia nostro modo concipiendi, & tale non est risibile, etiamsi virtualiter vtrumque sit essentia: ergo pariter in eadem virtualitate essentia, cum plura stent connotata, poterit intellectiuum diuinum concipi in ordine ad actualem intellectionem, quin in ordine ad alios terminos, siue intrinsecos, siue extrinsecos concipiatur, & poterit in ordine ad vnum essentiam nostro modo concipiendi constituere, quin formaliter constituat in ordine ad alterum.

Constitutiuum Dei nostro modo concipiendi, & ex parte obiecti idem omnino est.

101. Afferendum est, idem omnino esse constitutiuum Dei nostro modo concipiendi cum constitutiuo ex parte obiecti, seu virtuali, nec posse esse diuersum; atque adeo omnia, quæ intrant metaphysicum constitutiuum virtuale Dei, sunt etiam de constitutiuo metaphysico illius per rationem. Probatur primò, quia si constitutiuum nostro modo intelligendi distinctum esset à constitutiuo ex parte obiecti, fieret essentiam formalissimam Dei nostris actibus inadæquatè constitui, quodquam absurdum sit, quis vel cæcus non videat. Tum quia essentia formalissima tota est intrinseca Deo, actus verò noster extrinsecus, & essentia extrinseca termini sint implicantes, sicut albedo nigra. Tum etiam, quia essentia Dei formalissima esset temporalis, & contingens, cum coniunctum ex perfectione diuina, & nostro actu, in quo staret essentia Dei formalissima, contingens sit & temporale. Et vnde tantum priuilegium in tenues nostras cognitiones deriuari poterit; vt earum præsentia stet formalissima Dei essentia, earundemque absentia penitus euanescat; vt Deum insuper, hominem quæ constituant.

102. Sequela igitur probatur primò, quia essentia formalissima

Disp. V. De constitutio Dei. Sect. VIII. 225

malissima nihil addit, aut trahit intrinsecum essentia virtuali, ut est certum: ergo nihil habet, quo intrinsecè distinguatur ab illa: ergo ex perfectionibus virtualiter identificatis, vnam esse essentiam formalissimam, & aliam talem non esse, habetur formaliter ab extrinsecò nostro actu; si enim vna perfectio ab intrinsecò haberet esse essentiam formalissimam, & alia id non haberet, cum prædicata sint contradictoria, hoc ipso virtualiter distinguerentur. *Confirmatur*, ideò distinctio, & prioritas rationis includit de constitutio nostrum actum, quia inter perfectiones virtualiter identificatas, nulla stat intrinsecè prioritas aut distinctio: sed neque stat vnam esse essentiam formalissimam, & aliam non esse: ergo id includit de constitutio nostrum actum.

Essentiam formalissimam inclusuram nostrum actum ostenditur.

103. Secundò probatur eadem sequela & ut cum aduersariis colloquamur, demus intellectiuum, & actualement intellectiōnem esse virtualiter idem, & intellectiuum esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectiōnem, modo sic. Intellectiuum esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectiōnem, non habetur ab illis, nisi quatenus inter se distinctis: quatenus autem inter se distincta includunt de constitutio nostrum actum: ergo & intellectiuum esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectiōnem includet de constitutio eundem actum. Maior Probatur, nam intellectiuum esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectiōnem, habetur ab intellectu quatenus excludente intellectiōnem à conceptu essentia formalissimæ: intellectiuum autem, quatenus excludens intellectiōnem à conceptu essentia formalissimæ, est intellectiuum quatenus distinctum ab intellectiōne: ergo Idem quod de distinctiōne; dicendum est de prioritate rationis; nam intellectiuum non est essentia formalissima, potius quam intellectiō, nisi quatenus est prius illa, quæ prioritas includit nostrum actum.

Eadem sequela secundò probatur

104. Dices, intellectiuum diuinum non esse essentiam formalissimam Dei, quatenus ratione nostra distinctum,

Responsio aduersario rum ad ar-

argumentum
nostrum.

aut prius actuali intellectione; qua ratione includeret quidem nostrum actum, cum prioritas, & distinctio rationis illum includant; sed essentiam formalissimam esse intellectiuum, quod à prioritate, & distinctione, & consequenter à nostro actu, denominatur prius, & distinctum: subiectum autem ita denominatum nec includit de constitutio ipsius prioritatem, nec distinctiōem, nec nostrum actum; sed solam perfectionem adæquatè Deo intrinsecam; sicut paries, qui denominatur albus, non includit albedinem de constitutio subiecti denominati per albedinem, sed solum intrinsecam entitatem parietis. Similiter intellectiōem non esse formalissimam Dei essentiam, non habetur ab illa, quatenus distincta, & posterior est intellectiuo diuino, sed ab intellectiōe, quæ à distinctiōe, & posterioritate rationis denominatur posterior, & distincta, quod nihil est intrinsecum perfectioni intellectiōis.

Infringitur
præcedens
responsio,
primò.

105. Contra primò, quia ante nostrum actum, prioritatem, & distinctiōem rationis, non datur intellectiuum esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectiōem, bene vero post nostrum actum: ergo intellectiuum diuinum esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectiōem, quid extrinsecum addit de constitutio essentia formalissimæ, & non essentia, ultra perfectionem intrinsecam diuinam, quæ ante nostrum actum semper fuit, nisi nouum mysterium simile libertati pro essentia formalissima erigere tentes in Deo, quod tamen in creatis locum non habebit. Antecedens probatur, nam si ante nostrum actum, prioritatem, & distinctiōem rationis, daretur, intellectiuum esse essentiam formalissimam, & intellectiōem talem non esse, intrinsecè, & ex parte obiecti esset in Deo, intellectiuum esse essentiam formalissimam, vel talem non esse intellectiōem, quæ cum prædicata sint contradictoria, intellectiuum, & intellectiōem virtualiter distinguerent. Et quid præstarent nostri actus si ante illos, iam intellectiuum esset essentia formalissima, & intellectiō non esset; cum pariter præcedere deberent

deberent distinctio inter utrumque, & prioritas unius, & posterioritas alterius.

106. Contra secundò, licet sola perfectio intrinseca intellectiui sit quæ à distinctione, & prioritate rationis denominatur prior, & distincta, sicut solus Petrus ab albedine denominatur albus; tamen sola perfectio intrinseca intellectiui exclusa prioritate, & distinctione rationis non est essentia formalissima, potius quam intellectio, nam de ratione essentia formalissimæ non est nuda, & sola quælibet perfectio intrinseca diuina, cum talis sit intellectio, quæ non est essentia; sed est perfectio diuina vna cum prioritate, & distinctione à non essentia, atque adeo non erit solum subiectum, quod denominatur, sed concretum ex illo & prioritate, & distinctione rationis. Sicuti, licet ab albedine solus Petrus denominetur albus, quia tamen Petrum esse album, non stat exclusa albedine, & manente solo Petro, inde Petrum esse album non est solus Petrus sed concretum ex ipso, & albedine: ergo essentia formalissima includet de constitutio prioritatem, & distinctionem rationis; atque adeò nostrum actum.

107. Confirmatur, ideo intellectiuum esse distinctum ab intellectuione, non est sola perfectio intrinseca intellectiui, sed includit ultra de constitutio nostrum actum, quia ante illum non datur, intellectiuum esse distinctum ab actuali intellectuione, cum intrinsecè, ex parte obiecti, & virtualiter, intellectiuum, & intellectio sint vnum, & idem: sed neque datur ante nostrum actum, intellectiuum esse adæquatum Dei essentiam, & intellectuionem non esse, adhuc inadæquatam, cum intrinsecè, ex parte obiecti, & virtualiter, apud aduersarios, nec intellectiuum sit adæquata essentia sine intellectuione, nec intellectio sit minus essentia, quàm intellectiuum: ergo intellectiuum esse totam essentiam, & intellectuionem non esse, adhuc inadæquatam, ultra perfectionem intrinsecam intellectiui includet de constitutio nostrum actum.

108. Contra terriò, quia etiamsi solus Petrus denominetur albus ab albedine, non tamen perfectio intrinseca

Secundò eadem respon-
sio cofutatur

Idem vrgetur ex distinctione rationis includentis nostrum actum.

Tertio ad hominem vrgetur af-

assumptum
ipsoinet ad-
uersariorum
exemplo.

intellectiui potest denominari prior, & essentia, & talis non denominari perfectio intrinseca intellectiois, nulla stante inter ipsas distinctione intrinseca, vt arbitrantur aduersarij, sed tota perfectio intrinseca denominari debet prior in ordine ad connotatum posterius, qua ratione nulla est contradictio, cum prioritas, & posterioritas sint respectu diuersorum, sicut nec contradictio est, cognosci hominem in ordine ad sensationem, & non cognosci in ordine ad discursum. Et ratio est, quia idem ab eadem forma denominari, & non denominari prius, sunt contradictoria; quæ non stant absque distinctione virtuali: intellectiuum autem, & intellectio secundum perfectionem intrinsecam sunt idem: ergo non potest intellectiuum secundum intrinsecum, quod dicit, ab eodem actur denominari prius, & talis quoad intrinsecum non denominari intellectio. Nec dici potest intellectiuum esse capax eius denominationis, & non esse intellectioem. Nam idem ab eadem forma, & eiusdem effectus; esse capax, & non esse, manifesta est contradictio.

Secunda no-
ra concl-
sionis pro-
b. no.

109. Probatur secundò conclusio; si sola perfectio intrinseca intellectiui esset essentia Dei formalissima, & talis non esset intellectio; sicut directè possum ego asserere esse in Deo perfectionem intrinsecam intellectiui, & intellectiois; pariter asserere possem solam perfectionem intrinsecam intellectiui esse essentiam formalissimam, & talem non esse intellectioem, cum æqualiter intrinsecè vtrumque esset in Deo. Vel ergo huiusmodi actus directus verus esset, vel falsus. Si verus: ergo ex parte obieci correspondere debet, intellectiuum esse essentiam formalissimam, & intellectioem non esse, atque adeo diuersa erunt constitutiuæ ex parte obieci. Si actus falsus est: ergo vel quia sola perfectio intellectiui non est essentia formalissima, vel quia intellectio talis est, vtrumque est contra aduersarios: ergo constitutiuum formalissimum distinctum esse non potest à constitutiuo ex parte obieci, nisi nostrum actum includat: istum includere non potest: ergo.

III. Tertiò, vel ex parte obiecti datur fundamentum, vel solum intellectiuum asseratur essentia formalissima Dei, vel non? si non stat fundamentum; ergo sine fundamento asseritur intellectiuum esse essentiam Dei formalissimam, & talem non esse intellectionem. Si stat fundamentum: ergo intellectio, quæ dicitur extra essentiam formalissimam Dei, etiam ex parte obiecti erit extra illam, atque adeo idem erit constitutiuum ex parte obiecti, & nostro modo concipiendi. Probatur consequentia, quia intellectiuum dare fundamentum, vt asseratur essentia Dei formalissima, & tale fundamentum non dare intellectionem, sunt contradictoria: ergo intellectio non dans fundamentum, vt asseratur formalissima Dei essentia virtualiter, & obiectiuè distincta erit ab intellectu simile fundamentum præbente. Vnde nihil mirum si vnus conceptus sit essentia formalissima, non verò alter. Nec recursus fieri potest ad fundamentum extrinsecum ex parte obiecti à connotatis prioribus, & posterioribus petitum, cum huiusmodi connotata nulla sint respectu intellectiui, & intellectionis, vt ostensum est.

III. Dices intellectiuum, & intellectionem non præbere fundamenta secundum se, qua ratione virtualiter distinguenda forent; sed quatenus existunt in intellectu, vnusque conceptus, scilicet intellectiuum, concipitur per actum directum ad modum prioris, & non alter scilicet intellectio; non quod intellectiuum terminet illum modum concipiendi, & eundem non terminet intellectio, id enim contradictorium esset, sed quia vterque conceptus terminat ex parte obiecti solam expressionem intellectiui, & non intellectionis, exprimentem intellectiuum diuinum ad modum intellectiui creati. Hic autem modus concipiendi, sicut solum exprimit ex parte actus intellectiuum; ita ex parte actus solum concipit intellectiuum diuinum ad modum prioris, & consequenter solum ipsum constituit, redditque prius ex parte actus, seu ex modo concipiendi; Hocque est fundamentum, vt postea intellectus per actum reflexum concipiat intel-

Tertia probatio sumpta ex fundamento ex parte obiecti.

Aduersarium responso de expressione intellectiui diuini in ordine ad creatum.

*Præfata re-
sponſio li-
brata, & re-
iecta.*

lectiuum esse prius intellectu ex modo concipiendi.
112. Hæc tamen responsio qua parte confugit ad ex-
pressionem intellectiui diuini in ordine ad intellectiuum
creatum expuncta iam est sectionis initio. Qua vero par-
te ait, actum directum concipere intellectiuum ad modum
prioris, non subsistit, nam quod in se prius non est concipi
per actum directum ad modum prioris, est concipi cum
prædicato sibi repugnante. Quod vero additur de prio-
ritate rationis, non agitur in argumento de illa, quam
supponimus extrinsecam esse intellectu cum aduersa-
rio, sed de essentia formalissima, quæ ipso approbante, &
appositum abhorrente, nihil extrinsecum de constitutiuo
dicere potest. Denique responsionem argumentum non
soluere, ita ostendo. Vel ante actum directum datur in-
tellectiuum esse essentiam formalissimam Dei, & talem
non esse intellectiōem, vel non? si primum: ergo actus
directus concipiens Deum in ordine ad intellectiuum
creatum supponit essentiam formalissimam Dei, & fun-
damentum illius non erit. Si secundum: ergo cum ante
nostrum actum directum sit tota intrinseca perfectio Dei,
& non sit essentia formalissima, hæc aliquid dicet extrin-
secum de constitutiuo illius.

*Instantia
sumpta ex
inconnec-
tione Dei
cum crea-
turis possi-
bilibus.*

113. Confirmo ad hominem, nam in sententia respon-
dentis, Deus nulla ratione connectitur cum possibilibus
creatis. Vel ergo nullo possibili nostro actu, esset solum
intellectiuum essentia formalissima Dei, vel non? Si pri-
mum: ergo essentia formalissima non pendet à nostris
actibus directis, aut reflexis, & seorsim ab illis stat ex par-
te obiecti fundamentum talis essentia. Si secundum: er-
go sola intrinseca ea perfectio intellectiui non est essen-
tia formalissima Dei, sed vna cum illa aliquid extrinse-
cum. Nec dici potest nostrum actum directum esse pu-
ram conditionem, vt essentia formalissima adæquatè Deo
intrinseca resultet, vt de actu libero tenent multi. Tum
quia perfectio resultans in Deo ex aliqua conditione
creata ipsi contingenti necessaria Deo esse non potest:
ergo neque essentia formalissima necessaria Deo esset,
quod

Disp. V. De constitutiuo Dei. Sect. VIII. 231

quod implicat cum nihil contingens possit constituere Deum. Tum etiam, quia idem dici posset de prioritate, & distinctione rationis, quod non admittitur ab aduersario.

114. Quartò, noster actus præstare non potest, ut conceptus, qui re ipsa est essentia, talis non sit, & qui re ipsa proprietas non est, talis fiat: intellectio autem re ipsa est essentia per vos, & non proprietas: ergo noster actus præstare non potest, intellectionem non esse essentiam, & esse proprietatem: præstaret autem: ergo. Maior probatur, nam intellectio esset extra essentiam formalissimam adæquatam fatentibus aduersariis: ergo non esset essentia. Quidquid autem est extra essentiam, modo quo extra illam est, proprietas est cum subiecto necessario conueniat; intellectio autem necessario Deo conuenit: ergo si extra essentiam formalissimam esset, proprietas foret solo nostro modo concipiendi: proprietas autem solo nostro modo concipiendi talis est implicatoria, ut ostendam disp. sequenti sect. 2. ergo & constitutiuum nostro modo intelligendi distinctum à constitutiuo ex parte obiecti. Et quamuis ea constitutiuia in scriptis nostris aliquando videantur à nobis admissa, id tamen præstitum est, vel supposita communi sententia ea constitutiuia distinguente, vel tantum quoad distinctionem conceptuum nostro modo intelligendi.

115. Obicies, intellectiuum diuinum est gradus, ratione nostra distinctus, & prior intellectione; aliunde est adæquatus, & proprius Dei: ergo & essentia formalissima. Hæc ratio non militat contra nos, qui solum intellectiuum diximus esse essentiam Dei metaphysicam ex parte obiecti, vnde licet solum intellectiuum esset essentia nostro modo concipiendi, non probatur distinctum esse constitutiuum ex modo concipiendi à constitutiuo ex parte obiecti. Quia tamen circa alios conceptus ab intellectiuo virtualiter indistinctos, & ratione nostra posteriores illo, idem argumentum contra nos fieri potest.

116. Respondeo, prioritatem purè logicam, seu rationis

Quarta probatio, quia noster actus præstare non potest, ut quod essentia est, tale non sit.

Obiectio sumpta ex prioritate intellectiui respectu intellectionis.

Prioritas pu-
rè logica
sufficiens nō
est vt con-
ceptus prior
sit essentia,
& talis non
sit posterior.


nis, sufficientem non esse, vt conceptus prior sit essentia formalissima, & talis non sit posterior; nam ea prioritas intrinseca non est perfectioni diuinæ priori, sed extrinseca, & inuoluens nostrum actum; essentia autem formalissima tota est intrinseca; atque adeò, vt vna perfectio sit essentia formalissima, & non alia, intrinsecè debet esse prior; cumque inter conceptus virtualiter indistinctos, impossibilis sit prioritas intrinseca, vnde impossibile est vnum esse essentiam formalissimam, & non alterum. Prioritas ergo, & distinctio rationis, solum præstabunt perfectiones eiusdem essentiæ distinctas esse, & vnam altera priorem.



DISPUTATIO VI.

De attributis Dei in communi, eorumque inclusione, & emanatione ab essentia.

Quo sensu
vlturpandum
attributum
in præfenti.

1.  **P**OSITA existentia, vnitare, & essentia Dei metaphysica, eius nos vocant attributa, nunc in communi, & sequentibus disputationibus in particulari. Nec sermo est de attributis largissimè sumptis, scilicet, prout vox attributum significat idem, ac prædicatum, quod in propositione attribuitur subiecto, quo pacto etiam essentia diuina dici posset attributum, cum de Deo prædicetur, non minus, quam essentia hominis de homine. Controuersia igitur est de attributis propriè, & strictè talibus, quatenus attributum
idem

Disp. VI. De attrib. Dei in comm. Sect. I. 233
idem valet, ac perfectio consequens essentiam. Cuius
leges, & requisita sectione sequenti aperientur.

SECTIO I.

*Quid, & quotuplex sit attributum diuinae
essentiae.*

2. **T**Res conditiones communi Theologorum consensu pro attributi constitutio praefigi solent. Conditiones pro constitutio attributi praefiguntur.
Prima, ut essentiam supponat iam constitutam; etenim si ex defectu attributi formaliter, & immediatè integritas deficeret essentiae; huiusmodi perfectio, non attributum sed pars essentiae numeranda foret. *Secunda*, est, ut sit perfectio positiva adaequatam consequens essentiam. Perfectio quidem positiva, quia reali identitate essentiae debet esse coniuncta. Consequens verò adaequatam essentiam, quia debet esse posterior tota essentia, nam si posterior esset partiali essentia, non inde attributum necessario foret; posterior inquam, non in quo, cum nulla perfectio diuina, etiam libera, possit esse adhuc virtualiter futura respectu alterius; nec posterior natura, cum inter perfectiones necessarias nulla stet dependentia ab independenti; sed à quo, siue origine, cum alia prioritas non sit. *Tertia*, ut sit perfectio necessario afficiens, & denominans essentiam; nam attributum, seu proprietas necessario conuenit essentiae.
3. His conditionibus communi omnium plausu receptis, alij alias superaddunt. Quarum prima est, ut sit perfectio absoluta: existimant enim relationes diuinas attributa non esse. *Primo*, quia attributum commune debet esse omni illi, cui communis est essentia, quod nulli competit relationi. *Secundo*, quia iuxta frequentem Patrum locutionem, Pater Filio communicat essentiam, &

234 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

attributa omnia, non verò Paternitatem. *Tertiò*, quia relationes non sunt perfectiones simpliciter simplices. Ita P. Ribas hinc disp. 3. cap. 1. num. 3. ex P. Soario, & aliis.

P. Ribas.
P. Soarius.

Attributa re-
latiua negā-
da non sunt.

4. Hæc autem conditio, licet pro attributis absolutis, vera sit; sufficiens tamen non est fundamentum ad attributa relatiua neganda. *Primò*, quia omnis perfectio essentiam consecuta, vel est accidens, vel proprietas, seu attributum: relationes autem diuinæ respectu naturæ non sunt accidens, cum non illam contingenter, sed omnino necessario efficiant: ergo attributa erunt saltem cum addito, scilicet relatiua. *Tertiò*, quia communi Patrum, Theologorumque locutione relationes diuinæ dicuntur proprietates relatiuæ: ergo & attributa, cum voces sint tantum diuersæ non res. *Tertiò*, quia relationes diuinæ sunt perfectiones simpliciter simplices, vt ostendi tract. de Trinitate disp. 12. sect. 10. eo quod nullius relationis defectus per aliam perfectionem compensabilis sit, atque adeo ex hoc capite ab attributi ratione non deficient.

Non opus
est, attributū
esse creatura-
rum respec-
tiuum, con-
tra Ægidium.

5. Secundam conditionem superaddit Ægidius lib. 5. de Beatitudine quæst. 4. art. 4. scilicet attributum debere esse creaturarum respectiuum. Non placet, nam diuinus amor essentia, & relationum, vt formaliter talis, attributum est, & in sententia nostra, etiam similis cognitio; nec tamen vt sic respiciunt creaturas. Insuper relationes diuinæ sunt attributa relatiua, cum tamen non sint ad creaturas respectus. Præterea si Deus cognitione necessaria creaturarum possibilium metaphysicè constituatur tam respectiua creaturarum erit essentia, quam attributum, nempe volitio necessaria: ergo respectus ad creaturas conditio non erit propria attributorum.

Nec esse per-
fectionem
naturaliter
demonstra-
bilem, con-
tra P. Vas-
quium.

6. Tertiam conditionem superaddit P. Vasquez, videlicet, attributum debere esse perfectionem naturaliter demonstrabilem. Etiam displicet, nam virtus vnionis hypostaticæ productiuæ, amor diuinus Trinitatis, & relationes attributa sunt, & naturaliter indemonstrabilia. Et quamuis attributum deberet esse demonstrabile, id proprium illius non esset, sed commune etiam essentia: ergo ad dignoscendum attributum inutilis est conditio illa.

7. Afferendum igitur est primò, attributum esse perfectionem cum identitate reali adæquatam essentiam necessario, attributum consecutam. Probatur ex dictis. Nam quælibet perfectio extra essentiam adæquatam, vel est accidens, vel proprietas, seu attributum: accidens est, quæ contingenter consequitur essentiam: ergo quæ necessario consequitur attributum erit. In Deo autem nullum attributum distinguitur realiter ab essentia: ergo attributum diuinum erit, perfectio cum identitate reali essentiam necessario consecuta. Qua autem ratione attributum consequatur essentiam. Respondeo attributum quod virtualiter distinguitur ab essentia, virtualiter etiam consequi illam; quod vero logicè tantum, seu nostro modo concipiendi distinguitur, logicè tantum, seu nostro modo concipiendi consequetur, quod amplius declarabitur infra.

Quidditas
attributi
declarata.

8. Circa secundam sectionis partem, quotuplex videlicet sit attributum diuinæ essentiæ, sermo esse potest, vel de attributis virtualiter ab essentia distinctis, vel logicè tantum, seu ratione nostra distinctis; in Deo enim nullum dari attributum realiter formaliter ab essentia distinctum, res est certissima. Dari autem in Deo attributa purè logica, vix est qui neget. Nam qui distinctionem virtualem inter voluntatem, & essentiam non admittunt, concedunt distinctionem logicam, & similem posterioritatem voluntatis respectu essentiæ; idemque est de negantibus distinctionem virtualem inter absoluta diuina. Qui verò, admissio actu primo intelligendi, illum identificant cum actuali intellectione, & istam excludunt ab essentia nostro modo intelligendi; concedunt actualem intellectionem necessariam esse logicum attributum essentiæ. Denique cum attributa transcendentia non possint virtualiter ab essentia distingui, concedunt, ea esse attributa pura logica.

9. Afferendum est secundò, tria esse attributa virtualiter inter se, & ab essentia distincta; videlicet intellectionem necessariam, voluntatem, & volitionem pariter ne-

Attributa
absoluta vir-
tualiter in-
ter se, & ab

essentia di-
stincta, tria
tantum.

cessariam, omnipotentiam enim indistinctam esse à voluntate diuina constabit infra. Suadetur, & inprimis ea omnia esse virtualiter ab essentia distincta, constat, de actuali intellectione ex dictis disp. præcedenti sect. 5. de voluntate verò, & volitione, constat ex ibidem dictis sect. 3. & 4. esse autem virtualiter inter se distincta constat tum ex dictis tract. de voluntate disp. 1. tum etiam tract. de Trinitate disp. 7. vbi ostensum est solam intellectionem necessariam esse rationem formalem communicandi respectu filij, & solam voluntatem principium communicatum respectu Spiritus sancti, & solam volitionem communicationem respectu ipsius.

Attributa
verò rela-
tiua quatuor
tantum.

10. Asserendum est tertio, attributa relatiua quatuor tantum esse. Ratio est, quia quatuor sunt tantum relationes in Deo, videlicet Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & passiuua; ergo & quatuor tantum erunt attributa relatiua circa attributa purè logica, seu nostro tantum modo concipiendi essentiam consecuta, aliqua sunt obseruatione digna, idcirco ea, eiusque requisita & conditiones in sectionem sequentem differo librandam.

SECTIO II.

An sint in Deo attributa purè logica seu nostro tantum modo concipiendi.

Ad attribu-
tum purè lo-
gicum ne-
cessaria di-
stinctio tan-
tum nostro
modo con-
cipiendi.

11. Certum mihi est primò, ad attributum purè logicum, exclusa distinctione virtuali, opus esse, vt ab essentia nostro modo intelligendi distinguatur. Ratio est quia attributum, modo quo attributum est alicuius essentia, non est essentia, sed supponens essentiam, quam consequitur; sic perfectio, quæ virtualiter est attributum essentia, virtualiter quoque supponit, & consequitur essentiam, atque adeo virtualiter distinguitur ab illa: ergo attributum purè logicum supponere debet nostro modo
conci

Disp. VI. De attrib. Dei in comm. Sect. II. 237

concipiendi essentiam, quam consequitur; atque adeò & ab illa distingui. Pariter quoque certum videtur ex dictis, attributum purè logicum debere consequi essentiam nostro modo concipiendi, quia modo quo attributum est essentia, debet esse posterius illa.

12. Certum mihi est secundò, attributum purè logicum contingere debere per cognitionem attingentem perfectionem diuinam, vt est in se; nam si attingatur aliter, ac est in se; Chymera potius, quam attributum consurget. His tamen non intenditur, perfectionem attingendam esse in ordine ad omnes terminos, quos respicit, sed ordine ad vnum, vel ad alterum ex his, quos re ipsa connotat. Sicut distinctio nostro modo concipiendi contingit per cognitionem, non quidem attingentem rem aliter ac est in se, sed vt est in se, id est, in ordine ad vnum, vel alterum terminum ex his, quos re ipsa connotat. Et quidem in hac parte eandem esse rationem distinctionis, & posterioritatis purè logicæ, quis dubitet?

13. Verum insuper mihi est tertio, ad prioritatem, & posterioritatem purè logicam, sufficere connotata re ipsa priora, & posteriora. Ratio est, quam fusius expendimus disput. 2. sect. 4. Nam vt duo conceptus purè logicè differant ratione nostra, non opus est, quod de re ipsa intrinsecè, & ex parte obiecti distinguantur, sed satis est connotatorum diuersitas: ergo vt vnus conceptus sit purè logicè posterior, aut prior altero, non opus erit, quod re ipsa intrinsecè, & ex parte obiecti prior sit, aut posterior, sed satis erit prioritas, & posterioritas connotatorum. Qua ratione apprehensiuum prius est iudicatio, sensitiuum appetitio, rationale volitio, & risibili, etiamsi nulla stet inter illa distinctio virtualis.

14. Verum præterea mihi est quartò, dari in Deo perfectiones logicè tantum nostro modo concipiendi distinctas ab essentia, & habentes connotatam posterius connotato essentia. Ratio est, quia essentia nostro modo concipiendi stat in solo intellectu diuino, quatenus connotante intellectu saltem necessariam; Immensitas au-

Attributum purè logicū contingere debet per cognitionē rei vt est in se.

Ad prioritatem, & posterioritatem purè logicā sufficiunt connotata priora, & posteriora.

Dantur in Deo perfectiones logicè distinctæ, priores, & posteriores.

tem connotat spatium, *Æternitas* tempus, ens à se carentiam causæ, quæ omnia connotata posteriora sunt intelligentione necessaria.

Ratio dubitandi circa attributa purè logica. 15. Difficultas ergo est, an hæc omnia sufficiant ad attributum purè logicum. Ratio dubitandi est, quia attributum purè logicum, seu nostro tantum modo concipiendi, est aggregatum indiuisibiliter claudens diuinam perfectionem, & cognitionem creatam attingentem illam in ordine ad connotatum posterius: hoc autem coniunctum non consequitur necessariò essentiam, sed omnino contingenter, cum per accidens omnino sit respectu essentia, quod existat creata cognitio: ergo attributum non erit, cum de ratione istius sit, essentiam consequi, non utcumque, sed omnino necessario, quo attributum distinguitur ab accidente. Maior certa est, nam perfectio diuina ex se, & intrinsecè nec attributum logicum est, neque consequitur essentiam, sed totum id habet à cognitione attingente illam in ordine ad connotatum posterius, sicut esse logicè distinctam habet formaliter à cognitione.

16. Asserto, strictè, & propriè, neganda esse in Deo attributa purè logica, etiam in ordine ad connotata posteriora necessaria; Connotata necessaria voco, non quæ sunt ens necessarium, sed quæ necessariò, & non contingenter connotantur ab essentia, siue ea sint impossibilia, qua ratione ens à se connotat sui causam, reddendo illam impossibilem, & existentia necessaria meram sui possibilitatem, & futuritionem; siue sint possibilis, qua ratione immensitas connotat spatium, & *Æternitas* tempus, vel absolutè, vel saltem sub conditione, quod possibilis sunt. Probatum conclusio quia, ut optimè conuincit ratio dubitandi, attributum purè logicum est aggregatum indiuisibiliter claudens diuinam perfectionem, & nostrum actum attingentem illam in ordine ad connotatum posterius, quod coniunctum non necessario, sed contingenter consequitur essentiam: ergo strictè, & propriè attributum non erit de cuius ratione est, essentiam necessario consequi, non solum partialem, sed integram, & adæquatam,

quam, quod impossibile esse constat satis ex dictis disp. præcedenti sect. 8.

17. Confirmatur, cognitio creata distinguens nostro modo concipiendi vnam perfectionem diuinam ab altera, non potest constituere illam necessario distinctam, sed purè contingenter: ergo neque cognitio reddens vnam perfectionem diuinam posteriorem altera, poterit constituere illam necessario posteriorem, seu necessario consecutam ad illam: ergo nec poterit attributum purè logicum constituere, de cuius ratione est, essentiam consequi necessario. Consequentia probatur, ideò cognitio creata distinguens nostro modo concipiendi vnam perfectionem diuinam ab altera, non potest constituere illam necessario distinctam, sed purè contingenter, quia forma distinguens, scilicet cognitio, omnino per accidens se habet respectu diuinæ perfectionis: forma autem reddens diuinam perfectionem posteriorem altera, scilicet cognitio creata, omnino per accidens se habet respectu perfectionis diuinæ: ergo non poterit constituere illam necessario posteriorem, atque adeo nec attributum.

18. Dices, ad attributum purè logicum, non opus esse quod forma illius, scilicet cognitio, necessario consequatur, nec obest consequi contingenter, sicut vt eadem forma reddat essentiam priorem, non opus est, quod sit prior eadem essentia, nec obstat esse posteriorem illa; sed sufficit cognosci à tali forma in ordine ad connotatum posterius non contingenter, sed necessario connotatum; sicut vt essentia sit logicè prior, sufficit, cognosci in ordine ad connotatum essentiale prius.

19. Contra, quia licet hoc pacto vnus conceptus possit necessario consequi alterum, id non sufficit ad strictum attributum, de cuius ratione est, consequi necessario totam essentiam, & non solum aliquid essentia: perfectio autem cognita in ordine ad connotatum necessarium posterius, est aliquid essentia, etiam nostro modo concipiendi, vt ostensum est disp. præcedenti sect. 8. ergo strictè & propriè attributum non erit, sed largissimè, & valdè impropiè.

Confirmatur
ex distin-
ctione purè
logica, seu
nostro modo
concupiendi

Ad attribu-
tum opus est
adæquatum
essentiam
necessario
consequi.

S E C T I O III.

An essentia diuina includat formaliter attributa, vel includatur in illis.

20. **D**icitur formaliter, quia controuersia non est, de inclusione virtuali, seu eminentiali, qua vna res virtute tantum, & eminenter continere dicitur aliam. *Prima sententia* vtrumque affirmat, & essentiam claudere formaliter attributa, & attributa essentiam. Ita P. Soarius disp. 30. metaphys. sect. 6. & hic lib. 1. cap. 12. P. Molina quæst. 28. art. 2. disp. 4. P. Valencia quæst. 12. punct. 6. P. Arrubal disp. 10. cap. 13. P. Amicus disp. 3. sect. 7. num. 123. P. Granadus 1. part. tom. 1. tract. 2. disp. 7. P. Turrianus 1. par. quæst. 28. disp. 2. dub. vlt. Henricus in summa art. 32. quæst. 4. & alij. *Secunda sententia* negat vtrumque. Ita P. Vasquez 1. part. disp. 119. cap. 2. P. Gillius lib. 2. tract. 2. cap. 7. P. Fasolus hic. P. Ribas tract. 1. disp. 3. & plures tum Thomistæ, tum etiam Scotistæ. *Tertia sententia*, & media inter vtramque, docet, essentiam diuinam includere formaliter attributa, non verò attributa essentiam. Ita Albis tract. 1. disp. 2. sect. 6. P. Martinon disp. 3. sect. 95. num. 9. P. Quiros disp. 18. sect. 1. & alij.

Neque essentia includit formaliter attributa, neque attributa essentiam

21. Asserendum est, neque essentiam metaphysicam Dei includere formaliter attributa, neque attributa essentiam. Probatur primò, vnum includere aliud formaliter, est, continere formaliter illud, & simul aliud mutuo se formaliter excludentia: ergo essentiam includere formaliter attributa, erit continere formaliter attributa, & simul aliud, nempe essentiam, mutuo se formaliter excludentia: ergo essentia, & attributa mutuo se formaliter excludunt, & consequenter neque essentia includet attributa, neque attributa essentiam. Vtraque consequentia

optima

optima est, si antecedens sit verum; ex illis enim iste formatus syllogismus. Omne includens aliquid dicit inclusum, & aliud mutuo se excludentia; essentia autem diuina includit formaliter attributa: ergo dicit formaliter attributa, & aliquid aliud, nempe essentiam, mutuo se excludentia: ergo essentia, & attributa se mutuo non includunt. Tota ergo difficultas est in antecedentis probatione.

22. Quod sic ostendo, nam homo physicè sumptus, ideò dicitur includere animam, quia propter illam continet corpus, quod corpus, & anima physicè mutuo se excludunt; similiter homo metaphysicè sumptus ideo dicitur includere animal, quia præter illud, continet rationale, quod rationale, & animal mutuo se formaliter excludunt, modo scilicet quo distinguuntur inter se; & ratio est, quia distinctio includentis ab incluso est propria totius respectu suæ partis, nam si vna pars includeret partem, iam non esset pars, sed totum, cuius est proprium continere partes; vnde nec includeretur in toto, cum totum non includatur in se ipso; etenim homo non includitur in homine, nec leo in leone: ergo quælibet pars inclusa in toto, debet excludere partem: ergo vnum includere formaliter aliquid, erit continere illud, & simul aliud, mutuo se excludentia, cum vnum & aliud sint partes includentis.

24. Probatur secundo conclusio, si essentia diuina includeret formaliter attributa, & attributa essentiam, fieret, essentiam esse coniunctum ex attributis, & essentia, & attributa esse cõiunctum ex essentia, & attributis; nam includens nihil est aliud quàm coniunctum inclusorum: ergo essentia, & attributa non se mutuo includunt. Probatur consequentia, quia idem neque includit, neque includitur in se ipso; essentia autem, & attributa sunt idem coniunctum ex essentia, & attributis: ergo implicat essentiam, & attributa se mutuo includere, aliter idem coniunctum clauderet se ipsum, quod mente percipi vix potest.

25. Tertiò, essentia nihil potest claudere, quod non sit

Quid opus,
vt vnum in-
cludat aliud.

23.

Ab absurdo
firmatur
conclusio.

Essentia nihil potest claudere, quod non sit essentia.

formaliter essentia, nec attributum potest aliquid includere, quod non sit formaliter attributum: attributa autem non sunt formaliter essentia, neque essentia formaliter attributum, fatentibus aduersariis: ergo neque essentia poterit claudere formaliter attributa, neque attributa essentiam. *Confirmatur primò*, quidquid est formaliter in essentia est de constitutiuo essentiae: attributa autem non sunt formaliter de constitutiuo essentiae: ergo neque continentur formaliter in essentia. Insuper quidquid clauditur in attributo est de constitutiuo illius: essentia autem diuina non est formaliter de constitutiuo attributi: ergo neque includitur formaliter in attributo. *Confirmatur secūdo*, quia attributum non potest continere formaliter, quod formaliter non attributum est: essentia autem formaliter attributum non est: ergo neque potest formaliter in attributis contineri. Quomodo enim attributum poterit esse attributum, & simul etiam quod attributum non est, videlicet essentia, etenim coniunctum ex essentia, & attributis aliquid amplius dicit, quam attributa pura: ergo illud amplius nequit in puro attributo contineri, quia hoc ita est attributum, vt formaliter nihil amplius sit.

Si volitio includeretur in essentia, quoque esset essentia.

26. Quartò, in sententia aduersariorum costa actualis intellectio necessaria est essentia Dei, non verò volitio: ergo volitio non includitur formaliter in intellectu, nec intellectio in volitione. Probatur consequentia, quia si intellectio clauderet formaliter volitionem, cuius est essentia intellectio, essentia quoque erit volitio: ergo non includit illam. Antecedens probatur, quia cuius est essentia includens, est etiam inclusum; sic quia homo est essentia Petri, etiam est inclusum in homine, videlicet animal: ergo si intellectio clauderet formaliter volitionem, volitio inclusa esset essentia Dei, cuius est essentia intellectio. Præterea, quod continetur in attributo est extra essentiam, extra quam est attributum: ergo si intellectio in attributis clauderetur, esset extra essentiam Dei, extra quam sunt attributa: vnde fieret *primò*, intellectio nem esse formaliter essentiam, & non esse; esse, vt supponitur.

Disp. VI. De attrib. Dei in comm. Sect. III. 243

nitur ab aduersariis; Non esse, quia esset formaliter attributum essentia, quod in sententia aduersariorum formaliter non est essentia. *Secundò*, volitionem esse, & non esse attributum, quia intellectio, quæ attributum non esset clauderet volitionem.

27. Confirmatur, nam ex doctrina aduersariorum, Filio ex vi formalis processionis sola communicatur intellectio, & Spiritui sancto volitio: ergo neutra includit aliam. Probatum consequentia, nam si mutuo se includerent, vtraque communicaretur formaliter, tam Filio, quam Spiritui sancto: ergo. Minor probatur, quia illi communicaretur formaliter volitio, cui communicatur formaliter includens volitionem, & illi communicatur formaliter intellectio, cui communicatur formaliter includens intellectionem, inintelligibile enim est, communicari alicui includens, quin communicetur inclusum: Filio autem communicatur formaliter includens volitionem, scilicet intellectio: ergo & communicatur formaliter volitio. Insuper Spiritui sancto communicatur formaliter includens intellectionem, nempe volitio: ergo & communicatur formaliter intellectio.

28. *Quintò*, essentia diuina est radix, & principium attributorum, vt constat ex dictis; non autem esset, si includeret formaliter attributa: ergo non includit. Minor probatur *primò*, quia principium non continet formaliter terminum cuius est principium, sed tantum eminenter: ergo si essentia contineret formaliter attributa, non esset eorum radix, & principium. *Secundò*, quia idem non potest esse connaturale sui principium: si autem essentia, & attributa mutuo se includerent, idem omnino esset essentia, & attributum: ergo neutrum posset esse principium alterius. *Tertiò*, quia attributum consequitur essentiam, est illa posterius, & nulla ratione prius: si autem essentia includeret formaliter attributa, & ista essentiam, attributa essent priora, & posteriora se ipsis; priora quatenus includerentur in intellectione, quæ prior est: posteriora quatenus essent attributa essentiam consecuta. Similiter essen-

Opposita sententia suorum authorum principii contraria.

Essentia diuina titulo radicis attributorum excludit illa.



ria esset prior, & posterior se ipsa; prior quatenus radix attributorum; posterior quatenus inclusa in attributo posteriori.

29. Sextò conceptus iustitiæ, aut omnipotentia, non est conceptus essentia: ergo conceptus essentia est extra conceptum cuiusvis attributi: ergo excluditur ab attributo. Pariter conceptus essentia non est conceptus attributi: ergo conceptus attributi est extra conceptum essentia: ergo excluditur ab essentia.

Responsio
Aduersario-
rum concu-
sa ab absur-
do.

30. Respondent Aduersarij, conceptum explicitum attributorum non esse explicitum essentia, esse tamen implicitum; & idem est de conceptu explicito essentia respectu attributorum. *Contra* tamen *primò*, quia ex ea responsione clarè fit, essentiam, & attributa in conceptu explicito mutuo se excludere, cum conceptus explicitus vnus, sit tantum implicitus alterius: ergo essentia, & attributa in conceptu explicito mutuo se excludent. *Secundò*, quia explicandum restat Aduersariis, quid sit implicitè continere aliud? si enim sit eminenter continere, non est ad præsens institutum; differimus enim de continentia formali; si sit conceptum clarum attributi, esse confusum essentia, ad eum modum, quo conceptus clarus hominis est confusus animalis, falsum omnino est, quia essentia esset de constitutiuo attributi, & attributum de constitutiuo essentia, sicut animal est de constitutiuo hominis, sicut ergo in homine, non obstante implicita continentia illa, animal, eiusque differentia mutuo se excludunt, ita in attributo essentia, & differentia attributi mutuo se excludent.

31. Si autem implicitè continere sit, solo nostro modo concipiendi distingui, non videtur doctrina consona principiis Aduersariorum distinctionem virtualem, & obiectiuam propugnantium, nec inde soluitur argumentum; Nam duo se excludere formaliter ex modo concipiendi, nihil est aliud, quàm conceptum clarum vnus, non esse conceptum clarum alterius, sed conceptum tantum confusum & implicitum; nec ex alio capite mutuo se excludunt.

dunt animal, & rationale in sententia solas præcisiones formales admittente: Conceptus autem clarus essentiae, non est clarus, & explicitus attributorum, sed implicitus tantum, & confusus, & è contra: ergo essentia, & attributa mutuo se excludent nostro modo concipiendi.

32. Septimò, quia ex opposita sententia fieret, totum non esse maius sua parte, contra principium per se notum. Sequela probatur, quia includens respectu inclusi est totum, inclusum verò respectu includentis pars; etenim si inclusum pars non esset, sed integrum totum in quo clauditur, sicut totum non includit se ipsum, ita neque includeret suam partem: includens autem maius non esset ineluso: ergo neque totum maius esset sua parte.

Ex opposita sententia fieri, totum non esse maius sua parte.

33. Minor probatur, quia nihil diceret totum quod non diceret pars: ergo totum non esset maius sua parte. Consequentia clara est, quia ut totum maius esset sua parte deberet dicere aliquid quod non diceret pars. Antecedens probatur, quia totum, nempe essentia, esset coniunctum ex essentia, & attributis; pars verò, nempe attributum, esset coniunctum ex attributis, & essentia: ergo nihil diceret totum, quod non diceret pars.

34. Ex dictis collige primò essentiam diuinam, & attributa mutuo se excludere, eo pacto quo distinguuntur inter se, idem dicendum de essentia respectu relationis. Tum ob rationes præmissas; Tum etiam quia tota essentia, & quidquid in illa formaliter continetur, communicatur omnibus personis incommunicatis relationibus: ergo relationes non includuntur formaliter in essentia, neque è contra.

Essentia, & attributa mutuo se excludunt.

35. Collige secundò, neque vnum attributum aliud includere, quia attributum includens præter inclusum deberet dicere aliud mutuo se excludentia; partes enim totius mutuo se excludunt, quamuis quælibet earum includatur in toto; modo ergo quo vnum attributum distinguitur ab alio, excludit illud.

Et vnum attributum alterum.

36. Obiicies primò, quodlibet attributum est formaliter ens à se: ens autem à se est formaliter essentia: ergo &

246 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

quodlibet attributum erit formaliter, essentia. *Respondeo*, quodlibet attributum esse ens tantum realiter à se, non verò virtualiter quod proprium est essentia, vt autè attributum includeret essentiam deberet esse ens virtualiter à se. Ad- do ex communi sententia attributa, & essentiam esse quidem ens virtualiter à se, sed non idem ens formaliter, sed diuersum, quod non sufficit ad mutuam inclusionem; etenim licet animal, & rationale sint formaliter ens, quia tamen non sunt formaliter idem ens, sed diuersum, neque se formaliter includunt.

Bernardus
obicitur, &
explicatus.

37. Objicies secundò; argumentum, quo vsus est Bernardus contra Gilbertum serm. 80. in Cant. si iustitia, & essentia diuina se mutuo non includunt essentialiter; quæro, an iustitia sit æqualis essentia, vel maior, aut minor? maior esse non potest, quia nihil maius Deo, nec minor, quia iustitia diuina non est aliquid creatum; si autem est æqualis, includit necessariò omnes perfectiones essentialis Deo: ergo essentiam. *Respondeo*, mentem Bernardi alienam esse à nostra controuersia, assumptum enim erat stabilire identitatem realem inter essentiam, & attributa contra Gilbertum; vnde nomine inclusionis solam identitatem realem intelligebat, de quo non differimus, aliter ex inæqualitate formali iustitiæ, cum essentia non inferret optimè fore iustitiam creaturam. Sermo ergo erat de æqualitate reali iustitiæ cum essentia per mutuam earum identitatem realem.

Quo pacto
essentia sit
simpliciter
infinita in
omni gene-
re.

38. Objicies tertio; ex nostra sententia fieri essentiam Dei non esse simpliciter infinite perfectam in omni genere, cum non includat perfectiones attributorum: ergo vt sit perfecta in omni genere, includere debet attributa. *Respondeo*, essentiam diuinam tantum esse infinitam formaliter in suo genere, & eminenter in omni, quia eminenter tantum, & non formaliter continet attributa, quod autem aliqui obijciunt, admittendam fore in Deo compositionem, contra simplicitatem diuinam; non est momenti; nam diuinæ simplicitati sola repugnat compositio realis formalis, non autem virtualis, aut per rationem.

SECTIO

S E C T I O I V.

Quo pacto essentia metaphysica Dei contineat attributa virtualiter ab ipsa distincta.

39. **P**rima sententia tenet, essentiam diuinam continere attributa per modum principij, tam actiui, quam passiuui, producentis scilicet, & recipientis attributa, iuxta modum distinctionis illorum ab essentia. Ita S. Bonauentura in 1. dist. 5. quaest. 1. Durandus ibidem quaest. 2. *Secunda Sententia* tuetur, essentiam diuinam esse quidem principium actiuum attributorum, non vero passiuum. Ita plures Recentiores. *Tertia sententia*, vtrumque negat essentiae, & rationem principij actiui, & passiuui attributorum, etiam admissa, vel permissa distinctione virtuali eorum ab essentia. Ita P. Herice disp. 12. cap. 1. P. Hemelmon disp. 1. cap. 13. existimantes, essentiam, & attributa tantum se habere, tanquam perfectiones primarias, & secundarias. P. Ribadeneyra de voluntate disp. 3. censens, impossibilem esse productionem virtualem in Deo, etiam supposita virtuali distinctione. Alos in suis selectis disp. 1. cap. 1. docens, essentiam respectu attributorum esse subiectum purae informationis, ad eum modum, quo materia informatur anima rationali, absque vlla actione, & passione. Aliqui tandem Recentiores intendunt, attributa esse puros terminos respectu essentiae, sicut verbum respectu humanitatis Christi.

40. **A**ffero, essentiam Dei metaphysicam continere eminenter attributa per modum principij physice virtualiter, seu aequiuvalenter productiui. Dicitur virtualiter, seu aequiuvalenter, quia sicut distinctio virtualis non est formaliter distinctio, sed virtute tantum, & aequiuvalenter ad distinctionem realem formalem, componendo cum identitate reali formali praedicata contradictoria il-

Placita Doctorum,
S. Bonauent.
Durandus.
P. Herice.
P. Hemelmon.
P. Ribadeneyra.
Alos.

Essentia diuina continet eminenter attributa instar principij productiui virtualis.

lius

lius, ita principium virtuale productiuum non est formaliter principium, sed virtute tantum, & æquiuvalenter ad principium realiter formaliter productiuum, componendo cum identitate reali formali prædicata contradictoria illius, scilicet essentiam esse priorem à quo, & rationem cur existant attributa, non verò è contra.

Productio
virtualis ni-
hil implicat
in Deo.

41. Moueor primò, quia hoc nostro asserto planè percipitur, qua ratione essentia sit prior, & radix attributorum, & quo pacto ista consequantur essentiam; quod in aliis sententiis duriusculè innotescit. Aliunde productio virtualis attributorum ab essentia nihil implicat: ergo. Minor ostenditur, si productio virtualis attributorum ab essentia implicaret, maximè, quia componere deberet extensionem numeri positione alterius vnitatis simpliciter diuersæ: id falsum est: ergo. Maior est vnicum fundamentum P. Ribadeneyræ solutum à nobis tract. de voluntate disp. 1. sect. 5. Minor verò ex ibidem dictis probatur, quia etiamsi per distinctionem realem formalem inducatur extensio numeri positione alterius vnitatis simpliciter diuersæ, non minus quàm per productionem realem formalem; tamen distinctio virtualis eam muneris extensionem componere non debet, sed prædicata contradictoria in extensione numeri fundata: ergo idem erit de principio virtuali.

Firmatur ex
influxu mo-
rali virtuali.

42. Confirmatur ad hominem contra P. Ribadeneyram, concedentem intellectioni moralem influxum virtualem in volitionem. Etenim in creaturis non minus arguitur extensio numeri additione alterius vnitatis simpliciter diuersæ per influxum moralem, quàm per physicum: & tamen in Deo influxus moralis virtualis eam numeri extensionem non arguit: ergo neque influxus physicus virtualis arguet. Maior est certa, nam in creatis sicut idem non potest producere seipsum physicè, ita nec potest moraliter, vnde influxus cognitionis in amorem, nec stat, nec stare potest absque distinctione reali inter vtrumque, etiamsi moralis tantum sit.

43. Moueor secundò, quia essentia diuina habet omnia

nia requisita ad perfectam rationem principij virtualiter productiui attributorum : ergo continebit illa per modum principij productiui. Antecedens probatur, nam ad rationem principij virtualiter productiui alicuius termini duo sufficiunt, vltra distinctionem virtuales inter vtrumque, videlicet prioritas vnius, & posterioritas alterius, id est vnum esse rationem à priori existentiae alterius; insuper conceptum priorem non continere formaliter posteriorem : id autem totum habet essentia respectu attributorum : ergo. Maior patebit expendenti singula principia productiua. Minor verò probatur, nam in primis essentia non continet formaliter attributa virtualiter ab ipsa distincta, aliter non iam attributa distincta forent, sed ipsa essentia. Deinde essentia est ratio à priori cur existant attributa, nam essentia est propter se, attributa verò propter essentiam praesuppositam ab ipsis existentem; aliter essentia nullam haberet prioritatem respectu attributorum.

Essentia diuina habet omnia requisita ad rationem principij virtualiter productiui.

44. Dices essentiam esse quidem priorem attributis, non tamen per modum principij productiui, sed tantum per modum purae conditionis praerequisitae ad attributorum existentiam; sicut in creatis applicatio causae prior est effectu, & mera conditio ad istius existentiam.

45. Contra *primò*, nam quoties aliqua perfectio, vt existat, praesupponit, & praerequitur aliquam conditionem, etiam vna cum illa praerequitur, & exigit virtutem productiuam, vt patet in creatis, vbi nulla est pura conditio praeditio praerequisita ad existentiam alicuius, absque aliqua virtute productiua illius; quod si nulla esset virtus productiua distincta, neque vlla esset pura conditio, sed idem quod esset conditio, simul etiam esset virtus productiua: in Deo autem extra essentiam, nulla est virtus productiua attributorum : ergo essentia mera conditio non erit, sed virtus productiua attributorum. *Secundò*, quia melius est essentiae antecedere attributa per modum principij virtualiter productiui, quam per modum purae conditionis: aliunde autem id non implicare, constabit ex obiectionum solutione : ergo.

Essentia diuina non est pura conditio ad existentiam attributorum.

Obiectio
sumpta à
Personis
virtualibus
soluenda ab
aduersariis.

46. Obiicies primò, si attributa virtualiter producerentur ab essentia, fieret, dari in Deo tot personas virtualiter, quot essent attributa virtualiter producta, id autem absurdum est: ergo. Sequela probatur, nam in Deo id quod realiter producitur est personalitas realis, & constituit personam realem: ergo quidquid virtualiter producitur erit personalitas virtualis, & constituet personam virtualem, hoc argumentum in aduersarios conuerti posset, admittentes distinctionem virtualem, & productionem negantes. Nam quæ in diuinis realiter distinguuntur, necessariò vnum debet esse producens realiter, & alterum realiter productum; ergo quæ virtualiter distinguuntur, necessariò vnum debet esse virtualiter producens, & aliud productum, atque adeo essentia, vt potè virtualiter ab attributis distincta principium esset productiuum eorum.

Gemina ar-
gumenti
solutio.

47. Respondeo ergo, negans sequelam, & probationis consequentiam. Disparitas est *prima*, quia de ratione personalitatis vt sic, est omnimoda incommunicabilitas pluribus distinctis, vnde dicitur rationalis naturæ indiuidua substantia; inde nec subsistentia absoluta, nec relatio spiratoris possunt esse personalitas: Prædicata autem absoluta, quantumuis virtualiter producta communia sunt pluribus distinctis, atque adeo personalitas esse non possunt adhuc virtualis. *Secunda*, quia ad personam diuinam duo requiruntur, scilicet productio termini, & communicatio naturæ correspondens productioni; communicatio inquam, seu identitas realis, si productio sit realis, & virtualis, si virtualis, vt patet in omni processione personali; perfectioni autem absolutè, & virtualiter productæ, correspondere non potest communicatio, seu identitas virtualis naturæ, cum stet distinctio virtualis inter vtramque, vnde nec persona virtualis consurgere valet; sicut consistere non posset persona realis, si stante productione reali non staret realis naturæ communicatio, seu identitas.

Necessitas
productio-
nis virtualis
in Deo.

48. Obiicies secundò, productio virtualis admittenda in Deo non est absque vrgentissimo fundamento, sicut nec distinctio: huiusmodi autem fundamentum non apparet

paret in productione virtuali attributorum ab essentia: ergo. *Respondeo*, negans minorem. Nam de ratione attributi virtualiter ab essentia distincti, intrinsecè ex parte obiecti talis, est, consequi essentiam virtualiter; hæc autem consecutio consistere non potest, præsupposita essentia tanquam pura conditione, vt in secunda probatione ostensum est, vnde necessario tanquam principium virtuale præsupponenda est. Hæc ratio vniuersalis est pro omnibus attributis, etiam illis, quæ operatio vitalis non sunt; nam de intellectione necessaria, quæ operatio est vitalis essentiæ, specialem dedimus rationem disp. 4. sect. 3. agentes de distinctione actûs primi intelligendi ab actu secundo.

49. Obiicies tertio, si essentia diuina esset principium virtuale productiuum attributorum, & relationum, fieret, Filium esse principium virtuale Paternitatis, & Spiritum sanctum Filiationis: id falsum est: ergo. Sequela probatur, quia natura diuina est principium Paternitatis, Filius est natura diuina: ergo & principium virtuale Paternitatis. Insuper natura diuina est principium virtuale Filiationis: Spiritus sanctus est natura diuina: ergo & principium virtuale Filiationis. Imò quælibet persona esset principium virtuale cuiusuis relationis, tam propriæ; quam alienæ, cum quælibet persona sit natura diuina, & hæc principium virtuale omnium relationum. *Confirmatur*, ideò tres diuinæ Personæ sunt Deus, quia Deitas est illis omnibus communis: ratio autem principij Paternitatis, Filiationis, &c. est similiter omnibus communis, cum sit ipsamet natura: ergo omnes personæ erunt principium virtuale Paternitatis, Filiationis, &c.

50. Hoc argumentum vrget etiam tenentes, essentiam diuinam esse conditionem ad existentiam attributorum, & relationum prærequisitam. Nam quælibet persona est essentia diuina: essentia diuina est conditio prærequisita ad existentiam cuiusuis relationis, tam propriæ, quam alienæ: ergo & quælibet persona con-

Obiectio,
Filius futurum principium virtuale Paternitatis, & Spiritum sanctum Filiationis.

Quos vrgeat præcedens obiectio.

ditio erit; atque adeò Filius conditio erit prærequisita ad existentiam Paternitatis, & Spiritus sanctus ad existentiam Filij. Imò quælibet persona esset conditio prærequisita ad existentiam cuiusvis relationis, tam propriæ, quam alienæ; cum quælibet persona sit natura diuina, & hæc conditio prærequisita ad existentiam omnium relationum. Similiter applicari potest argumenti confirmatio. Vrget etiam admittentes distinctionem virtuales essentia à relationibus: nam essentia est virtualiter distincta à Paternitate: Filius est essentia: ergo & virtualiter distinctus à Paternitate, quod falsum est. Vrget denique omnes, nam essentia est Pater: Filius est essentia: ergo Filius est Pater. Insuper essentia est communis. Filius est essentia: ergo & communis.

Obiectioni
præeunti
satisfit.

51. Respondeo igitur negans sequelam. Ad probationem concessis præmissis, neganda est consequentia, quæ non tenet in mysterio Trinitatis. Ratio est, quia licet in Filio, & Spiritu sancto sit principium virtuale Paternitatis, imò etiam in ipso Patre, cum in omnibus sit natura diuina, in qua stat formaliter tale principium; non tamen eos denominat, nec denominare potest principium, eo quod huiusmodi denominationis incapaces sint; sunt autem incapaces denominationis principij virtualis Paternitatis, quia sunt realiter posteriores à quo ipsa Paternitate, & nihil realiter posterius altero priori potest fortiri denominationem principij virtualis illius, cum nec possit esse virtualiter prius. Similiter & Pater incapax est eiusdem denominationis principij Paternitatis, quia prior esse non potest ipsa Paternitate. Vnde patet ad confirmationem, quod enim quælibet persona denominetur Deus, id prouenit, quia omnes capaces sunt talis denominationis, ad quam sola exigitur personalitas coniuncta diuinitati, quæ in omnibus reperitur. Alia, quæ obiici possent contra productionem virtuale, in soluta iam sunt disp. 4. sect. 3.

SECTIO V.

*An essentia diuina sit immediatum principium
virtualiter productiuum omnium
attributorum.*

52. Sermo est de attributis virtualiter ab essentia distinctis, nam productio virtualis inter sola extrema virtualiter distincta consistere potest, sicut productio realis inter sola extrema realiter distincta. Attributa ergo diuina virtualiter ab essentia distincta; alia sunt relatiua, scilicet, Paternitas, Filiatio, & Spiratio, tam actiua, quam passiuua; alia absoluta, videlicet, intellectio necessaria, voluntas, volitio necessaria, & omnipotentia, vt dictum est sect. 10. Difficultas ergo est, an essentia diuina sit immediatum principium virtualiter productiuum omnium attributorum, vel mediatum tantum, saltem respectu alicuius.

53. Assero primò, essentiam diuinam esse immediatum principium virtualiter productiuum intellectiois necessariae. Hæc assertio ex nostris principiis facilis est. Nam integra, & adæquata essentia metaphysica, tota posita est in actu primo, seu capacitate intelligendi, quod idem est, ac intellectiuum, seu intellectus diuinus: intellectus autem immediatum est intellectiois principium: ergo & essentia diuina talis erit. *Confirmatur*, nam intellectus creatus distinctus realiter ab intellectioe creata est realiter formaliter principium immediatè productiuum illius, cum nulla stet inter intellectum, & intellectioem creatam potentia media: ergo intellectus diuinus distinctus virtualiter ab intellectioe necessaria, erit principium virtualiter immediatè productiuum illius.

54. Assero secundò, essentiam diuinam esse immediatum principium virtualiter productiuum voluntatis diuinae.

Essentia diuina est immediatum principium virtualiter productiuum intellectiois necessariae.

Etiã est principium voluntatis diuinae.

na. Ratio est quia, inter essentiam, & voluntatem diuinam nulla mediat potentia, quæ possit esse immediata radix, & principium voluntatis: ergo essentia est immediatum principium virtualiter diuinæ voluntatis productiuum. Antecedens probatur, nam si inter essentiam, & voluntatem diuinam aliqua esset potentia media, vel illa esset de genere intellectiuo, & sic esset essentia, vel de genere volitiuo, & sic esset voluntas: ergo inter essentiam, & voluntatem diuinam, nulla mediat potentia, quæ possit esse proxima, & immediata radix, & principium virtualiter productiuum voluntatis. Idem quod de voluntate, dicendum est de omnipotentia; nam hæc, vt ex dicendis constabit, indistincta virtualiter est, à voluntate, atque adeò essentia vtriusque erit immediatum principium virtualiter productiuum.

Pariter etiã
volitionis
necessariæ.

55. Affero tertio, essentiam diuinam, esse etiã principium immediatum virtualiter productiuum volitionis necessariæ. Ratio est, quia licet essentia non sit virtualiter voluntas, neque proximè, & immediatè volens per volitionem, vt dictum est disp. 4. sect. 4. tamen ad maiorem illius perfectionem spectat, esse vna cum voluntate diuina, immediatum principium volitionis; sicut ad maiorem Dei perfectionem pertinet concurrere immediatè ad omnes creaturarum effectus, & non mediatè tantum solas creaturas, earumque potentias immediatè producendo, vt communior tenet Philosophia, & Theologia: ergo essentia principium erit proximè, & immediatè virtualiter productiuum volitionis necessariæ. Idemque de volitione libera ob eandem rationem dicendum.

56. Objicies, principium immediatum est illud, inter quod, & terminum productum nullum mediat aliud principium: inter essentiam verò, & volitionem necessariam mediat voluntas: ergo essentia non erit principium immediatum volitionis. *Confirmatur*, idem non potest esse principium immediatum, & mediatum eiusdem termini, nam principium immediatū excludit mediatum; essentia autem diuina est principium mediatum volitionis

nis

nis necessariae, cum sit principium immediatum principij volitionis, nempe voluntatis: ergo non erit principium immediatum volitionis necessariae, sed tantum mediatum.

57. Respondeo negans argumenti, confirmationisque maiorem. Nam principium immediatum solum excludit medium, quando mediatum simul non est. Vt patet tum in Deo mediatè simul, & immediatè actione creaturarum producente; mediatè, quia producit causam immediatam earum operationum, nempe creaturam; immediatè, quia non sola creatura, sed etiam eius actio ratione sui est à Deo simul & creatura. Tum etiam in cognitione directa simul, seu immediata, & indirecta, seu mediata eiusdem obiecti, quæ non excludit medium, id enim sicut proprium est solius cognitionis purè immediatæ, ita & principij purè immediati, qualis non est essentia respectu volitionis necessariae, cum sit mixta ex principio mediato simul, & immediato.

Quando, & quomodo principium immediatum excludat mediatum & è contra.

58. Affero quartò, essentiam diuinam esse principium immediatum virtualiter productiuum omnium relationum, scilicet, Paternitatis, Filiationis, & Spirationis tam actiuæ, quam passiuæ. Huius asserti ratio exhibita iam à nobis est asserto præcedenti. Nam fecunditas immediata in omnes relationes melior est essentiae diuinæ, quam sola mediata: ergo concedenda est essentiae respectu attributorum omnium, & relationum ratio principij virtualiter immediatè productiuui, etiam respectu eorum, quæ non à sola essentia, sed etiam ab alia perfectione diuina immediatè producuntur.


Essentia diuina est principium immediatū omnium relationum.



DISPUTATIO VII.

*De distributione attributorum ab essentia
& inter se.*


Distinctio
attributorum
ab essentia
quoruplex.

1.  Riplex est distinctio, qua attributa inter se, & ab essentia distingui possent. *Prima* est distinctio ex natura rei. *Secunda* est distinctio virtualis. *Tertia* est distinctio rationis, seu nostro modo concipiendi. Quia tamen circa eas omnes distinctiones non vna est doctorum omnium mens, nec sensus vnus, operæ præmium erit aliquid vniuscuiusque prælibare, vt hæc satis implicata controuersia radicitus à fundamentis dissoluatur, & regula generalis, quantum fieri possit, pro diuinis omnibus perfectionibus adinuicem secernendis præfigatur.

S E C T I O I.

An attributa distinguantur ab essentia, & inter se formaliter ex natura rei.

Quidditas
distinctionis
formalis ex
natura rei.

2.  Vius distinctionis patrocinium pro viribus suscepit Scotus in 1. dist. 8. quæst. 3. quamuis de mente illius ambigant nonnulli. Subtilissimum Magistrum

strum tota seraphica familia subsequuta est. Distinctionem formalem ex natura rei vocat distinctionem quandam inter realem absolutam, quam nos vocamus materialem, & inter distinctionem rationis, seu à nostri intellectus consideratione pendentem, per quam vna perfectio actu, & formaliter seorsim à nostris conceptibus non est alia. Itaque distinctio formalis ex natura rei tota se tenet ex parte obiecti, nec à nostra consideratione dependet, sed ante illam ab intrinsecis prædicatis distinguuntur formaliter extrema, vnde dicta est ex natura rei huiusmodi distinctio. In quo autem consistat, id hæcenus vberiore desiderat applicationem. Aliqui docent eos conceptus distingui formaliter ex natura rei, qui distinctas habet formalitates, & distinctiones: alij verò exigunt conceptus, quorum vnus sit ratio conueniendi, alter verò disconueniendi.

3. Hanc sententiam multis tentant iuniores impetere, quæ mihi efficacia non sunt. Arguunt *primò*, ex Concilio Florentino, ita loquente: *Porro autem, ne diuinitatem coniunctionemque diuina substantia distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur, &c.* Ex quo Florentini testimonio Recentiores illis fidentes satis, ita argumentantur. *Attributa, & essentia sola ratione distinguuntur: sed distinctio realis formalis ex natura rei, non est distinctio rationis, sed omnino independens à nostri intellectus consideratione: ergo attributa, & essentia non distinguuntur realiter formaliter ex natura rei.*

4. Hæc tamen ratio facilè contra distinctionem virtualem conuerti potest, quippe à pia nostri intellectus meditatione omnino independentem: etenim non communicari Paternitatem, & communicari essentiam, nullatenus pendet à nostra consideratione, in quo consistit distinctio virtualis; ergo cum attributa, & essentia sola ratione ex Florentino distinguantur, nullatenus virtualiter distingui poterunt, sicut nec possunt formaliter ex natura rei distingui: sicut ergo arguentes, suam distinctionem virtua-

Primum recentiorum argumentū contra illam ex Florentino.

Præcedens argumentū distinctionē virtualem expugnat.

lem cum Florentino componunt, explicantes illud de distinctione materiali: cur non poterunt componere Scotistæ cum distinctione ex natura rei explicantes idem Concilium de distinctione reali absoluta, siue materiali.

Secundum
Recentiorum
argumentum.

5. Arguunt secundò ratione. Distinctio realis vt sic opponitur identitati reali vt sic: ergo impossibile est, vt eadem entitati conueniant distinctio, & identitas respectu eiusdem. Antecedens patet, nam tunc aliqua opponuntur, quando vnum inducit alterius negationem: sed identitas realis vt sic, inducit negationem distinctionis realis vt sic; ergo identitas realis vt sic, & distinctio realis vt sic opponuntur. Minor probatur, quia idētitas realis vt sic opponitur contradictoriè non identitati, sed non identitas est distinctio: ergo identitas realis vt sic, essentialiter dicit, vel inducit non distinctionem, & consequenter carentiam distinctionis: at attributa, & essentia dicunt identitatem realem inter se: ergo dicere non possunt distinctionem realem formalem ex natura rei.

Identitas
realis vt sic,
sicut non
opponitur
distinctioni
virtuali, ita
neque for-
mali ex na-
tura rei.

6. Non est momenti incurfio ista, eamque facillimè eludent Scotistæ: Etenim identitas realis materialis, siue absoluta, soli opponitur distinctioni reali materiali, siue absolutæ; non autem formali ex natura rei, quæ distinctio minor est, quam realis absoluta: sicut identitas materialis non opponitur distinctioni reali virtuali, in sententia argumentantium; sed soli distinctioni reali materiali, sicut ergo optimè componuntur identitas realis materialis, & distinctio realis virtualis; ita, inquiunt Scotistæ, optimè coherent identitas realis absoluta, & distinctio realis formalis ex natura rei.

Efficacior
Recentiorum
instantia.

7. Instant Recentiores efficaciter, vt ipsi aiunt, contēdentes identitatem realem absolutā etiam opponi distinctioni reali formali ex natura rei. Identitas realis vt sic, præcisa ab identitate reali formali ex natura rei, & ab identitate absoluta, opponitur distinctioni reali vt sic præcise à distinctione reali formali ex natura rei, & distinctione reali absoluta: ergo identitas realis vt sic, opponitur etiam distinctioni

Disp. VII. De dist. attr. ab essentia. Sect. I. 259

distinctioni reali formali ex natura rei: ergo identitas realis absoluta opponitur distinctioni reali formali ex natura rei. Antecedens clarum est, quia identitas & distinctio sunt termini inter se oppositi, sicut esse, & non esse.

8. Prima consequentia, scilicet, identitatem realem ut sic opponi distinctioni ex natura rei; probatur. Distinctio ex natura rei participat rationem distinctionis, realis ut sic: ergo identitas realis ut sic quæ opponitur distinctioni reali ut sic, opponitur distinctioni ex natura rei, quæ rationem communem distinctionis participat. Antecedens probatur, nam ratio communis distinctionis realis præscindit à distinctione reali ex natura rei, & reali absoluta; sicut animal ab homine, & leone; ergo sicut homo, & leo participant rationem animalis, sic distinctio ex natura rei, & realis absoluta participant rationem distinctionis realis præcisæ. Prima consequentia probatur, quia quod opponitur alicui prædicato alicuius constituti, opponitur etiam ipsi constituto, sic ratio accidentis opponitur homini ratione prædicati communis substantiæ, quod est de constitutivo ipsius hominis; sed identitas realis ut sic opponitur distinctioni reali ut sic, quæ est prædicatum essenziale distinctionis realis formalis ex natura rei; ergo identitas realis ut sic opponitur distinctioni reali ex natura rei.

9. Secunda consequentia primi entymematis, scilicet identitas realis absoluta opponitur distinctioni reali formali ex natura rei, probatur. Quando duo prædicata communia dicunt inter se oppositionem, etiam inferiora includentia talia prædicata dicunt inter se oppositionem: ergo si identitas realis ut sic, & distinctio realis ut sic, dicunt inter se oppositionem, etiam identitas realis absoluta, & distinctio realis formalis ex natura rei, quæ sunt inferiora includentia rationes identitatis, & distinctionis, dicunt inter se oppositionem. Antecedens probatur, quia ex eo quod accidens, & substantia, dicant inter se oppositionem, rectè infertur, quantitatem & leonem, quæ sunt inferiora includentia rationes substantiæ & accidentis, dicere inter se oppositionem: ergo ex eo quod

identitas realis vt sic, & distinctio realis vt sic dicant inter se oppositionem, rectè sequetur, identitatem realem absolutam, & distinctionem ex natura rei dicere inter se oppositionem.

Instantia*
præcedens
vel inefficax
est, vel di-
stinctionem
virtualem
evertit.

10. Hæc autem ratio, vel prorsus inefficax est, vel penitus distinctionem realem virtualem evertit. Nam identitas realis vt sic, præcisa ab identitate reali materiali, & identitate reali virtuali, opponitur distinctioni reali vt sic, præcise à distinctione reali materiali, & distinctione reali virtuali: ergo identitas realis vt sic præcisa, opponitur distinctioni reali virtuali: ergo identitas realis materialis opponitur distinctioni reali virtuali. Antecedens clarum est, nam identitas, & distinctio sunt termini per se oppositi, sicut esse, & non esse. Prima, & secunda consequentia eisdem arguentium probationibus, euidenter conuincuntur, vt cuiuis expendere facillimum erit: ergo arguentium labor, vel inanis est contra Scotistas, vel ipsorum distinctionem virtualem penitus evertit.

11. Sicut ergo arguentes velint, nolint, fateri tenentur identitatē à reali materiali & reali virtuali præscindentem nõ opponi distinctione præscidenti à materiali, & virtuali, quia impossibilis est cum distinctione virtuali, rationem distinctionis, vt sic contrahenti; ita facilè Scoticæ respondebunt, identitatem realem, ab identitate absoluta, & ex natura rei præscindentem, non opponi distinctioni præscidenti, à distinctione absoluta, & ex natura rei, quia compossibilis est cum distinctione ex natura rei, rationem distinctionis vt sic contrahente. Et sicut arguentes fateri tenentur identitatem illam realem præcisam, soli opponi distinctioni reali materiali, ita docent Scotistæ soli opponi distinctioni absolutæ.

Tertium re-
centiorum
argumentū.

12. Arguunt tertio, attributa, & natura diuina sunt idem realiter: ergo nulla intercedit distinctio realis inter ipsas, adhuc ex natura rei. Antecedens est de fide. Consequentia probatur, quia vel sunt idem realiter absolutè, vel realiter omnimodè: si secundum: ergo sunt idem realiter formaliter ex natura rei. Si primum, ita instant; identitas
absoluta

Disp. VII. De dist. attr. ab essentia. Sect. I. 261

absoluta per vos est inter entitatem, & entitatem: vel ergo attributa sunt entitates, vel non? si primum, ergo distinctio, quæ intercedit inter ipsas est realis absoluta contra fidem. Si secundum: ergo non sunt idem realiter absolute: ergo erunt idem realiter formaliter ex natura rei.

13. Pariter ratio ista contra distinctionem virtualem conuerti potest. Deinde respondent Scotistæ attributa respectu essentia non esse entitates, sed formaliter, sicut nos dicimus esse virtualitates. Nec capio, qua forma syllogistica, ex eo quod attributa, entitates non sint, inferatur non esse idem realiter absolute cum essentia, cum sequatur oppositum, nam ex contextu argumenti ad distinctionem realem absolutam duorum, opus est, utramque entitatem esse, cum distinctio realis absoluta sit inter entitatem & entitatem: ergo ex eo quod attributa, entitates non sint, non sequitur distinctas esse realiter absolute ab essentia. Nec secunda, & vltima consequentia ex præcedenti sequitur, nam ex eo quod attributa, & essentia non sint idem realiter absolute, non sequitur esse idem formaliter ex natura rei; implicat enim, quæ realiter absolute distincta sint esse idem formaliter ex natura rei. His ergo omissis,

14. Afferendum est cum communi Thomistarum & Iesuuitarum essentia, nullam esse possibilem distinctionem formalem ex natura rei, nisi coincidat cum virtuale. Quo casu vocibus tantum Scotistæ à communi sententia discrepant, quas non probamus; nam distinctio virtualis non est formaliter distinctio, sed virtute tantum, & æquiualeenter ad distinctionem realem, ut constabit infra: ergo dicenda non est distinctio formalis ex natura rei. Probatum ergo conclusio diruto Scotistarum fundamento. Nam similitudo, & dissimilitudo, possunt eidem indiuisibili conceptui conuenire: ergo ex illis nulla inferri valet distinctio formalis ex natura rei. Antecedens probatur nam eadem rationalitas est dissimilis rugibilitati, cum sit illi opposita, & similis, cum utraque sit differentia determinans genus, & constituens speciem. Insuper vnum attributum est simile alteri, cum vtrumque attributum sit eiusdem

Præcedens ratio pariter contra distinctionem virtualem conuersa.

Nulla est possibilis distinctio formalis ex natura rei à virtuali distincta.

essentiæ; & dissimile cum differentia vnius dissimilis sit differentiæ alterius, idemque est de differentiis vltimis quarumcunque formalitatum, cum omnes in ratione differentiæ conueniant, & disconueniant. Et quamuis similitudo, & dissimilitudo distinctionem intrinsecam exigent, eam formalem esse, & virtuali maiorem, nullo fundamento probatur: ergo.

15. Dices, similitudinem esse identitatem, dissimilitudinem verò distinctionem inducentem negationem identitatis; atque ad eò non posse eidem conceptui conuenire.

Quid similitudo, & quid dissimilitudo.

16. Contra, nam si similitudo esset identitas, imago Cæsaris nulla ratione esset realiter illi similis, cum nulla ratione sit idem realiter cum Cæsare, idemque esset de Petro respectu Pauli. Præterea si dissimilitudo esset distinctio, omnia indiuidua eiusdem speciei essent realiter omnino dissimilia, cum sint omnino realiter distincta. Ad similitudinem ergo necessaria non est identitas, sed satis est, vt vna res sit instar alterius, id est vt vna habeat prædicatū, in quo quantumuis distinctio, conueniat cum alia, imò si distinctum non esset, neq; foret similitudo, nam idem non est sibi simile. Quod optimè declarat similitudo illa imaginis cum representato, quæ licet accidentalis sit, exigit distinctionē inter extrema accidentalia: ergo & essentialis inter essentialia; distinctio enim vtrique similitudini communis est, solumque distinguuntur, quia extrema vnius accidentalia sunt, alterius verò essentialia.

Aliud Scotistarum fundamentum ditutum.

17. Aliud verò fundamentum de formalitatibus, & definitionibus distinctis, minus placet, nam vel sermo est de formalitatibus, & definitionibus obiectiuis ratione nostra distinctis; & sic sola probatur distinctio rationis, vel de formalitatibus, & definitionibus obiectiuis virtualiter distinctis; & sic sola stat distinctio virtualis; vel de formalitatibus, & definitionibus obiectiuis distinctis formaliter ex natura rei; & sic assumptum manet in explicatū. Inquirenti enim, quid sit distingui formaliter ex natura rei; respondere, esse, continere formalitates, & definitiones obiectiuas distinctas formaliter ex natura rei, est tradere idē, per idem. Si verò Scotistæ

rictæ

tistæ ad prædicata contradictoria confugiant, hæc est distinctio virtualis tantum, & non formalis; per æquivalentiam ad distinctionem realem, illius effectus componendo, quo substantia præsentis controuersia tota cessat, & sola manet vocû dissensio, in qua diutius immorandû non est.

S E C T I O II.

In quo consistat distinctio virtualis. Aliorum placita.

18 **P**rima sententia est Caietani, & aliorum asserentium apud Ægidium lib. 5. quæst. 6. art. 7. illos conceptus obiectiuos esse virtualiter inter se distinctos qui diuersos conceptus formales generare possunt. Hæc tamen opinio, absque vberiori explicatione, punctum difficultatis non soluit. Inquirimus enim, quid habere debeant obiecta ad distinctos illos conceptus generandos, vnde deprehendatur, quamnam possint, & quamnam non, eos distinctos conceptus generare: ratio ergo generandi conceptus illos desideratur explicanda. Hinc expungendi sunt, si qui doceant, distinctionem virtualem consistere in perfectionibus fundantibus carentiam identitatis virtualis absque vteriori declaratione rationis fundandi, in qua indaganda tota præsens occupatur controuersia. Verissimum enim supponitur ab omnibus, distingui virtualiter ea, quæ inferunt carentiam identitatis virtualis inter se, vnde tamen inferant hæc præsens est vincenda difficultas.

Sententia Caietani, Ægidij, & aliorum depulsa.

19. Secunda sententia est quorundam Recentiorum constituentium distinctionem virtualem in principiis affectuum realiter distinctorum; sic animal & rationale virtualiter distinguuntur, quia animal est principium sentiendi, rationale discurrendi, qui effectus realiter distinguuntur. Similiter omnipotentiam diuinam in tot virtualitates diuidunt, quot sunt effectus creati realiter inter se distincti, realiterque procedentes ab illa.

Secunda recentiorum sententia insufficientis.

20. Displicet hæc opinio. Primò, quia plura distinguuntur virtualiter apud authores suos, quæ principia non sunt effectuum realiter distinctorû. Primò, intellectio diuina necessaria

Plura distinguuntur virtualiter in ea sententia,

cessaria

quæ non
sunt princi-
pium effe-
ctuum di-
stinctorum.

cessaria exprimens volitionem, & volitio diligens intel-
lectionem. *Secundò*, volitio diuina volens Petrum, & co-
gnitio diuina eundem omnino Petrum repræsentans. *Ter-
tiò*, scientia, qua Deus suam cognoscit essentiam, & scientia,
qua sua cognoscit attributa. *Quartò*, scientia visionis
Petri, & scientia visionis Pauli, qua nulla ratione sunt
principium Petri, neque Pauli, *Quintò*, scientia possibili-
um, & futurorum, quæ ex parte obiecti nullatenus di-
stinguuntur, idemque est de amore, & scientia necessa-
riis eiusdem obiecti, siue creati; imò & de tota collectio-
ne amoris necessarij comparatiuè ad totam collectionem
scientiæ etiam necessariæ. *Sextò*, formalitas repræsentans
lapidem, & formalitas repræsentans leonem, in eadem
cognitione creata vtrumque simul exprimente. *Vltimò*, dif-
ferentia specifica, & indiuidualis, quæ non sunt princi-
pium effectuum distinctorum. Imò plures differentiæ spe-
cificæ, quales sunt, quæ ex dissimili modo tendendi in ob-
iectum diuersitatem hauriunt specificam, nullius opera-
tionis sunt principium, vt patet in intellectione, & voli-
tione eiusdem obiecti, quæ respectiuè ad illud distinguun-
tur, cum tamen illud minimè causent.

Plura insu-
per sunt
principia
effectuum
distinctorū
absque di-
stinctione
virtuali.

21. Displicet secundò, nam plura dantur principia ter-
minorum realiter distinctorum absque vlla distinctione
virtuali. *Primò*, natura diuina, tota & eadem virtualiter,
quæ est principium Paternitatis, est etiam principium Fi-
liationis, & spirationis passiuæ, aliter non omnes essent
virtualiter ab eadem natura diuina. *Secundò*, Rationalitas
eâdem indiuisibili virtualitate, qua est principium dis-
cursus, simul etiam est principium distinctionis, seu ca-
rentiæ identitatis cum omni alio. *Tertiò*, quælibet essen-
tia eâdem virtualitate qua est principium nobilioris, suæ
operationis, simul etiam est principium suarum proprie-
tatum, cum istæ ab essentia formalissima promanent.
Quartò, eadem potentia intellectiua naturalis indiuisibili
virtualitate est productiua actus naturalis, & superni; cum
virtualitas naturæ eleuetur, à principio superno ad præ-
standos supernaturales effectus. *Vltimò*, eadem virtualitas
materiæ

materiæ primæ, quæ est materialiter causatiua formæ substantialis, est etiam causatiua dispositionum ad illam, cum à dispositionibus id idem subiectum præparetur ad formam substantialem, quod recipit illam, & non diuersum adhuc virtualiter; plura sunt ergo principia terminorum realiter distinctorum, quæ virtualiter minimè distinguuntur.

22. Tertia sententia docet, distinctionem virtualem in diuinis consistere in conceptibus, vel continentibus eminenter perfectiones creatas realiter distinctas, vel quorum similes in creatis realiter distinguuntur. Ita magnus Doctor P. Soarius lib. 4. de Trinitate cap. 4. P. Molina 1. part. quæst. 20. art. 2. disp. 2. & docti Recentiores. Vnde inferunt, intellectionem diuinam, volitionem, iustitiam, misericordiam, &c. distinctas virtualiter esse, quia licet non sint principia effectuum distinctorum, similes tamen perfectiones in creatis realiter distinguuntur.

23. Hæc tamen sententia, quoad priorem sui partem, scilicet, continentiam effectuum distinctorum, impugnata iam est his, quæ contra secundam opinionem à qua non discrepat, proposuimus. Quoad posteriorem verò displicet etiam. *Primò*, quia in omnipotentia indiuisibilis eminentia continet perfectiones creatas realiter inter se distinctas, scilicet, actionem, & terminum. *Secundò*, quia productio passiuæ, & terminus in diuinis sunt virtualiter idem, cum tamen similes perfectiones in creatis distinguantur. *Tertiò*, quia natura, & substantia absoluta in diuinis sunt virtualiter idem, etiamsi in creatis similes perfectiones naturæ, & subsistentiæ realiter differant. Idemque est de Filiatione, & subsistentia relatiua. *Quartò*, prioritas à quo dependentiæ ab independenti non fundat in diuinis futuritionem virtualem, vt ostendi disput. 10. de voluntate, etiamsi similis prioritas fundet, aut fundare possit in creatis futuritionem realem extremi positiui dependentis respectiue ad independens. *Vltimò*, in Filiatione diuina conceptus Filiationis, & relationis, sunt virtualiter idem, cum Filiatio, qua talis,

Tertia sententia P. Soarii, & P. Molinae, plurimumque Recentiorum.

Non sufficit distinctioni virtuali continere conceptus, quorum similes in creatis realiter distinguuntur.

266 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

fit relatio; licet similes conceptus in creatis realiter distinguuntur: ergo.

24. Dices conceptus relationis, & Filiationis nullibi reperiri mutuo realiter separatos, nam omnis Filiatio, etiam in creatis, est relatio, quamuis non omnis relatio Filiatio fit; Ad distinctionem autem virtualem duplicis diuinæ perfectionis opus est, vt illis similes, in creatis, mutuo possint realiter separari.

responsio,
quæ tentari
posset, ex-
clusa.

25. Contra, tum quia hæc responsio non soluit instantias à nobis obiectas, continentes perfectiones virtualiter distinctas, cum tamen similes perfectiones in creatis mutuo possint realiter separari. Tum etiam, quia conceptus qualitatis vt sic, & differentia cognitionis v.g. parietis, differunt virtualiter in Aduersariorum sententia, nec tamen sunt principia effectuum distinctorum, nec alicubi in creatis possunt mutuo realiter separari, cum nulla sit possibilis cognitio creata, quæ realiter qualitas non sit. Insuper rationale, & animal distinguuntur virtualiter apud Aduersarios, quamuis non possint mutuo separari cum omnis homo sit animal, etiam si omne animal homo non sit. Idemque est de rationali, & Petreitate, aliisque differentiis indiuidualibus respectu speciei, & istius respectu generis.

Quarta Re-
centiorum
sententia.

26. Quarta sententia, distinctionem virtualem explicat per respectum ad connotata essentialia realiter distincta, quæ scilicet à connotante non contingenter, sed necessario respiciuntur; siue sint effectus, siue non; vnde docet, meras non repugnantias non distingui virtualiter à suis subiectis. Ita Docti Recentiores. An autem cum his alia eorum Doctrina cohæreat, scilicet, quantum prædicabile, distingui virtualiter à differentiis, cum tamen respectus sit ad connotatum contingens, ipsi videant, mihi enim hæc duo non consonant.

Plura distin-
guuntur
virtualiter,
quæ distin-
cta realiter

27. Displicet etiam sententia ista, plura enim distinguuntur virtualiter, quæ distincta realiter non respiciunt. *Primò*, intellectio & volitio diuina eiusdem omnino obiecti. *Secundò*, intellectio diuina exprimens volitionem, & volitio

volitio diligens intellectionem. *Tertio*, scientia possibilium, & futurorum, quæ ex parte obiecti minimè distinguuntur, sed solum ex diuerso modo tendendi in suum obiectum, idemque est de aliis instantis contra præcedentes sententias obiectis. Insuper plura respiciunt connotata diuersa, quæ virtualiter nullatenus distinguuntur. *Primo*, natura diuina indiuisibili virtualitate respicit tres personalitates realiter distinctas. *Secundo*, quælibet essentia eadem virtualitate, qua potissimam suam respicit operationem, simul etiam respicit proprietates suas. *Tertio*, eadem virtualitas omnipotentia respicit actionem, & terminum realiter distinctos. *Quarto*, rationale indiuisibiliter respicit discursum, & carentiam identitatis, cum omni alio, imò etiam, & carentiam repugnantia ad existendum.

connotata non respiciunt. Plura respiciunt, quæ non distinguuntur.

28. Nec dicas primò, sufficere ad distinctionem virtutalem connotata realiter, vel virtualiter distincta. Tum quia intellectio diuina, & volitio eiusdem omnino obiecti, distinguuntur virtualiter absque vlllo connotato diuerso. Tum etiam, quia ea responsio supponeret dari virtutalem distinctionem in connotatis, quod disputatur. Tum denique, quia nulla esset virtualitas tam in Deo, quam in creatis, quæ in infinitas virtualitates diuidenda non foret. Etenim nulla esset virtualitas, quæ plures alias secum realiter identificatas, non respiceret, quæ essent connotata virtualiter distincta: ergo nulla esset virtualitas, quæ in plures diuidenda non foret. Deinde quælibet istarum plurium connotaret etiam plures, & quælibet istarum alias plures sine termino; ergo.

Diuersa virtualiter connotata, minimè necessaria.

29. Nec dicas secundò, ad diuersas virtualitates sufficere, vel diuersa connotata, vel diuersum modum tendendi in idem connotatum. Nam primum falsum esse, constat ex dictis. Secundum verò difficillimum est. Rogo enim quanta, & quali; debeat esse diuersitas in modo tendendi, quæ sufficiat distinctioni virtuali, in cuius declaratione, nihil tutum reperio. *Primo*, nam quilibet diuersus modus tendendi in idem obiectum, scilicet, clarus,

Diuersus modus tendendi rem non explicat.

& confusus sufficiens non est distinctioni virtuali; imò nec quilibet diuersus modus tendendi in obiecta distincta, vt patet tum in cognitione directa vnus, & indirecta alterius; tum etiam in Filiatione diuina diuerso modo respiciente essentiam, & Paternitatem; Tum præterea in intellectu diuina diuerso modo respiciente obiectum, & volitionem, quam dirigit; tum insuper in eminentia productiua solis diuerso modo respiciente solem, & cæteras eminentias; tum rursus in natura diuina diuerso modo respiciente omnipotentiam, quatenus obiectum, & quatenus attributum; tum denique in rationali diuerso modo respiciente discursum, tanquam effectum, & carentiam repugnantia: nec tamen diuersi isti respectus sufficientes sunt distinctioni virtuali: ergo.

Additio recens insufficiens.

30. Nec solidius est, quod aliqui Recentiores addidere, videlicet, ad distinctionem virtualem sufficere connotata essentialia, & in modo connotandi independentia. *Primò*, quia, vt constat ex dictis, ad distinctionem virtualem nulla requisita sunt, nec sufficientia connotata distincta: ergo neque in modo connotandi independentia. *Secundò*, quia explicanda restat independentia illa qualis, & quanta debeat esse, quæ distinctioni virtuali sufficiat. *Tertiò*, quia si rem premas, dicere connotata in modo connotandi independentia, aliud non est, quam rem connotantem, ita plures respicere terminos, vt respectus ad vnum independentens sit, siue distinctus à respectu ad alterum, quod est ipsa quæstio. Denique ab his recentioribus explicandum est, cur rationale in modo connotandi discursum, non sit independentens à modo connotandi carentiam repugnantia, & identitatis cum aliis. Præterea, cur natura diuina in modo connotandi Paternitatem non sit independentens à modo connotandi Filiationem, volitionem, aut omnipotentiam. Idemque est de cæteris instantiis superius obiectis.

Quinta sententia Agidij, Fustler, & Alos.

31. Quinta sententia distinctionem virtualem ait consistere, in eo quod prædicata realiter identificata ita se habeant, ac si realiter distinguerentur præstando cum identitate

Disp. VII. De dist. attr. ab essentia. Sect. II. 269

identitate reali ea, quæ cum distinctione præstantur ab aliis. Vel ut alij explicant, ut æquiualeant rebus secundum eisdem conceptus realiter distinctis, vel exerceant sua munera, ac si realiter distinguerentur. Vnde inferant, animal & rationale distingui virtualiter inter se; quia homo in conceptibus sensitiui, & intellectiui realiter identificatis æquiualeat leoni, & Angelo, secundum eos conceptus realiter distinctis, & ita se habet homo quoad exercitium sentiendi, ac si rationalis non esset; cum sensatio solum exigat animal tanquam sui principium, non verò rationale, ut patet in brutis. Ita Ægidius à præsentatione lib. 5. quæst. 6. art. 7. §. 2. Canonicus Tufter de voluntate à num. 717. Et vix discrepat Magister Alos in selectis disp. 1. cap. 8. num. 161. Quibus consentiunt docti Recentiores.

32. Nec placet hæc opinio, quia plura æquiualent entibus realiter distinctis, eorumque munera præstant, ac si realiter distinguerentur; cum tamen virtualiter minimè distinguantur. *Primò*, natura diuina, & subsistentia absoluta, absque distinctione virtuali æquiualent naturæ creatæ eiusque subsistentiæ, earumque munera præstant, non minus quam præstarent si realiter distinguerentur. *Secundò*, productio passiuæ, & terminus in diuinis æquiualent actioni, & termino creatis, & realiter distinctis, eorumque munera præstant, non minus quam si realiter distinguerentur, ut ostendimus tract. de Trinitate. *Tertiò*, Filiatio diuina in conceptibus relationis, & personalitatis, æquiualent distinctis, eorumque munera præstant absque vlla distinctione virtuali. *Quartò*, natura diuina indiuisibili virtualitate est principium personalitatis Patris, & Filij, quantumuis æquiualeat principiis creatis similium effectuum realiter distinctis, eorumque munera præstet.

33. Nec satisfacit Alos respondens, æquiualentiam illam non semper præstare distinctionem virtualem, sed ibi tantum, vbi ex tali distinctione nullum sequitur inconueniens, quale sequeretur, si processio passiuæ, &

Plura æquiualent distinctis absque distinctione virtuali.

terminus distinguerentur in diuinis, quia essent duplex relatio. Contra quia hæc responsio dat nobis assumptum contententibus, præcisam illam æquivalentiam sufficientem non esse, & aliquod ultra illam desiderari, ex quo nullum sequatur inconueniens posita distinctione virtuali: id autem explicatum non manet: ergo.

Sexta Recentiorum sententia.

34. Sexta sententia Recentiorum docet, distinctionem virtuales consistere in perfectionibus realiter identificatis, & inter se independentibus, quoad modum respiciendi siue idem, siue diuersum connotatum. Tunc autem vnã perfectionem esse independentem ab alia, quando secundum sua prædicata metaphysica non exigit identitatem realem cum illa, sed eodem pacto respiceret idem, vel diuersum connotatum, etiamsi per impossibile realiter distinguerentur. Sic animal realiter identificatum cum rationali, distinguitur virtualiter ab illo, quia ita respicit sensationem, vt, secundum sua prædicata metaphysica consideratum, non exigit identitatem realem cum rationali respiciente discursum, sed eodem modo respiceret sensationem, etiamsi esset realiter à rationali distinctum. Nam tunc sensatio totum suum principium haberet, eodemque modo oriretur ab animali, ac oritur de facto, atque adeò non exigit identitatem realem, quam habet animal cum rationali.

Præcedens sententia minimè apta.

35. Non placet. *Primò*, vel animal identificatum realiter cum rationali, potest existere sine tali identitate, vel non. Si primum ergo potest distingui realiter à rationali, quod est chymericum, scilicet realiter identificata posse realiter distingui, vel non identificari. Si non potest existere sine identitate reali cum rationali: ergo pendet ab illa; atque adeo nulla stabit distinctio virtualis. *Secundò*, quia in sententia eorum Recentiorum animal hominis ex parte sui, dicit identitatem realem cum rationali virtualiter indistinctam ab ipsomet animali; idemque est de animali leonis respectu rugibilitatis; quam identitatem vocant differentiam minus notam, & à qua animal est virtualiter impræscindibile: ergo animal hominis non potest

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. I. 271

test esse independens ab identitate reali cum rationali ; idemque est de animali leonis respectu identitatis realis cum rugibilitate. *Tertiò*, quia si animal hominis esset independens ab identitate reali cum rationali : ergo sicut sensatio non pendet à differentia magis nota, scilicet, rationali, ita neque penderet à differentia minus nota, scilicet, identitate reali ex parte animalis cum rationali ; atque adeò sicut propter eam independentiam animal distinguitur virtualiter à rationali, ita etiam distingueretur ab identitate reali ex parte ipsius cum rationali. *Quartò*, quia distinctio virtualis necessariò est inter extrema realiter identificata : ergo pendet ab identitate reali. *Quintò*, quia in sententia horum Recentiorum, animal hominis, etiam vt virtualiter distinctum à rationali, habet aliquid, quo realiter distinguitur ab animali leonis, etiam vt virtualiter à rugibilitate distincto : id autem est identitas realiter ex parte animalis hominis cum rationali, à qua est virtualiter impræscindibile : ergo ab illa independens esse non potest.

36. Sed demus Recentioribus istis, animal secundum sua prædicata essentialia consideratum non pendere essentialiter ab identitate reali cum rationali, sed ab illa præscindere. Adhuc restat illis explicandum, quid opus sit, vt vnum prædicatum realiter identificatum cum alio sit independens ab identitate reali cum illo, potius quàm alterum, quod est mysterium præsentis controuersie. Et vnde idem dici non possit de substantia diuina, & intellectione necessaria, de natura & subsistentia absoluta, & attributis negatiuis, seu transcendentibus, quæ in eorum sententia virtualiter non distinguuntur. Idemque est de rationali, in ordine ad discursum, & carentiam repugnantiam, & distinctionis à cæteris.

37. Septima sententia docet, illa distingui virtualiter in creatis, quorum vnum reperitur in aliquo ente realiter ab altero diuisum, seu separatum. Sic instantia distinguitur virtualiter à corpore, quia reperitur in Angelo realiter diuisa ab illo. Sensitiuum distinguitur virtualiter, à rationali,

Septima sententia, de conceptibus in aliquo ente separatis, etiam sufficiens.

rationali, quia reperitur in leone realiter à rationali separatum: idemque est de aliis gradibus superioribus, etiam entis, eorumque differentiis. Dicitur in creatis, quia ea distinctionis regula non censetur sufficiens in diuinis. Sicut compositio prædicatorum contradicentium, quamuis sit regula distinctionis realis, sufficiens non est in diuinis. Vnde irritò conatu ex eo capite eam sententiam deturbare tentarunt iuniores aliqui.

Vnde displicet sententia præcedens.

38 Displicet hæc sententia. *Primò*, quia si in Deo totum id componi potest cum identitate virtuali reddenda est ratio, cur non possit in creatis. *Secundò*, quia distinguere virtualiter ens à differentiis creatis, est contra Philosophum, & sanctum Thomam, communemque sententiam. *Tertiò*, quia in cognitione creata directa vnius, & indirecta alterius, isti conceptus sunt virtualiter indistincti, cum eadem formalitas, quæ est directa vnius, sit indirecta alterius, aliter vtraque foret directa: & tamen formalitas directa reperitur realiter diuisa ab indirecta in cognitione purè directa: ergo id non sufficit distinctioni virtuali. *Quartò*, conceptus Paternitatis, & differentia indiuidualis, diuiduntur in Paulo absque vlla distinctione virtuali. Similiter conceptus intellectiui, & identitatis cum animali, separantur in Angelo, nec tamen distinguuntur virtualiter in rationalitate hominis. Idemque de pluribus aliis poterit quisque facillè meditari: ergo.

S E C T I O III.

Nostra sententia de distinctione virtuali intrinsicca.

In quo consistat distinctio virtualis intrinsicca.
P. Huetadus.
P. Herize.

39. **C**enso distinctionem virtualemente intrinsiccam consistere in perfectionibus per se talibus cum identitate reali, realiter prædicata intrinsicca contradictoria componentibus, seu vt loquuntur alij, æquivalentibus distinctioni reali, aut effectibus illius. Ita communis sententia

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. III. 273

tentia inter Doctores nostros, quam tuentur ex professo
 P. Hurtadus disp. 6. metaphys. à sect. 3. P. Herize disp.
 12. de voluntate à num. 5. P. Arriaga disp. 42. de Trinita-
 te, & sæpius in Philosophia, P. Ouiedus controu. 4. Me-
 taphys. punct. 4. P. Ribadeneyra disp. 2. de scientia Dei
 num. 8. P. Linceus tom. 3. Philosophiæ lib. 2. tract. 4. P.
 Antonius Perez de Trinitate disp. 1. cap. 2. & de volun-
 tate disp. 2. cap. 1.

P. Arriaga.
 P. Ouiedus.
 P. Ribaden.
 P. Linceus.
 P. Ant. Perez.

40. Dixi, *Prædicata contradictoria intrinseca*, qualia sunt,
 quæ intra prædicata ipsa entis fundantur, & componun-
 tur ab ipsis. Nam extrinseca, qualia sunt, quæ ab alterius
 entis prædicatis contradictoriis, extrinsecè denominanti-
 bus, & afficientibus, oriuntur, non sufficere distinctioni
 virtuali in subiecto denominato, cõpertum mihi est. Nam
 huiusmodi prædicata contradictoria extrinseca quælibet
 res incontexta alteri; de se suscipere valet etiam in creatis,
 vt constabit ex dicendis disp. 8. sect. 6. Res enim alteri in-
 connexa persistere potest, etiamsi terminus implicaret,
 etiamsi existeret, & non existeret; etiamsi possibilis esset,
 & non possibilis, quo casu res inconnexa coëxisteret illi,
 & non coëxisteret, quæ sunt prædicata contradictoria
 extrinseca subiecti, etiamsi intrinseca sint respectu formæ.
 E ratio est, quia extrinseca contradictio non est re ipsa cõ-
 tradictio subiecti quod denominat, sed formæ denominã-
 tis, nec similem infert cõtradictionem in subiecto incon-
 nexo; atque adeò distinctioni virtuali sufficiens non est,
 cum in omni formalitate, & virtualitate, tam creata, quam
 increata, sit de suo capacitas ad ea prædicata extrinseca
 suscipienda respectu termini, cui non connectitur.

Quænam
 sint prædica-
 ta contradi-
 ctoria intrin-
 seca.

41. Probatur conclusio. Nam distinctio virtualis intrin-
 seca, est æquivalentia ad distinctionem realem, præstan-
 do effectus illius proprios cum identitate reali; distinctio
 enim virtualis non est in se formaliter distinctio, sed vir-
 tute tantum, & per æquivalentiam ad distinctionem rea-
 lem, quæ sola est formaliter distinctio, sicut aurum licet
 sit æquivalenter argentum, non tamen est formaliter:
 huiusmodi autem æquivalentia distinctioni reali, solum-

Conclusio-
 nis nostræ
 probatio.

modo stat, quando perfectiones aliqua cum identitate reali, realiter suscipiunt, vel suscipere possunt prædicata de se contradictoria, quæ scilicet contradictoria forent, nisi interueniret distinctio virtualis: ergo distinctio virtualis consistit in perfectionibus cum identitate reali, realiter prædicata de se contradictoria componentibus. Minor ostenditur, quia effectus proprii distinctionis realis sunt, prædicata de se contradictoria realiter componere, idemq; quod verè, & realiter affirmatur de vno, verè etiam & realiter de altero negari posse, & è contra: ergo æquivalentia distinctioni reali solum stabit, quando perfectiones cum identitate reali, realiter componunt prædicata de se contradictoria. Sic natura diuina distincta est virtualiter à relationibus, quia realiter componunt prædicata de se contradictoria; natura enim realiter communis est omnibus personis, nulla verò relatio realiter est omnibus communis, &c.

Prima, &
difficilis ob-
iectio ex
tract. de
Trinitate
desumpta.

42. Objicies primò, plura dantur quæ componunt realiter prædicata contradictoria; nec tamen virtualiter distinguuntur: ergo nostra expositio distinctionis virtualis nulla est. Antecedens probatur in nostra sententia tract. de Trinitate disp. 7. sect. 3. nam de intellectione, & communicatione respectu Filij virtualiter indistinctis, verum est dicere, intellectionem esse realiter volitionem, & communicationem respectu Filij non esse realiter volitionem. Similiter de volitione, & communicatione respectu Spiritus sancti virtualiter indistinctis, verum est dicere, volitionem esse realiter intellectionem, & communicationem respectu Spiritus sancti non esse realiter intellectionem, quæ sine dubio sunt prædicata contradictoria: ergo hæc sufficientia non sunt distinctioni virtuali. Idem firmari potest in communi sententia asserente terminum formalem communicationis verbi esse solam intellectionem, & Spiritus sancti volitionem, etiam realiter. Nam de intellectione & termino formali communicationis verbi virtualiter indistinctis verum est dicere, intellectionem realiter esse volitionem, & terminum formalem communicationis

Disp. VII. De dist. attr. ab essen. Sect. III. 275

nicationis respectu verbi non esse realiter volitionem; similiter de volitione, & termino formali communicationis respectu Spiritus sancti virtualiter indistinctis, verum est dicere, volitionem esse realiter intellectionem, & terminum formalem communicationis respectu Spiritus sancti non esse realiter intellectionem.

43. Hoc argumentum proposuimus, & soluimus tract. de Trinitate loco citato, & ostendimus ab omnibus soluendum. Tum quia essentia diuina est realiter volitio libera, & contingens, nec tamen est realiter essentia libera, & contingens, quod est prædicatum virtualiter indistinctum à volitione libera. Tum etiam quia essentia diuina est realiter Filiatio; nec tamen est realiter producta, aut relatiua, quæ sunt prædicata virtualiter à Filiatione indistincta. Tum præterea, Paternitas, non tamen quod est prædicatum à etum. Quæ omnia sine alia, dici scilicet de eodem aliud, cum vnum, & a etiam virtualiter vnum, & idem. Quæ omnes istæ assumantur contra nos, nostrumque distinctionis virtualis constitutum; si fortè tentauerit quis illis armatus omnem expugnare distinctionem virtualem, etiam in diuinis.

44. Respondeo, prædicata contradictoria solum distinguere virtualiter perfectiones quæ sunt formaliter, & per se tales, id est, quæ seorsim ab aliis sunt perfectio in Deo, quasi per se stans, & non purè adiacendo alteri perfectioni, tanquam munus ab ea præstitum. Sic intellectio, volitio, essentia, Paternitas, Filiatio, &c. sunt perfectiones per se, quas distinguunt prædicata contradictoria, scilicet produci, & non produci, communicari, & non communicari, esse communicationem, seu terminum formalem, & non esse. Huiusmodi verò prædicata contradictoria nequeunt per alia à suis subiectis virtualiter distingui, quia verè dicuntur de illis omnimoda identitate. Sic esse

Ea obiectio ab omnibus soluenda.

S. Patricio Ob. 16. Março.
Antes de la muerte no alabas à nadie; por q̄ cada vno se conoçed espues de muerto. *Eccles. II. Caridad.*
Por nuestros amigos.

realiter icabilis, ndistin- radictio- non dici ter, sed

Quales perfectiones distinctioni virtuali necessarix sint, & sufficientes.

modo stat, quando perfectiones aliqua cum identitate reali, realiter suscipiunt, vel suscipere possunt prædicata de se contradictoria, quæ scilicet contradictoria forent, nisi interueniret distinctio virtualis: ergo distinctio virtualis consistit in perfectionibus cum identitate reali, realiter prædicata de se contradictoria componentibus. Minor ostenditur, quia effectus proprii distinctionis realis sunt, prædicata de se contradictoria realiter componere, idemq; quod verè, & realiter affirmatur de vno, verè etiam & realiter de altero negari posse, & è contra: ergo æquivalentia distinctioni reali solum stabit, quando perfectiones cum identitate reali, realiter componunt prædicata de se contradictoria. Sic natura diuina distincta est virtualiter à relationibus, quia realiter componunt prædicata de se contradictoria; natura enim realiter communis est omnibus personis, & realiter est omnibus communis.

Prima, &
difficilis ob-
iectio ex
tract. de
Trinitate
desumpta.

42. Obiicitur, quod prædicata de se contradictoria distinguuntur: nulla est. An. de Trinitate dicitur, quod 3. nam de intellectione, & communicatione respectu Filij virtualiter indistinctis, verum est dicere, intellectionem esse realiter volitionem, & communicationem respectu Filij non esse realiter volitionem. Similiter de volitione, & communicatione respectu Spiritus sancti virtualiter indistinctis, verum est dicere, volitionem esse realiter intellectionem, & communicationem respectu Spiritus sancti non esse realiter intellectionem, quæ sine dubio sunt prædicata contradictoria: ergo hæc sufficientia non sunt distinctioni virtuali. Idem firmari potest in communi sententia asserente terminum formalem communicationis verbi esse solam intellectionem, & Spiritus sancti volitionem, etiam realiter. Nam de intellectione & termino formali communicationis verbi virtualiter indistinctis verum est dicere, intellectionem realiter esse volitionem, & terminum formalem communicationis

nicationis respectu verbi non esse realiter volitionem; similiter de volitione, & termino formali communicationis respectu Spiritus sancti virtualiter indistinctis, verum est dicere, volitionem esse realiter intellectiōem, & terminum formalem communicationis respectu Spiritus sancti non esse realiter intellectiōem.

43. Hoc argumentum proposuimus, & soluimus tract. de Trinitate loco citato, & ostendimus ab omnibus soluendum. Tum quia essentia diuina est realiter volitio libera, & contingens, nec tamen est realiter essentia libera, & contingens, quod est prædicatum virtualiter indistinctum à volitione libera. Tum etiam quia essentia diuina est realiter Filiatio; nec tamen est realiter producta, aut relatiua, quæ sunt prædicata virtualiter à Filiatione indistincta. Tum præterea, quia essentia diuina est realiter Paternitas, non tamen est realiter incommunicabilis, quod est prædicatum à Paternitate virtualiter indistinctum. Quæ omnia sine dubio sunt prædicata contradictoria, dici scilicet de eodem vnum prædicatum, & non dici aliud, cum vnum, & aliud sint non solum realiter, sed etiam virtualiter vnum, & idem. Quod si instantiæ omnes istæ assumantur contra nos, nostrumque distinctionis virtualis constitutum; si fortè tentauerit quis illis armatus omnem expugnare distinctionem virtuales, etiam in diuinis.

44. Respondeo, prædicata contradictoria solum distinguere virtualiter perfectiones quæ sunt formaliter, & per se tales, id est, quæ seorsim ab aliis sunt perfectio in Deo, quasi per se stans, & non purè adiacendo alteri perfectioni, tanquam munus ab ea præstitum. Sic intellectio, volitio, essentia, Paternitas, Filiatio, &c. sunt perfectiones per se, quas distinguunt prædicata contradictoria, scilicet produci, & non produci, communicari, & non communicari, esse communicationem, seu terminum formalem, & non esse. Huiusmodi verò prædicata contradictoria nequeunt per alia à suis subiectis virtualiter distingui, quia verè dicuntur de illis omnimoda identitate. Sic esse

Ea obiectio
ab omnibus
soluenda.

Quales perfectiones
distinctioni
virtuali necessarix
sint, & sufficientes.

productam dicitur de Filiatione, & non esse productam de essentia; hoc tamen discrimine; quod essentia, & Filiatione sunt perfectiones in Deo quasi per se stantes, & non purè adiacendo alteri, tanquam munus ab ea præstitum, ideoque virtualiter distinguuntur. Esse autem productum, & non esse, seorsim, à Filiatione, & essentia, aliisque perfectionibus per se talibus, nihil essent in Deo. atque adeo, ut quid sint, in aliqua alia perfectione per se tali imbibere formaliter debent, eique adiacere omnimoda identitate; & inde impossibilis prorsus est distinctio virtualis eorum à suis obiectis, de quibus dicuntur. Idem dicimus de communicatione respectu Filij, & Spiritus sancti, esse scilicet purum prædicatum, & munus adiacens intellecti, & volitioni; atque adeo ab illis distingui virtualiter non posse quia ad id non minus opus est, prædicata contradictoria componere, quam componentes esse perfectiones per se.

Instantia
ultima soluta.

45. Instabis: ergo præcisè compositio prædicatorum contradicentium sufficiens non est distinctiōni virtuali. *Respondedo*, distinguens, sufficiens non est distinctiōni virtuali inter perfectiones per se ea prædicata componentes, nego: inter perfectiones per se ex vno capite, & ipsa prædicata, quæ componunt ex alio, concedo. Cur autem ibi, & non ei sufficiant, exhibita iam est ratio supra.

Secunda obiectio quia perfectiones sola ratione distinctæ componunt prædicata contradictoria.

46. Obiicies secundò, conceptus sola ratione distincti sunt virtualiter idem: componunt autem prædicata realiter contradictoria: ergo ista insufficientia sunt distinctiōni virtuali. Minor probatur, quia de conceptibus sola ratione distinctis, qualia sunt in nostra sententia iustitia, & misericordia; eminentia productiua hominis, & leonis, verè dicitur, posse clarè cognosci vnum, & alterum non cognosci clarè. Verè insuper dicitur posse nos formare explicitum conceptum vnus, & non alterius, dum enim formatur à nobis conceptus explicitus entis, hoc præcisè non formatur conceptus explicitus differentiarum, & dum formatur à nobis conceptus explicitus misericordiae, aut eminentiæ productiuae hominis, hoc præcisè,

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect III. 277

præcisè, non formatur conceptus explicitus iustitiæ, aut eminentiæ productiivæ leonis: hæc autem sunt prædicata contradictoria: ergo.

47. Respondeo, negans maiorem omnesque eius perfectiones. Nam inter conceptus virtualiter identificados ratio nostra non distinguit intra ipsos, sed penes extrinsecos, aut connotata, cognoscendo vnum, & non alterum, seu cognoscendo omnes conceptus virtualiter identificados in ordine ad vnum terminum, aut connotatum, & non in ordine ad alterum, in quo nulla est contradictio, vnde eadem claritate vnus, & alter conceptus cognoscitur quoad intrinsecum; quia tamen non omnia exprimuntur extrinseca connotata, à quibus noster conceptus, vtpote abstractivus, denominatur explicitus; inde quamvis concepta eminentia productiva hominis, etiam eadem claritate concipiatur secundum intrinsecum eminentia productiva leonis, quia tamen concipitur in ordine ad hominem, & non in ordine ad leonem, inde dici solet conceptus explicitus eminentiæ hominis, & non leonis, quia homo, & non leo concipitur in obliquo, quoad conceptum explicitum nostrum necesse est. Sic dum concipitur homo quatenus ens est, formaliter conceptus explicitus entis, & non rationalitatis, non quia intrinsecum rationalitatis non exprimitur, sed quia non exprimitur in obliquo discursus, sed sola carentia repugnantiae, quæ est connotatum sub quo exprimitur ens.

Vnde conceptus explicitus vnus dicitur implicitus alterius indistincti.

48. Instabis, eminentia productiva hominis, idemque est de aliis conceptibus sola ratione distinctis, distinguitur nostro modo concipiendi ab eminentia productiva leonis: non autem ita distinguitur à se ipsa, quæ sunt prædicata contradictoria: ergo hæc non sufficiunt distinctioni virtuali.

Instantia sumpta à distinctione rationis.

49. Respondent aliqui, eminentiam productivam hominis etiam à se ipsa ratione nostra distingui, non minus quam ab eminentia productiva leonis; atque adeo nulla verificari prædicata contradictoria. *Non placet.* Tum quia, modo, quo vna res distinguitur ab alia, non distinguitur

Aliquorum responsio insufficientis.

à se ipsa, sic Petrus realiter distinctus à Paulo non est distinctus à se ipso, & Paternitas distincta virtualiter ab essentia diuina, non est distincta virtualiter à se ipsa: ergo neque eminentia hominis distincta ex modo concipiendi ab eminentia leonis, erit eo modo distincta à se ipsa. Tum etiam, quia eminentia hominis plus differt ratione nostra ab eminentia leonis, quam ab eminentia hominis, sicut animal, & animal minus differunt, quam animal, & ens. Tum præterea, quia formaliter eminentia hominis, vt talis, solum respicit hominem, & eminentia leonis vt talis, solum leonem, quæ duo connotata vt potè distincta, sunt fundamentum, vt eminentia hominis sit ratione distincta ab eminentia leonis: solus autem homo non est tale fundamentum: ergo neque poterit eminentia hominis, & formaliter talis, distingui à se ipsa, modo saltem quo distinguitur ab eminentia leonis.

Eminentia hominis distingui ex modo concipiendi ab eminentia leonis, non sunt contradictoria.

50. Respondeo, ergo ea prædicata contradictoria non esse. Quia eminentiam hominis distingui ratione ab eminentia leonis, & non à se ipsa, non est quid ipsis intrinsecum, sed extrinsecum à nostris conceptibus nullo pacto pugnantibus inter se, tanquam affirmatio, & negatio eiusdem de eodem. Nam eminentiam hominis, vt formaliter talem, non posse à se ipsa distingui, est, non posse cognosci in ordine ad hominem, quin cognoscatur homo; & eandem distingui eminentia leonis, est posse cognosci in ordine ad hominem, quin cognoscatur in obliquo leo: eminentiam autem hominis, vt formaliter talem, non posse cognosci, quin in obliquo cognoscatur homo, & posse cognosci, quin cognoscatur leo, nulla est contradictio affirmationis, & negationis eiusdem de eodem, & respectu eiusdem, quod ad distinctionem virtuales intrinsecam necessarium est.

Tertia obiectio, quia nullum restaret fundamentum pro distinctione reali diuinarum personarum.

51. Obiicies tertio, si distinctio virtualis posset componere cum identitate reali prædicta realiter contradictoria, nullum consisteret fundamentum pro distinctione reali diuinarum Personarum: id dici non potest: ergo neque distinctionem virtuales posse componere prædicata
cata

cata realiter contradictoria cum identitate reali. Maior probatur, quia fundamentum distinctionis realis diuinarum personarum positum à nobis disp. 6. de Trinitate cum communi sententia, est, relatio producentis, & producti: hoc fundamentum insufficiens esset: ergo. Minor probatur, nam relatio producentis, & producti, componi posset cum sola distinctione virtuali, non enim maiorem oppositionem dicere posset, quàm prædicata contradictoria: ergo. *Confirmatur*, alia prædicata contradictoria componuntur in diuinis cum sola distinctione virtuali, scilicet communicari, & non communicari: produci, & non produci; existere, & non existere: ergo etiam poterunt produci, & productum cum sola distinctione virtuali componi,

52. Respondeo negans maiorem, ad probationis minorem, & ad illius probationem, negandum est antecedens. Et ratio est, quia distinctio virtualis in diuinis extendenda non est, imò nec admittenda, nisi cogente fide, aut inuitabili ratione suadente, eo quod diuinæ perfectiones aliter consistere non possunt. Sic admittitur distinctio virtualis inter absoluta, & relatiua, quia fides docet identitatem realem inter absoluta, & relatiua, & prædicata contradictoria inter ipsa negari non possunt, cum essentia communicetur, & Paternitas non communicetur; Filiatio producat, & essentia non producat. Ad extendendam autem distinctionem virtualem inter personas producentes, & productas, non solum non cogit fides, sed posituè prohibet, statuta reali distinctione Personarum, quæ non consisteret cum sola distinctione virtuali; atque adeò nec ratio vlla inuitabilis esse potest, quæ inter produciens, & productum distinctionem virtualem suadere valeat, inde inter relationem producentis, & producti admittenda non est.

53. Objicies quartò, hoc ipso quod de eadem entitate verificentur prædicata contradictoria, chymera est: ergo si de Deo verificarentur prædicata contradictoria, hoc ipso verus Deus non esset, sed chymera: Antecedens probatur,

Cur distinctio virtualis extendi non possit ad produciens, & productum.

Quarta obiectio quia quod componit prædicata con-

quia

tradictoria
chymera est.

quia illud est chymera, de quo, si esset, verificarentur prædicata contradictoria, hæc enim est regula, unde ens ali- quod dicitur implicans, & chymera: ergo si de Deo ea prædicata verificarentur, hoc ipso chymera esset. *Confirmatur*, ideò alius Deus chymera est, quia si existeret, verificarentur de illo prædicata contradictoria: ergo si de vero Deo nunc existente verificarentur prædicata contradictoria, non iam verus Deus esset, sed chymera.

Perfectio in-
finita com-
ponere valet
prædicata
contradictoria.

54. Respondeo, distinguendo antecedens, hoc ipso, quod de aliqua entitate finita, & limitata verificentur prædicata contradictoria, chymera est, concedo: de entitate infinita, & illimitata, qualis est Deus, nego. Et neganda est consequentia. Quia Deus ratione suæ infinitatis componere potest, quæ creatura ratione suæ limitationis componere non valet. Ad confirmationem concessio antecedente neganda est consequentia, quia alius Deus si esset, hoc ipso Deus non esset, nec infinitus, aut illimitatus, sed esset quid finitum, & limitatum, eo quod duo infinita, & illimitata omnino pugnent inter se, inde eo ipso quod de illo verificentur prædicata contradictoria, chymera est, non verus Deus, qui illimitatus, & infinitus est.

Instantia ab
vnica virtua-
litate infini-
ta non va-
lente susci-
pere prædi-
cata contra-
dictoria.

55. Instabis, vnica virtualitas diuina est infinita, & illimitata; si tamen susciperet prædicata contradictoria, chymera esset: ergo Deus, quantumuis infinitus sit, & illimitatus, si prædicata contradictoria susciperet, chymera foret. Antecedens probatur, quia si vnica virtualitas susciperet prædicata contradictoria, hoc ipso iam vna non esset, sed multiplex: virtualitas autem vnica, & non vnica est chymera: ergo. Nec dici potest, Deum ideo posse suscipere prædicata contradictoria, non præcisè, quia simpliciter infinitus est, sed quia infinitus est in omni genere omnem complectens perfectionem, quo pacto vnica virtualitas infinita non est. Non inquam dici potest, quia duplex tantum virtualitas infinita non est simpliciter eo modo in omni genere: & tamen suscipere potest prædi-
cata

ata contradictoria: ergo. *Confirmatur*, si Deus cum omnium suarum perfectionum latitudine componeret hæc prædicata contradictoria, scilicet, absoluta inter se, aut à relatiuis distingui, essentiam esse formaliter relationem, aut esse contingentem & necessariam, esse productam, & improductam, communicatam, & non communicatam; hoc ipso chymera foret: ergo idem erit de quibuscumque prædicatis contradictoriis.

56. Respondeo, concessis præmissis, negans consequentiam. Ratio est, quia perfectio infinita, hoc ipso, capax non est ad quæcunque prædicata contradictoria componenda, sed ad illa tantum, quæ ineuitabilia sunt ex fide, vel vrgentissima ratione, qualia non sunt, vnicam virtualitatem suscipere prædicata contradictoria, aut absoluta inter se, vel à relatiuis esse realiter distincta, idemque est de aliis in confirmatione contentis; imò oppositum statuit fides, & suadet ratio; vnde nihil mirum si cum his prædicatis contradictoriis, Deus foret chymera, non vero cum aliis, cum illa componere, Deo penitus repugnet, non vero ista. Et quamuis distinctio virtualis de fide non fit, tamen prædicata contradictoria ex quibus ineuitabiliter infertur, vel de fide sunt, aut ab illa, vel ab ineuitabili ratione deriuata. Inde distinctio virtualis, vbi euitabilis fuerit possibilis non erit; sicut de distinctiõne reali fatentur omnes in diuinis.

57. Objicies quintò, implicat compositio prædicatorum contradicentium cum identitate reali: ergo & distinctio virtualis. Antecedens probatur, nam quæ realiter identificantur, possunt realiter in recto vnum de altero verè prædicari; sic quia filiatio, & essentia; intellectio, & volitio, sunt realiter idem, realiter in recto ad inuicem prædicantur, & istæ prædicationes veræ sunt. *Essentia est realiter filiatio. Filiatio est realiter volitio. Intellectio est realiter volitio. Volitio est realiter intellectio.* Id autem falsum esset, si prædicata contradictoria cum identitate reali componerentur: ergo implicat componi. Minor probatur, quia in filiatione, esse filiationem, & esse productam, sunt

Quæ prædicata componere valeat perfectio infinita.

Quinta obiectio, quia realiter identificata non possent in recto vnum de altero prædicari.

omnino idem, etiam virtualiter, & vtrique realiter identificatur essentia; similiter in essentia, esse essentiam, & esse improductam, sunt omnino idem, etiam virtualiter & filiatio vtrique realiter identificatur, & tamen neque Filiatio potest dici realiter improducta, nec essentia producta: ergo quæ realiter identificantur, non possent in recto realiter, vnum de altero verè prædicari.

Quæ prædicata possint in recto vnum de altero prædicari.

58. Respondeo, vt duo extrema possint in recto, vnum de altero verè, & realiter prædicari, non sat esse, quod vnum identificetur realiter alteri, sed vltius opus est, quod non sit formaliter ratio distinguendi virtualiter vnum ab alio. Filiatio autem, vt præcisè filiatio est; & essentia, vt præcisè essentia est, non sunt formaliter ratio distinctionis virtualis inter vtramque, ideoque possunt ad inuicem in recto vna de altera verè prædicari. Productum autem, & non productum, sunt formaliter ratio distinctionis virtualis inter Filiationem, & essentiam; ideoque prædicatum *producta*, quod dicitur de Filiatione in recto in hac prædicatione, *Filiatio est producta*, dici non potest de essentia, cum falsa sit hæc prædicatio, *Essentia est realiter producta*. Similiter prædicatum *improducta*, seu *non producta*, quod dicitur de essentia dici non potest in recto de Filiatione ob eandem rationem.

59. Instabis, fieri ex hac doctrina, hæc duo extrema diuina, scilicet, *essentia*, & *producta*, distinguere realiter inter se. Nam illa distinguuntur realiter inter se, quæ non possunt ad inuicem in recto vnum de altero verè, & realiter prædicari. Respondeo, ad distinctionem realem id non sufficere, sed vltra opus esse, quod nec possint in recto vnum de altero verè, & realiter prædicari, nec sint ratio formalis distinguendi virtualiter vnum ab altero, qualia sunt *producta*, & *improducta*, eo enim ipso, quod sint ratio distinguendi virtualiter, excludere non possunt identitatem realem, quam supponunt.

SECTIO IV.

An admittenda sit in creatis distinctio virtualis.

60. **C**ONSTAT ex dictis distinctionem virtua-
lem consistere in perfectionibus cum reali identitate,
realiter prædicata intrinseca contradictoria componentibus.
Difficultas nunc est, an huiusmodi, vel similis distinctio
inter creatas perfectiones reperiatur. *Prior sententia* negat,
ita Doctores illi omnes, quos dedimus sectione præcedenti
pro nostra sententia. *Posterior sententia* affirmat, dari
in creatis distinctionem virtua-lem realiter prædicata
contradictoria componentem. Ita Pater Ricardus, Lynceus
lib. 2. *Metaphysicæ tract. 4.* & aliqui recentiores cum illo.
Aliqui verò distinguere tentarunt inter prædicata
contradictoria intrinseca, qualia sunt, quæ componuntur
in diuinis, & intrinseca, qualia sunt cognosci, & non
cognosci; vnde licet in creatis negent distinctionem
virtua-lem prædicata intrinseca contradictoria componentem,
admittendam censent distinctionem virtua-lem sola
prædicata extrinseca contradictoria componentem,

Sententiæ
Doctorum,
P. Lynceus.

61. **A**SSERO primò, impossibile esse in creatis distinctionem
virtua-lem prædicata intrinseca contradictoria realiter
componentem. Probatur primò. Quia in creatis eo ipso,
quod ex positione alicuius duo sequantur contradictoria
vera, seu quod idem est, verificantur realiter contradictoria,
chymera est; & illud solum dicitur possibile, ex cuius
positione, nulla sequitur contradictio, seu nulla verificantur
prædicata contradictoria: ergo in creatis possibile non est
distinctio virtualis prædicata intrinseca contradictoria
realiter componens; possibile enim, & contradictorium
termini sunt implicantes in differentia creata. Et ratio est,
nam ea prædicata componuntur in Deo ratio-

Implicat in
creatis distinctio
virtualis prædicata
intrinseca contradictoria
componens.

ne perfectionis illimitatæ, & infinitæ, cum autem omne creatum finitum sit, & limitatum, inde rem esse creatam, & contradictoria realiter componere, chymera est. Sicuti quia identificari realiter cum tertio, & non identificari inter se componuntur in diuinis ratione perfectionis illimitatæ, & infinitæ, eo ipso in creatis, vbi omnia finita & limitata sunt, chymera est, duo esse idem realiter cum tertio, & non esse idem realiter inter se. Nec in hoc maior vlla repugnantia scintillare potest, quam in compositione prædicatorum realiter contradicentium: vtrumque ergo vno iure negandum est in creatis. Aliter inscrutabilia Trinitatis, & libertatis diuinæ mysteria beneficio distinctionis virtualis in diuinis composita, possibilia quæ forent in creatis.

Implicat
etiam com-
ponens præ-
dicata con-
tradictoria
extrinseca.

62. Affero secundò, impossibilem quoque esse in creatis distinctionem virtuales prædicata extrinseca contradictoria realiter componentem. Ratio aliorum est prima, quia ea extrinseca contradictoria componi non possunt, quin intrinseca componantur. Nam eo ipso quod animal terminet realiter cognitionem, & eandem non terminaret realiter rationale, aut è contra, esset intrinseca capacitas in animali, ad terminandum realiter cognitionem sui solius; & ea intrinseca capacitas non esset in rationali, cum istud capacitatem intrinsecam habere non possit terminandi realiter cognitionem, quæ realiter solius animalis sit cognitio, & non rationalis; sicut paries capacitatem intrinsecam non habet terminandi cognitionem solius papyri, eo quod cognitio solius parietis extendi non possit ad papyrum exprimendam: cognitio autem solius animalis extendi non posset ad rationale: ergo in isto non esset intrinseca capacitas terminandi cognitionem solius animalis: esset autem in animali: ergo.

63. Secunda ratio est, quia prædicata contradictoria extrinseca sunt intrinseca respectu alicuius. Vnde Petrus eodem tempore non potest eidem loco esse præsens, & non esse, etiam si præsentia nihil sit intrinsecum; similiter neque potest eodem tempore durare, & non durare; esse:

Disp. VII. De dist. attrib. ab essent. Sect. IV. 285

esse posteriorem tempore Paulo, & non esse; coëxistere Ioanni, & non coëxistere; nec id distinctis virtualitatibus præstare potest, etiamsi sint prædicata extrinseca subiecto: ergo neque præstare poterit, cognosci, & non cognosci, ab eadem cognitione; cum omnia sint prædicata contradictoria, æqualiter extrinseca subiecto. Idem vrgeri potest prædicatis aliis apud aduersarios extrinsecis, scilicet, similitudinis, æqualitatis, veritatis, & falsitatis. Nam eadem res nequit esse similis, aut æqualis alteri, & non esse. Idem actus respectu eiusdem obiecti nequit esse verus, aut falsus, & non esse.

64. Dices, rationale etiam terminare realiter cognitionem animalis, non verò formaliter, & id sufficere distinctioni virtuali. *Contra primò*, quia vel terminare animal formaliter cognitionem sui, & non illam terminare formaliter animal, sunt prædicata realiter contradictoria, vel non. Si sunt, constat ex dictis componi non posse. Si non sunt: ergo in creatis nulla est distinctio virtualis componens prædicata realiter contradictoria adhuc extrinseca, quod intendimus. *Secundò*, nam ex responsione apertissimè sequitur, esse in animali formaliter capacitatem terminandi cognitionem sui, & eam capacitatem non esse formaliter in rationali. Rogo ergo, quid sit, eam capacitatem non esse formaliter in rationali. Si sit, non esse per rationem tantum; id per vos solum arguit distinctionem ex modo concipiendi, vt in ente, & differentia. Si verò sit ultra, non esse virtualiter in rationali eam capacitatem; id est, supponere distinctionem virtuales, de qua differitur, & rem inexplicatam relinquere, vt attingimus iam supra. Si verò sit capacitatem formalem terminandi cognitionem solius animalis, esse realiter in animali, & non in rationali: hæc sunt prædicata intrinseca contradictoria, sicut in plurium aduersariorum sententia capacitas terminandi formaliter, seu termini formalis generationis verbi, realiter in intellectu reperta, & non in volitione prædicata sunt contradictoria intrinseca: ergo.

Effugium ab aliquibus tentatum præcluditur.

Tertia ratio mihi longè solidior est. Quia prædicata contradictoria extrinseca subiecto, essent intrinseca formæ, alicui enim intrinseca essent: ergo cum prædicata contradictoria intrinseca implicent in creatis, etiam forma, cui ea prædicata intrinseca forent, implicaret. Vel ergo subiectum connecteretur possibilitati talis formæ, vel non? Si connecteretur, implicante forma, etiam subiectum implicaret; atque adeò distinctio virtualis in illo chymera foret. Si non connecteretur, posset quidem illud subiectum de se suscipere prædicata contradictoria formæ sibi extrinseca, nam etiam si illa implicaret, etiam si illa esset, & non esset, maneret subiectum, suscipiens prædicata extrinseca contradictoria, coexistentis formæ, & non coexistentis, cum forma existeret, & non existeret. Id autem non sufficit distinctioni virtuali, nam quælibet formalitas indiuisibilis, & inconnexa alteri, tam diuina, quam creata, ea prædicata extrinseca suscipere potest; existente enim, & non existente forma, quælibet formalitas subiecti coexisteret illi, & non coexisteret: ergo propter prædicata contradictoria extrinseca nulla est possibilis distinctio virtualis.

Obiectio
sumpta ex
actu, qui si-
mul est amor
Dei, & odiū
peccati.

65. Objicit primò P. Lynceus. Idem realiter actus creatus potest esse amor vnus obiecti, & odium alterius: in huiusmodi autem actu formalitas amoris, & odij componunt prædicata realiter contradictoria: ergo distinctio virtualis componens prædicata, realiter contradictoria, possibilis est in creatis. Maior patet in actu contritionis odio habente malitiam peccati propter diuinam bonitatem, qui est amor diuinæ bonitatis, & odium peccati. Vel in actu odio habente peccatum propter ipsius malitiam, vt oppositam diuinæ bonitati, & simul diuinam bonitatem propter seipsam diligente, si fortè renuas bonitatem posse esse motiuum odij. Minor probatur, nam de formalitate amoris verum est dicere; quod realiter terminatur ad diuinam bonitatem, & non ad peccatum; è contra verò, de formalitate odij verum est dicere, quod realiter terminatur ad peccatum, & non ad diuinam bonitatem:

tatem: hæc autem sunt prædicata contradictoria: ergo. Maior ostenditur, nam si formalitas amoris terminaretur ad peccatum, esset amor illius, nec enim amare peccatum, aliud non est, quam amorem meum ad peccatum terminari; & si formalitas odij terminaretur ad diuinam bonitatem, esset odium illius; me enim odisse Deum, aliud non est, quam odium meum ad Deum terminari: formalitas autem odij in eo actu non est realiter odium Dei, nec formalitas amoris est realiter amor peccati, cum id malum sit, actus autem bonus: ergo nec formalitas odij terminatur realiter ad Deum, nec formalitas amoris ad peccatum.

66. Respondeo, concessa maiori, negans minorem. Ad cuius probationem dicimus, formalitatem amoris terminari ad peccatum, non quidem amando illud, sed odio prosequendo; similiterque formalitatem odij terminari ad Deum, non quidem odio habendo illum, sed amore prosequendo. Eandem autem formalitatem terminari ad Deum diligendo illum, & non odio habendo; & terminari ad peccatum odio prosequendo illud, & non amore, non sunt contradictoria cum sint respectu diuersorum. Sicut in formalitate cognitionis attingente creaturam directè, & Deum indirectè, nulla est contradictio, quod terminetur ad creaturam, directè attingendo illam, & non indirectè; & quod terminetur ad Deum indirectè attingendo illum, & non directè. Contradictio ergo esset, si eadem formalitas amoris terminaretur, & non terminaretur ad Deum, vel terminaretur amando, & non amando illum: aut si terminaretur, & non terminaretur ad peccatum, vel terminaretur odio, & non odio prosequendo illud.

67. Objicies secundo, in albedine ratio disgregatiua visus, & ratio dependentiæ à Deo sunt extrema realiter indistincta: fundant autem prædicata realiter contradictoria: ergo. Minor probatur, quia ratio disgregatiua terminat realiter visionem ocularem, & eandem visionem, non terminat realiter ratio dependentiæ; terminare au-

Quomodo utraque formalitas eius actus terminatur ad Deum, & ad peccatum.

Secunda obiectio in albedine a visus, & dependentia à Deo.

tem

tem realiter, & non terminare eandem visionem, sunt prædicata realiter contradictoria. Secunda maioris pars probatur, quia si ratio dependentiæ albedinis à Deo visionem ocularem terminaret, illam etiam terminaret Deus cum dependentia essentialis ab aliquo termino videri non possit, non viso termino; implicat autem videri Deum oculo corporeo, vt videbimus tract. de visione disp. 15. ergo & implicat rationem dependentiæ terminare realiter visionem ocularem.

Etiamsi dependentia albedinis à Deo videatur visione oculari, non tamen Deus.

68. Respondeo, visionem ocularem albedinis non minus terminari ad ipsam albedinem, quam ad dependentiam illius à Deo, & ad omnem conceptum ipsi realiter identificatum. Nec inde fit, videndum fore Deum adhuc indirectè. Tum, quia sensus externi reflexiui non sunt, ex eorum limitatione, quo fit, vt visa dependentia albedinis à Deo, nec videatur Deus, nec videri potest visione corporea. Tum etiam quia licet sensus externi reflexiui essent ab vno obiecto sensibili in alterum sensibile, non tamen ab vno sensibili, in alterum spirituale, & nullo modo sensibile, qualis est Deus; quia sensibile est ratio formalis adæquata sensûs, quæ ratio cum Deo repugnat, quoque repugnat visionem sensibilem terminare. Vnde licet dependentia albedinis à Deo, vtpote sensibilis, videatur, sistit in ea visio, quia in ea finita est, & consummata sphaera sensus. Sicut intellectus progredi non posset ab vno obiecto vero in aliud, quod verum non esset, quia sphaera illius, in solo vero consummata est.

Tertia obiectio à ratione entis, & differentia malitiæ.

69. Objiciet tertio, in peccato malitia, & ens, sunt realiter idem: suscipiunt autem prædicata realiter contradictoria: ergo. Maior nostris Doctoribus communis est. Minor probatur, quia peccatum, qua ens est, à Deo est, tanquam à causa, qua verò malitia, à Deo non est, tanquam à causa, sed à nobis. Insuper peccatum, qua ens, bonum est; qua verò malitia, bonum non est: ergo ens & malitia suscipiunt prædicata contradictoria. *Respondeo*, peccatum qua ens, & qua malitia, esse à Deo tanquam à causa permissiua, & quoad neutrum esse à Deo tanquam à causa

à causa propria & per se. Similiter dicendum est peccatum, & qua ens, & qua malitia, malum esse moraliter, & quoad neutrum bonum esse, in quo nulla est contradictio. Plura circa hæc dedimus tract. de voluntate disp. 14. vbi etiam sect. 2. mens Augustini, & Thomæ declarata est.

70. Objicies quartò, eadem realiter cognitio potest esse clara; & intensa respectu vnus, v. g. creaturæ, & obscura, & remissa respectu alterius, videlicet creatoris: id intelligi non potest, nisi prædicata contradictoria componantur: ergo. Minor probatur, quia habere formam, & carentiam eiusdem formæ sunt prædicata realiter contradictoria; illa autem cognitio respectu creaturæ haberet formam claritatis, & intensionis, & carentiam talis formæ respectu Dei: ergo & prædicata realiter contradictoria. Missis aliquibus modernis respondentibus, contradictorium non esse eandem rem habere simul formam, eiusdemque carentiam respectu diuersorum, nihil enim magis est contradictorium, quam formam, eiusque carentiam simul in eodem subiecto, respectu quorumcunque consideratur, cum vna sit alterius destructio.

71. Respondeo ergo, concessa maiori, negans minorem. Ad probationem concessa maiori, nego suppositum in minori, videlicet claritatem, & intensionem respectu creaturæ, & claritatem, & intensionem respectu Dei esse eandem formam, non est, nisi diuersa, & distincta, cum de facto in ea cognitione realiter separentur. Vnde eam cognitionem habere formam claritatis respectu creaturæ, & carentiam formæ claritatis respectu creatoris, non est habere formam eiusdemque carentiam, sed cum vna forma habere carentiam alterius, in quo nulla est contradictio. Quod si istes, quia eadem, quæ est claritas, & intensio respectu creaturæ, non est claritas, & intensio respectu Dei: ergo est carentia eiusdem claritatis, & intensionis, & non formæ diuersæ in ea cognitione. Respondeo falsam esse consequentiam, quia claritatem respectu creaturæ, non esse claritatem respectu Dei, non est

Quarta obiectio à claritate, & intensione cognitionis respectu vnus, & non alterius.

Eos conceptus minimè oppositos esse declaratur.

carentia claritatis, sed identitatis inter claritatem respectu creaturæ, & claritatem respectu Dei, cum quo bene stat, esse in eo actu claritatem respectu creaturæ, quin sit carentia illius, sed sola carentia identitatis vnius claritatis cum alia, in quo nulla est contradictio. Nam de facto tua anima rationalis stat in materia absque priuatione sui & cum negatione identitatis cum mea anima rationali. Quod diligenter aduertendum est, quoties similis assumatur argumentandi norma.

Idem exemplo
comuni
confirmatur.

72. Res amplius declaratur, & confirmatur, in actu attingente directè creaturam, & indirectè tantum creatorem. In eo enim actu formalitas directà creaturæ, & formalitas indirectà creatoris, distingui virtualiter non possunt, aliter vtraque directà foret; nam formalitas attingens directè creaturam vt talem, non indirectè creatorem attingeret, sed sola formalitas, quæ dicitur indirectà; illa autem non attingeret creatorem in creatura, aliter esset formalitas directà creaturæ: ergo attingeret creatorem in se ipso, atque adeo directè. Vnde clarum est, eas formalitates non componere prædicata contradictoria: componunt autem habere formam tendentiæ directæ in creaturam, & non habere formam tendentiæ directæ in creatorem: ergo hæc non sunt contradictoria. Id autem non ex alio capite prouenire potest, nisi quia illum actum non habere tendentiam directam in creatorem, non sibi vult habere carentiam tendentiæ directæ in creaturam, sed habere negationem identitatis tendentiæ directæ in creaturam cum tendentiâ directâ in creatorem: ergo nostra solutio tenenda est ab aduersariis.

Obiectio
quinta à similitudine,
& dissimilitudine.

73. Objicies quintò, absque prædicatis contradictoriis non potest eadem entitas esse similis, & dissimilis alteri. Homo autem est realiter similis & dissimilis leoni, similis in conceptu animalis, & dissimilis in rationali: ergo. Minor videtur certa, quia si homo non solum esset similis leoni in conceptu animalis, sed etiam in conceptu rationalis, non esset maior similitudo hominis cum homine, quam hominis cum leone, cum similitudo

homi

Disp. VII. De dist. attr. ab essen. Sect. IV. 291

hominis cum homine, sit similitudo in vtroque conceptu animalis, & rationalis: ergo si in vtroque eodem conceptu esset homo similis leoni, maior non esset similitudo hominis cum homine, quam cum leone. Maior ergo illa probatur, quia absque prædicatis contradictoriis non potest eadem entitas esse similis, & non similis alteri: ergo neque poterit esse similis, & dissimilis, cum dissimilitudo sit non similitudo. *Confirmatur*, eadem entitas absque prædicatis contradictoriis non potest esse alteri quantitativè æqualis, & inæqualis: ergo neque similis, & dissimilis.

74. Respondeo negans maiorem. Ad probationem concessio antecedente, neganda est consequentia; quia non similitudo est carentia similitudinis, atque adeo prædicatum similitudini contradictorium; dissimilitudo autem non est, non similitudo in rationali reperta, sed in effectu illius, scilicet discursu, etenim quia ~~sententia~~ communis est homini cum leone, inde totus homo in ordine ad sensationem similis est leoni, & quia discursus communis non est, inde totus, & idem homo dissimilis est leoni, & magis similis alteri homini, quia discursus vtrique communis est. Quod autem sensatio communis sit homini cum leone, non verò discursus, nulla est contradictio. Ad confirmationem, concessio antecedente neganda est consequentia. Nam æqualitas consistit in indivisibili; eo enim ipso quod vna linea alteram excedat vno solo puncto æqualis illi non est, inde æqualitas secum affert carentiam inæqualitatis. Similitudo autem non stat in indivisibili, cum detur vna maior alia, magis enim similis est homo homini, quam leoni.

Similitudo,
& dissimilitudo nulla fundant prædicata contradictoria.

S E C T I O V.

Reliquæ obiectiões ad distinctionem pertinentes solvuntur.

Sexta obiectio à determinatione quoad individuum, & non quoad speciem, declarata.

75. **O**bjicies sextò, Deus realiter determinat voluntatem liberam, quoad individuum, & non quoad speciem: ergo differentia individualis est realiter terminus diuinæ determinationis, & non specifica, hæc sunt prædicata contradictoria: ergo. *Respondeo*, Deum non dici determinare ad individuum, & non ad speciem, quia ponat connexionem aliquam cum differentia individuali, & non cum ratione specifica illius: sed quia negato concursu ad cæteros amores, numero distinctos, præparat concursum ad amorem. A v.g. tam quoad differentiam individualem, quam quoad specificam illius propriam, idemque est, de odio, in quo nulla est contradictio: nam re strictè discussa, non minus, nec aliter determinat Deus ad differentiam individualem, quam specificam; etenim, negando concursum ad cæteros numero amores & odia, etiam negat illum ad differentias specificas proprias eorum, & concedendo illum ad differentiam individualem amoris A, & odij, etiam concedit ad differentiam specificam, propriam eorum.

Septima obiectio à possibilitate, & existentia creaturæ.

76. Objicies septimò, possibilitas intrinseca Petri, eiusdemque actualis existentia sunt realiter idem: componunt autem prædicata realiter contradictoria: ergo. Minor probatur quia possibilitas intrinseca Petri est realiter terminus scientiæ simplicis intelligentiæ, eiusque connexionis, quam habet, saltem quoad efficaciam, cum possibilibus: existentia autem actualis Petri non est realiter terminus illius scientiæ, aut connexionis illius, sed tantum est terminus scientiæ visionis, quæ distincta est à simplici intelligentiâ, etiam quoad efficaciam: esse autem realiter terminum,

Disp. VII. De dist. attrib. ab essent. Sect. V. 293
minum, & non esse eiusdem scientiæ, & connexionis sunt
prædicata realiter contradictoria: ergo. Hæc obiectio con-
tinet grauem illam difficultatem de distinctione scientia-
rum simplicis intelligentiæ, & visionis. Ex dictis ergo de
scientia Dei.

77. Respondeo, eas scientias non distingui ex parte ob-
iecti, sed ex modo tendendi in idem omnino obiectum;
atque adeo non minus possibilitatem, quam existentiam
Petri vtramque scientiam, eiusque connexionem termi-
nare. Nam scientia simplicis intelligentiæ ita habet,
Si Petrus eiusque actualis existentia essent, nihil implicarent;
quæ scientia possibilitatem simul, & existentiam attingit,
non tamen attingit modo absoluto, sed conditionato.
Scientia verò visionis ita habet, *Possibilitas, & existentia
Petri sunt & nihil implicant;* quæ scientia possibilitatem si-
mul, & existentiam attingit, non tamen attingit modo
conditionato, sed absoluto, quo distinguitur à simplici
intelligentia. Hinc fit simplicem intelligentiam nullam
habere connexionem absolutam cum possibilitate, aut
existentia Petri, atque adeo posse existere, quin aliqua
earum actu sit, & absolutè, scientiam verò visionis absolu-
tam cum vtraque connexionem habere, atque adeo non
posse existere, quin vtraque actu, & absolutè sit pro sua
temporis differentia, ad quam visio terminatur. Et ratio
est, quia modus tendendi conditionatus in obiectum non
pendet ab eo quod obiectum re ipsa sit, vel non sit absolu-
tè, vt patet in scientia, promissione, & contractibus con-
ditionatis, secus verò absolutus infallibilis, qualis est di-
uinus.

78. Objicies octauò. In actu intrinsecè vero, qualem
nos admittimus, veritas, & qualitas sunt realiter idem:
componunt autem prædicata realiter contradictoria: ergo.
Minor probatur, quia qualitas realiter suscipere po-
test magis, & minus; veritas autem non potest, cum in
indiuisibili consistat: potestas autem suscipiendi magis,
& minus, & carentia talis potestatis contradictoria sunt:
ergo. Nec satisfaciunt Recentiores negantes ea esse præ-

Scientiæ di-
uinæ non
distinguan-
tur ex parte
obiecti crea-
ti possibilis
& existen-
tis.

Octaua ob-
iectio à va-
rietate actus
& intentio-
ne eiusdem.

dicata contradictoria, quia sunt respectu diuersorum, nam, vt attingimus obiectione 4. forma eiusque carentia in eodem subiecto nec respectu diuersorum componi possunt, quia ergo hæc obiectione simillima est illi, similis etiam responsio exhibenda est.

Nolla ibi
latent con-
tradictoria.

79. Respondeo ergo, qualitatem posse quidem suscipere magis, & minus quoad gradus intensiōis, quod augmentum, & diminutio quid reale est; & quoad hoc etiam veritatem suscipere posse, magis, & minus, non minus nec aliter, quam ipsam qualitatem. Magis verò, aut minus in veritate, non sunt augmentum, aut diminutio realis, sed chymera, quam nec qualitas, nec veritas suscipere possunt. Qualitatem autem habere potentiam suscipiendi magis, & minus quoad gradus intentionis, & augmentum reale, eandemque habere veritatem, & vtramque habere carentiam potentiæ suscipiendi magis, & minus, quoad augmentum chymerum in veritate, contradictoria non sunt, vt per se patet, nam carentia illa non est formæ existentis in actu, sed non existentis, nec existere valentis, vt constat ex dictis ad 4. obiectionem.

Nona obie-
ctio quia
cognosci po-
test animal
non cognito
rationali.

80. Objicies nonò, Animal, & Rationale in homine componunt prædicata realiter contradictoria: ergo & distinctionem virtuales intrinsecam. Antecedens probatur, nam cognosci animal, & per eandem cognitionem non cognosci rationale, sunt prædicata realiter contradictoria: hæc componuntur: ergo. Minor probatur, nam cognita sensatione, cognoscitur illius principium, nempe animal: non autem cognoscitur rationale: ergo. Minor probatur, quia potest cognosci sensatio, quin cognoscatur discursus, vt patet in brutis: non autem posset, si cognita sensatione cognosceretur rationale: ergo non cognoscitur. Minor ostenditur, quia cognito rationali, cognoscendus est discursus, saltem in obliquo: ergo si cognita sensatione cognoscendum esset rationale, non posset cognosci sensatio, quin cognosceretur discursus in obliquo. Antecedens probatur, quia rationale est ordo transcendentalis ad discursum, non minus, quam sensatio ad animal: ergo sicut cognita

cognita sensatione, cognoscendum est animal, ita cognito rationali, cognoscendus esset discursus.

81. Confirmatur primò, cognito respectu transcendentali directè, & in recto, necessario indirectè, & in obliquo cognoscendus est terminus illius, si autem animal, & rationale virtualiter idem essent, virtualiter quoque forent vnus, & indiuisibilis ordo transcendentalis ad sensationem, & discursum; atque adeo non posset cognosci ordo transcendentalis ad sensationem, quin pariter ordo transcendentalis ad discursum nosceretur: ergo neque posset cognosci animal, quin cognosceretur discursus, saltem indirectè, & in obliquo, sicut non potest, quin cognoscatur sensatio, quod est contra manifestissimam experientiam. *Secundò*, quia dum quis videt à longè, aliquid se mouere motu progressiuo, cognoscit, illud, quod ita mouetur, esse animal; non tamen cognoscit esse hominem, quamuis re ipsa homo sit: ergo cognoscit animal, & non cognoscit rationale, vel saltem dubitat de rationali, cum de animali non dubitet, quæ non minus contradictoria sunt, quam cognosci animal, & non cognosci rationale.

Duplex eiusdem argumenti confirmatio.

82. Respondent aliqui cognita sensatione, cognosci rationale, non tamen clarè, sed confusè, quod non sufficit, vt in illo discursus cognoscatur. Non placet, nam cognosci clarè animal, & non ita cognosci rationale per eandem cognitionem, non minus contradictoria sunt, quam cognosci, & non cognosci, ideo enim ista contradictoria sunt, quia animal terminaret cognitionem, & eandem non terminaret rationale; animal autem terminaret claritatem, eandemque non terminaret rationale: ergo omnia pariter contradictoria erunt; atque adeo responsio incidit in idem inconueniens, quod fugere desiderabat.

Aliquorum responsio insufficientis.

83. Respondent alij *secundò*. cognita sensatione, cognosci etiam clarè rationale, non minus quam animal; neutrum tamen cognosci in ordine ad discursum, sed tantum in ordine ad sensationem, seu tanquam principium illius,

Aliorum responsio de cognitione animalis per speciem sensationis.

quia

quia totus homo cognoscitur per speciem sensationis, & non per speciem discursus. Hæc tamen responsio, quamvis circa cognitionem hominis in sensatione sustineri possit, sufficiens tamen non est circa cognitionem hominis in se ipso. Nam cum iste sit indivisibilis respectus ad sensationem, & discursum, & possit in se ipso cognosci per propriam speciem in ordine ad sensationem, & non in ordine ad discursum; explicanda desideratur ratio, unde cognitio attingens indivisibilem ordinem transcendentalem ad plures terminos in vnum ita deflectat, ut alterum nullatenus attingat, quo pacto beati in indivisibili omnipotentia, non omnia possibilia, sed aliqua pertingunt, cum tamen omnipotentia æqualis sit, & indivisibilis respectus ad omnes creaturas possibiles. Quæ erat difficultas prioris confirmationis.

Ordo transcendentalis a plura non est medium necessitans, ad omnia in illa cognoscenda.

Vnde vnus terminus potius quam alter cognoscatur.

84. Ut clarius ad argumenti solutionem procedamus, doctrinam in eo implicitam explicare necesse est. Circa respectum ergo transcendentalem ad plures terminos, qui erat basis, & fundamentum illius, censeo, ordinem transcendentalem, esse quidem medium aptum, & sufficiens, ut in illo omnes, & quicumque illius termini cognosci possint; non verò esse medium necessitans, ut omnes in illo, etiam in se ipso cognito, cognoscantur adhuc indirectè. Ratio secundæ partis est (de prima enim non est, qui ambigat) finitas, & limitatio intellectus nostri, & dependentia illius ab impari, & dissimili excitatione specierum ad cognoscendum necessaria. Nam intellectus, & species impressa propria, ad cognoscendum indivisibilem respectum, plurium terminorum in se ipso, determinari, & excitari possunt, vel determinatione cum vno tantum termino connexa, & tum erumpit cognitio totius respectus in se, & vnius tantum termini in illo, vel determinatione cum duplici tantum termino connexa: & tunc concipitur cognitio totius respectus in se ipso & duplicis tantum termini in illo, & sic de cæteris. Quod si determinatio cum omnibus terminis connexa sit, omnes in illo cognoscendi erunt. Hæc mihi est ratio communis

munis experientia, qua eandem rem modo cognoscimus in ordine ad vnum terminum, prorsus immemores alterius, modo in ordine ad alterum similiter immemores illius, quam doctrinam diuersis tractatibus tradidimus sapius.

85. Hinc facillima est argumenti, & primæ confirmationis solutio. Nam etiamsi homo sit indiuisibilis respectus ad vtramque operationem sentiendi, & discurrendi; cum ille cognosci possit in ordine ad vnam, & non in ordine ad alteram, etiam in se ipso; quantumuis cognita sensatione cognoscatur totus homo, totusque respectus, nihil cogit, vt in eo discursus adhuc indirectè cognoscatur, quia tunc non stat determinatio connexa cum discursu, quod necesse erat, sed cum sola sensatione, quod non sufficit. Et hæc eadem determinatio est ratio cognoscendi hominem in ordine ad sensationem, & non in ordine ad discursum, quod citra doctrinam nostram non ita facilè declarari potest, vel saltem non ita clarè.

Argumenti solutio.

86. Ad secundam confirmationem, dum à longè videmus aliquid progressiue moueri. Respondeo, tunc rationale eadem claritate cognosci, qua animal, si quod mouetur homo sit. Quia tamen totus homo cognoscitur tunc in ordine ad solam sensationem, & nullatenus in ordine ad discursum, inde vulgo dicitur cognosci animal, & non rationale, quia sola cognoscitur sensatio, quæ est operatio communis homini cum bruto, & non cognoscitur discursus, quæ est propria hominis operatio. Quod idem fateri tenentur aduersarij non distinguentes virtualiter rationem entis, & indiuidui, ab vltimis differentiis singularibus; nam dum longissimè videtur aliquid, clarè cognoscimus illud esse ens, & indiuiduum; non tamen clarè cognoscimus, quale indiuiduum sit. Hoc ergo solo nec probantur in creatis prædicata contradictoria, nec distinctio virtualis intrinseca.

Confirmationis solutio.

87. Objicies decimò, & vltimò. Nulla est ratio, cur in diuinis cum identitate reali componi possint prædicata contradictoria, & non in creatis. Nam sicut in diuinis ea

vltima obiectio in diuinis non pugnât præ-

dicata con-
tradictoria:
ergo neque
in creatis.
Ratio diuer-
sitatis P. Ant.
Perez.

prædicata cum distinctione virtuali nihil implicant, ita neque in creatis cum ea distinctione implicarent: ergo.

88. P. Antonius Perez disp. 1. de Trinitate cap. 2. num.

64. & sæpius alibi, censet ideo in creatis implicare susceptionem prædicatorum contradicentium, non verò in diuinis; quia omnis perfecta identitas est summa vnitas, & communicatio, & è contra, nullam patiens diuisionem, aut differentiam inter ea, quæ sunt summè idem. Si autem formalitas *A* creata componeret prædicata contradictoria cum formalitate *B*, hoc ipso non haberet summam vnitatem cum illa, nam maiorem haberet cum se ipsa; formalitas enim *A* ita sibi est vna, vt nihil de ipsa dici possit, quod idem de ipsa negare possemus, quam vnitatem non haberet cum formalitate *B*, cum id idem, quod de vna dici posset, de altera negare possemus: ergo formalitas *A* haberet secum quasi duplicatam vnitatem, & cum formalitate *B* quasi simplicem; haberet enim cum formalitate *B* vnitatem communicationis, & non aliam, secum verò haberet & vnitatem communicationis non minorem, & præterea vnitatem repugnantiam ad prædicata contradictoria: maior igitur, & perfectior esset vnitas, qua secum esset vna, quam vnitas, qua esset vna alteri; cum vnitas finita, additione vnitatis, maior fiat, & perfectior: ergo formalitas *A* non haberet summam vnitatem cum formalitate *B*, qualem habet secum; atque adeo non esset perfectè idem cum illa.

Insufficiencia præcedentis rationis ostendi. ur.

89. Non placet, videtur enim idem sequi in diuinis, nam formalitas naturæ habet secum quasi duplicatam vnitatem, & cum formalitate Paternitatis, quasi simplicem: haberet enim cum Paternitate vnitatem communicationis infinitam, secum vero eandem, & ultra vnitatem repugnantiam suscipiendi prædicata contradictoria, qualem repugnantiam cum Paternitate non habet, atque adeo formalitas naturæ non habet summam vnitatem cum Paternitate, qualem habet secum: ergo neque perfectam identitatem.

90. Respondet, vnitatem solam infinitæ communicationis

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. V. 299

tionis æquipollere vnitati infinitæ communicationis simul cum vnitare repugnantia ad prædicata contradictoria, & vtriusque eandem esse æstimationem; id enim est rei infinitæ proprium, vt multiplicatum æstimatione non crescat. Sic Deus solus tantum est bonum, tantæque æstimatione dignum, quanta Deus, & creatura simul: vna persona, quam tres simul, & vnus actus Christi, quam omnes respectiue ad præmium. Potest enim res infinita numero, & extensiuè augeri, æstimatione non potest. Potest titulus infinitudinis multiplicari, non valor; & præmium. Sic Trinitas habet plures infinitudinis titulos personales, quam vnica persona, sed honorabilior non est, nec maioris valoris aut prætij. Quod aliter contingit in creatis, vbi cum omnia finita sint, vnitatis additione vnitatis, fit maior, & perfectior vnitatis, atque adeo maior, & perfectior communicatio.

Responso
eiusdem Au-
thoris.

91. Contra, quia ad distinctionem realem in diuinis non requiritur duplex vnitatis, quarum vna sit intrinsecè perfectior, aut æstimabilior altera; sed sufficit duplex vnitatis eiusdem omninò perfectionis, & æstimabilitatis; vt patet in Paternitate, & Filiatione, quæ apud aduersarium sunt omnino æquivalentes inter se, & vna vtrique simul, & æquivalentia vnus ad alteram, & vtrique simul, non obstat distinctioni, quia cum ea stat duplex vnitatis. Formalitas autem naturæ diuinæ habet duplicem vnitatem secum, scilicet, infinitæ communicationis, & repugnantia suscipiendi prædicata contradictoria, non verò cum Paternitate: ergo quamuis quælibet æquiualeat vtrique simul, non idem erunt. Sicut licet vnitatis Paternitatis æquiualeat vnitati Filiationis, & vtrique simul, quia tamen est duplex earum vnitatis, distinguuntur realiter inter se: ergo etiam essentia, & Paternitas ob duplicem earum vnitatem. Quod si dicas eas duas vnitates naturæ cum Paternitate, & se ipsa, sufficientes non esse distinctioni reali, quia sunt tantum virtualiter, aut ratione distinctæ, idem tibi dicetur in creatis. Nam identitatis realis perfecta tantum est summa vnitatis realis, qualem haberet vna formalitas

Replicat' on
tra respon-
sionem ex
distinctione
reali in di-
uinis.

malitas cum altera, non minus quam cum se ipsa; non verò vnitas virtualis, quam vna formalitas haberet cum se ipsa, & non cum altera.

Vnde in
creatis præ-
dicata con-
tradictoria
componi
non possunt.

92. Respondeo ergo insistsens his, quæ dixi sectionis initio, videlicet, ideò in diuinis componi posse prædicata contradictoria, & possibilem esse distinctionem virtualem, quia extrema infinita prorsus, & illimitata sunt, cum autem implicet, extrema esse creata & infinita; inde pariter implicat extrema esse creata, & prædicata contradictoria componere, seu distinctionem virtualem intrinsecam habere, quia hoc idem est esse infinita, & illimitata.

SECTIO VI.

Quæ perfectiones diuine distinguantur virtualiter inter se.

Relationes,
& essentia
virtualiter
distinguntur.

93. **A**ssero primò, relationes omnes distingui virtualiter ab essentia, & essentiam ab illis. Ratio est, quia essentia, & relationes componunt prædicata contradictoria; essentia enim communis est omnibus personis, nulla verò relatio communis est omnibus. Essentia communicatur Spiritui sancto, Paternitas autem, Filiatio, & Spiratio actiua non illi communicantur: Filiatio, & Spiratio passiuæ producuntur, essentia non producitur. Similiter dicendum est, relationes omnes distingui virtualiter ab omni perfectione absoluta, quia omnis perfectio absoluta est omnibus communis, & nulla relatio ita communis est.

Relatio Spi-
ratoris di-
stincta vir-
tualiter à
Paternitate
& Filiatione.

94. Assero secundò, relationem Spiratoris distingui virtualiter à Paternitate, & Filiatione. Quia identificatur illis, cum tamen istæ non identificentur inter se, quæ sine dubio prædicata sunt contradictoria. Insuper relatio Spiratoris non est relatio ad Patrem aut Filium, sed ad so-
lum.

Disp. VII. De dist. attr. ab essen. Sect. VI. 301

lum Spiritum sanctum: Paternitas autem est relatio ad Filium, & Filiatio ad Patrem. Præterea relatio Spiratoris non est principium, quo productuum Filij, Paternitas autem talis est, vt ostendimus de Trinitate. Denique relatio Spiratoris producta non est, Filiatio verò producta est: ergo.

95. Affero tertio, essentiam diuinam distingui virtualiter ab actuali intellectione tam necessaria, quam libera. De libera mihi certum est, ex dictis de voluntate Dei; vbi ostendi, tam volitionem, quam scientiam liberam potuisse non esse realiter in Deo; essentia autem non potuit non esse realiter, quæ sunt prædicata contradictoria: ergo. Hæc eadem ratio conuincit omnes perfectiones necessarias distinctas esse virtualiter à liberis; de intellectione necessaria ostensum est ex professo tum disp. 5. sect. 6. vbi probauimus essentiam metaphysicam positam esse in sola substantia intellectiua, seu actu primo intelligendi; tum etiam disp. 4. à sect. 3. vbi actum primum intelligendi distinctum virtualiter esse ab actuali intellectione necessaria multis stabiluimus, & prædicata contradictoria dedimus, videas ibi.

Essentia diuina distincta virtualiter ab intellectione tam necessaria, quàm libera.

96. Affero quarto, intellectionem, & volitionem necessarias distingui virtualiter inter se. Id idem latè tradidimus disp. 1. de voluntate sect. 4. fundamento sumpto ex tractatu de Trinitate disp. 7. & 10. Nam verbum diuinum, intrinsecè, & ex parte obiecti procedit potius per intellectionem, quam volitionem, & è contra Spiritus sanctus procedit potius per volitionem, quam intellectionem; imò verbum ita procedit per intellectionem, vt nec realiter procedat per volitionem; & Spiritus sanctus ita procedit per volitionem, vt nec realiter per intellectionem procedat. Quia etiamsi intellectio, & volitio sint realiter idem, ratione tamen distinctionis virtualis, sola intellectio est realiter communicatio, seu ratio formalis communicandi Filio cæteras diuinas perfectiones absolutas ipsi cum Patre, & Filio communes. Quæ omnia non hoc probanda sunt, sed ex proprio tract. de Trinitate

Intellectio, & volitio necessaria distinctæ virtualiter inter se.

supponenda : ea autem esse prædicata contradictoria quis dubitet : ergo.

Voluntas, & volitio necessaria distincta virtualiter ab essentia.

97. Affero quintò, voluntatem, & volitionem necessariam distingui virtualiter ab essentia diuina. Ratio est, quam fusè prosequuti sumus tractatu de voluntate disp. 1. sect. 3. quia tam voluntas, quam volitio necessaria sunt proprietates essentia: de ratione autem proprietatis est esse extra essentiam, cuius est proprietates, eamque consequi quod absque distinctione virtuali stare non potest: ergo. Maiorem stabilitimus ex sexta Synodo generali, cuius actio 18. ad firmandam duplicem in Christo voluntatem, diuinam, scilicet, & humanam, ita statuit. *Quemadmodum duas percipimus naturas, ita & duas naturales operationes & duas naturales voluntates cognoscimus. Neutram tamen earum, que Christi sunt naturarum in eius dispensatione audemus absque voluntate, vel absque operatione pronunciare, ne fortè earum parimentes proprietates, etiam naturas, quarum sunt proprietates perimamus.* In quibus voluntas diuina statuitur proprietates essentia; euasionesque aduersariorum præclusimus ibidem. Idem quod de voluntate, dicendum est de omnipotentia, utpote virtualiter indistincta à voluntate.

Voluntas distincta virtualiter ab intellectu necessaria.

98. Affero sextò, voluntatem diuinam distingui virtualiter ab intellectu necessaria. Ratio huius asserti petenda est ex tract. de Trinitate disp. 7. & 10. Nam intellectio necessaria est communicatio, seu ratio formalis communicandi respectu Filij, & talis non est voluntas. Insuper voluntas est principium communicatum respectu Spiritus sancti, & talis non est intellectio.

Voluntas distincta virtualiter à volitione necessaria.

99. Affero septimò, voluntatem distingui virtualiter à volitione necessaria. Ratio huius assertionis eadem est cum ea, quam pro distinctione intellectus ab intellectu dedimus conclusionem 3. & quam tradidimus ex professo tract. de voluntate disp. 1. sect. 2. ubi comprobauimus, volitionem necessariam esse operationem diuinæ voluntatis, & istam principium illius; tum ex sexta synodo nuper relata; tum etiam quia volitio necessaria est actus perfectissimè vitalis: de ratione autem actus vitalis est, quod

fit

fit perfectio ab intrinseco; manens scilicet in principio, à quo fluit: hoc autem principium est voluntas diuina uiuens, & volens per talem actum: ergo diuina voluntas est principium diuinæ volitionis necessariæ: non realiter formaliter producens ipsam: ergo virtualiter: idem autem non potest esse principium virtuale sui ipsius: ergo alterius virtualiter distincti; atque adeò diuina voluntas, & volitio necessaria virtualiter distinguntur. Tum denique, quia volitio necessaria est formalis communicatio respectu Spiritûs Sancti, & talis non est voluntas.

100. Affero vltimò, nullam perfectionem diuinam, siue relatiuā, siue absolutam distingui virtualiter ab attributis transcendentibus sibi propriis. Dixi, *sibi propriis*, quia quamlibet diuinā perfectionē distingui virtualiter ab attributis transcendentibus alterius virtualiter ab ipsa distincta, certum mihi est, aliter enim duæ perfectiones diuinæ essent idem virtualiter cum tertio, & non inter se, vnde fieret tertium distinguendum esse virtualiter ab vtraque, & non distinguendum. Non distinguendum, quia ita supponitur. Distinguendum, quia esse idem virtualiter cum vno tertio, & non inter se, sunt prædicata contradictoria arguentia distinctionem virtualem tertij cum extremis.

101. Probatur assertio, quia nulla perfectio diuina fundare potest prædicata contradictoria cum attributis transcendentibus sibi propriis: ergo nec ab illis virtualiter distingui. Antecedens probatur, quia attributa transcendentia fundare possent prædicata contradictoria, vel quia attributa sunt, seu proprietates essentia, & hoc non, quia reipsa proprietates non sunt, sed quidditas essentia, & solum dicuntur attributa, id est, prædicata transcendentia, quia in singulis diuinis perfectionibus denominatio reperitur. Vel quia diuersa reperiunt connotata, vel quia æquivalent rebus distinctis; & id non sufficere distinctioni virtuali constat ex dictis. Alioqui nulla est necessitas cogens ad huiusmodi distinctionem virtualem admittendam: ergo.

102. Confirmatur, nam existentia necessaria propria essentia

Nulla perfectio diuina distincta virtualiter ab attributis transcendentibus sibi propriis.

sentia nequit virtualiter ab illa distingui, vt latè profequuti sumus disp. 2. sect. 5. Præterea infinitas intelligendi, & amandi, aut producendi distingui virtualiter non possunt ab intellectu, voluntate, aut omnipotentia in diuinis, cum omnia ista intimè eas perfectiones habeant, vnaquæque in suo genere, & modo tendendi, & quoad vltimam differentiam infinitam, illimitatam; sicut differentia creata distingui non potest à conceptibus similitudinis, & finitatis. Idem dicendum est de aliis attributis transcendentibus, si in omnibus diuinis perfectionibus multiplicentur, de quo ex professo disp. 12. sect. vltima.

Doctrina
tentans, om-
nem distin-
ctionem vir-
tualem à Deo
expungere.

103. Sed dicere posset aliquis, nulla in diuinis componi prædicata contradictoria, etiam inter absoluta, & relativa, & consequenter nec vllam esse distinctionem virtualem. Quia nihil affirmatur de essentia, quod de relationibus negetur. Nam sicut de essentia dicitur, quod communicatur Filio, ita etiam dicitur de Paternitate, quod communicatur Filio, non communicatione Paternitatis, sed communicatione essentia. Et sicut de Filiatione dicitur, quod producit, pariter dicitur de essentia, quod producit, non productione essentia, sed productione Filiationis. Idemque de distinctione, aliisque prædicatis cum proportione dicendum.

Præfata do-
ctrina con-
tutatio.

104. Contra *primò*, nam Paternitatem communicari communicatione essentia, & non communicari communicatione Paternitatis, est, dari communicationem essentia, & non dari communicationem Paternitatis; & essentiam produci productione Filiationis, & non produci productione essentia, est dari productionem Filiationis, & non dari productionem essentia: id autem aliud non est, quam communicari essentiam, & non communicari Paternitatem; produci filiationem, & non produci essentiam, quæ sunt prædicata contradictoria: ergo. *Secundò*, vel productio Filiationis est productio Filiationis solius, vel illius simul & essentia? Si primum: ergo essentia non est producta; est autem producta Filiatio, quæ sunt prædicata contradictoria: ergo. Si secundum: ergo
sicut

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. VI. 305

sicut Filiatio est producta productione sui, ita & essentia, quod dici non potest. *Tertio*, quia essentiam communicari communicatione sui, & Paternitatem non communicari communicatione sui, sunt prædicata contradictoria, & similiter Filiationem produci productione sui & essentiam non produci productione sui: ergo. *Quarto*, quia si Paternitas dici posset communicari Filio communicatione essentia, similiter dici posset, Paternitatem esse communem omnibus personis communitate essentia, illis similiter identificari identitate essentia, & humanitatem Christi terminare terminatione essentia, quæ omnia Conciliorum, Patrumque locutiones in mysterio Trinitatis valdè confunderent, & perturbarent. *Quinto*, quia absolutè, & sine addito hæc propositio, *Pater est Filius*, sustinenda non est; nec ista altera absolutè negari potest, *essentia est Filius*, quæ absolutè sunt prædicari contradictoria de Patre, & essentia, *Ultimò*, hæc propositio falsa est, *Essentia est multiplex multiplicitate relationum*, & etiam ista altera. *Persona in diuinis est unica unitate essentia*: ergo etiam ista falsa erit, *Paternitas communicatur communicatione essentia*.

105. Objicies primò, Concilium Florentinum ita statuens, *Porro autem ne diuinitatem coniunctionemque diuinæ substantia distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre, credere videamur*, &c. In quibus Florentinum solam distinctionem rationis statuit: Quæ autem virtualiter distinguuntur non sola ratione differunt, cum distinctio virtualis omnino sit independens à nostri intellectus consideratione: ergo inter relationes, & essentiam nulla stat distinctio virtualis, sed rationis tantum. *Respondeo*, Florentinum nullatenus excludere distinctionem virtualem inter relationes, & essentiam. Nam scopus erat firmare identitatem realem personalitatum cum essentia, quæ optimè stat cum distinctione virtuali. Nec verba illa, *non autem sola ratione*, intendunt hypostasēs, & essentiam solo nostro modo concipiendi distingui, sed prohibere, ne dicamus non solum

Concilium
Florentinum
obiectum, &
declaratum.

ratione, sed etiam re distingui, id est realiter, in quo nec syllaba est contra distinctionem virtualem, quæ re distinctio non est, sed tantum per æquivalentiam.

Distinctio
virtualis non
pugnat cum
identitate
reali, licet
identitas
virtualis pu-
gnet cum
distinctio-
ne
reali.

106. Objicies secundò, quæ realiter distinguuntur non possunt virtualiter identificari: ergo quæ realiter identificantur, non poterunt virtualiter distingui. *Respondeo*, concessio antecedente, negans consequentiam, quia identitas virtualis, cum strictior sit identitas, supponit realem, unde pugnat cum distinctione reali. Distinctio verò virtualis cum sit compositio prædicatorum contradicentium, & hæc inter extrema realiter identificata componantur, inde non pugnat cum identitate reali; imò sine illa consistere non valet, cum non sit re ipsa distinctio, sed solum per æquivalentiam.

Obiectio in-
culcans di-
stinctionem
virtualem, &
identitatem
realem inter
se pugnare.

107. Objicies tertio, iterum inculcans distinctionem virtualem: & identitatem realem inter se pugnare. Nam identitas realis ut sic, præcisâ ab identitate reali formali, & ab identitate reali virtuali, opponitur distinctioni reali ut sic, præcisâ à distinctione reali materiali, & à distinctione reali virtuali: ergo identitas realis ut sic, opponitur distinctioni virtuali: ergo identitas realis materialis opponitur etiam distinctioni virtuali. Antecedens videtur certum, nam identitas, & distinctio respectu ejusdem sunt termini inter se oppositi, sicut esse, & non esse. Prior consequentia probatur, nam distinctio virtualis participat conceptum distinctionis realis ut sic, præcisum à conceptu distinctionis realis materialis, & virtualis; sicut homo, & leo participant rationem communem animalis, ab utroque præcisam: ergo cum identitas realis ut sic opponatur distinctioni ut sic, etiam opponetur distinctioni virtuali participantem rationem communem distinctionis ut sic. Patet hæc consequentia, nam quod opponitur prædicato alicui, pariter etiam opponitur participantem illud; sic quia ratio accidentis opponitur substantiæ, etiam opponitur homini eam rationem substantiæ participantem: ergo cum identitas realis ut sic opponatur distinctioni reali ut sic, etiam opponetur distinctioni

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. VI. 307

distinctioni virtuali, utpote participanti conceptum distinctionis ut sic.

108. Posterior primi entymematis consequentia, scilicet, identitatem realem materiale opponi distinctioni virtuali, probatur. Nam quoties duo prædicata communia dicunt inter se oppositionem, eandem etiam dicunt inferiora eos conceptus communes includentia; sic quia prædicata communia accidentis, & substantiæ dicunt inter se oppositionem, eandem etiam dicunt homo, & qualitas, quæ sunt inferiora eos conceptus communes includentia; idemque est de ratione corporis, & spiritus respectu leonis, & Angeli: identitas autem materialis, & distinctio virtualis, sunt inferiora participanti rationes communes identitatis, & distinctionis ut sic, inter se oppositas: ergo etiam opponentur inter se; atque adeo inter relationes, & essentiam, cum stet identitas realis materialis, consistere non poterit distinctio virtualis.

109. Hanc obiectionem contra Scoticam distinctionem à Recentioribus armatam, solui disp. 2. de Trinitate sect. 4. & ibidem ostendi eodem ictu impetere distinctionem virtuale. Respondeo igitur ex ibi dictis, negans antecedens. Identitas enim ut sic, præcisa à reali, & virtuali, non opponitur distinctioni ut sic, similiter à reali & virtuali præcisa, sed præscindit ab oppositione, & non oppositione cum illa; ab oppositione quidem, quia distinctio ut sic præscindit à reali materiali, cui opponitur omnis identitas, & consequenter etiam identitas, & consequenter etiam identitas ut sic, & à reali virtuali, cui non opponitur identitas realis materialis, cum extrema realiter identificata videlicet, relationes, & essentia, component prædicata realiter contradictoria, in quo stat distinctio virtualis, ut constat ex dictis.

Præcedentis
obiectionis
solutio.

S E C T I O VII.

An perfectiones diuinae virtualiter inter se distinctae, distinguantur etiam formaliter obiectiuè.

Quid sit vnū
ab altero
formaliter
obiectiuè
distingui.

II O. **V**Num ab altero formaliter obiectiuè distingui, est, posse vnū directè; & in recto cognosci, altero non ita cognito. Dicitur non ita cognito, quia ad distinctionem formalem obiectiuam non opus est, vnū posse cognosci, quin aliud adhuc indirectè, & in obliquo cognoscatur; sed satis est, vnū posse directè, & in recto cognosci, quin aliud directè, & in recto cognoscatur. Nam indirecta cognitio, seu in alio, sicut non obstat distinctioni reali, ita obstat non potest distinctioni formali obiectiuè. Difficultas ergo est, an perfectiones diuinæ virtualiter distinctæ, & quæ prædicata aliqua realiter contradictoria componunt, componere etiam possint cognosci vnā directè, & in recto, altera non ita cognita; quod est obiectiuè distingui. *Prior sententia* negat perfectiones diuinas virtualiter inter se distinctas distingui etiam formaliter obiectiuè, quam tuentur P. Hurtadus disp. 6. metaphys. sect. 4. subsect. 6. P. Ouiedus controu. 4. metaphys. punct. 8. & docti Recentiores. *Posterior* affirmat quascumque perfectiones diuinas virtualiter inter se distinctas, distingui etiam formaliter obiectiuè, atque adeo posse directè cognosci, quin altera ita cognoscatur. Teneant hanc sententiam P. Vasquez 1. part. disp. 113. cap. 2. P. Arriaga disp. 5. metaphys. sect. 4. subsect. 2. & est communis inter Recentiores.

Fundamentū
sententiæ
affirmantis,
distingui ob-
iectiuè, quæ
virtualiter
distinguntur.

III. Sententias asserens, quascumque perfectiones diuinas virtualiter inter se distinctas, distingui etiam formaliter obiectiuè, probari solet, quia distinctio virtualis vnus perfectionis diuinæ ab altera, sine distinctione obiectiuæ

jectiua saluari non potest: ergo quæ virtualiter distinguitur, obiectiue quoque distinguendæ sunt. Consequentia optima etiam est apud aduersarios. Antecedens igitur probatur, nã eo ipso quod duæ perfectiones diuinæ virtualiter distinguantur, suscipere possunt prædicata realiter contradictoria, & vni debet realiter conuenire, quod alteri non cõueniat, vt constat ex dictis, & id idẽ quod affirmatur de vna debet non affirmari, sed negari de altera: id autem absque distinctione obiectiua consistere non potest: ergo. Minor probatur. Nam eo ipso quod de vna perfectione affirmari possit aliquod prædicatum, & idem de altera affirmari non possit, per actum affirmantem attingitur vna, de qua verè dicitur prædicatum illi conueniens, & non attingitur altera, de qua idem prædicatum verè dici non potest; hoc autem est distingui obiectiue: ergo. Minor probatur, quia illa sola perfectio attingitur per huiusmodi actum, cui conuenit prædicatum assertum: hoc autem soli conuenit vni, & non alteri: ergo.

112. Confirmatur, nam subiectum huius actûs, *Essentia communicatur Filio*, est solum id, quod communicatur ipsi, & non id, quod non communicatur, nec communicari potest; similiter subiectum istius actûs, *Paternitas non communicatur Filio*, est solum id quod non communicatur: ergo primus actus solam attingit essentiam; quæ sola communicatur, secundus verò solam Paternitatem, quæ non communicatur; aliter vterque actus falsus esset; primus, quia attingeret paternitatem asserendo communicari; secundus, quia attingeret essentiam asserendo non communicari. Vnde iterum fieret, actus, quibus fide cogimur ea credere mysteria, falsos esse, imò & ipsas reuelationes diuinas diuiniuè ea mysteria reuelantes ob eandem rationem, quod dici non potest.

113. Si dicas cum P. Ouiedo subiectum verificationis eorum actuum diuersum esse à subiecto affirmationis, nam subiectum verificationis huius actus, *Essentia communicatur*, est sola essentia; & subiectum verificationis istius, *Paternitas non communicatur*, est sola paternitas; subiectum

Responso
P. Ouiedi
ad præcedens
fundamentum.

verò affirmationis vtriusque est vtrumque simul; Paternitas, scilicet, & essentia, nec minus vna, quam altera; vnde verum non est ab actu affirmatiuo attingi vnam, & non alteram. Id explicat in hac propositione disiunctiua, v. g. quidam homo currit, in qua currente solo Petro, ipse solus est subiectum verificans propositionem, quamuis alij etiam homines sint subiectum affirmationis, non minus nec aliter, quam ipse Petrus.

Replica Recentiorum
contra doctrinam
P. Ouiedi.

114. Instant *primò*, quia propositio disiunctiua ideo non verificatur à toto subiecto, quia disiunctiue attingit illud, asserens, vnum, vel alterum ex decem v. g. hominibus currere; si enim de omnibus illis determinatè diceret. Omnes currere, solo Petro currente, falsa esset: Hæc autem propositio, *Essentia communicatur*, determinata est: ergo subiectum verificationis, & affirmationis idem erit: Paternitas autem non potest esse subiectum verificationis: ergo neque affirmationis. Propositio enim determinata eo ipso, quod de aliquo subiecto affirmet prædicatum illi repugnans falsa est. *Secundò*, vel actus, quo ait Ouiedus, solam naturam esse subiectum verificationis huius propositionis, *natura communicatur*, attingit pro subiecto solam naturam, vel etiam Paternitatem? si primum; ergo natura, & Paternitas distinguntur obiectiue, quod intendimus. Si secundum: ergo Paternitas est subiectum verificationis, cum de illa id affirmetur, non minus quam de essentia: id autem dici non potest: ergo.

115. Confirmatur, actus affirmas determinatus, hoc ipso verus est, vel falsus, si prædicatum assertum conueniat aut non conueniat subiecto, id enim est actum conformari, vel difformari obiecto, quod si subiecto ex aliquo capite prædicatum disconueniat, hoc ipso difformatur actus obiecto, & verus non est, quia affirmatio prædicati cadit supra totum subiectum affirmationis; vnde in actu affirmatiuo de subiectis distinctis eo præcisè, quod prædicatum vni disconuenit, falsitas reperitur, vt in hoc actu, *Paternitas, & essentia communicantur Filio*: ergo si Paternitas, & essentia essent subiectum huius actus, *Essentia communicatur*, falsus

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. VII. 3 1 1

falsus esset, cum Paternitas incommunicabilis sit.

116. Probari solet secundò ab aliquibus conclusio, quia non minus opponuntur communicari, & non communicari, quam cognosci, & non cognosci: Essentia autem, & Paternitas componere possunt communicari, & non communicari: ergo etiam cognosci, & non cognosci.

Aliud fundamentum sententiæ affirmantiæ.

Hæc tamen ratio, nisi ab altera probatione iuuetur, efficax non est. Quia distinctio virtualis, & compositio prædicatorum contradicentium à sola paritate extendenda non est. Etenim minus opponuntur existere, & non existere, quam produci, & non produci, & tamen actus liberi componentes cum essentia, existere essentiam, & non existere decretum alterius mundi, componere non possunt, produci realiter actum liberum, & non produci essentiam; attendenda ergo est necessitas, & inevitabilitas compositionis prædicatorum contradicentium, ad distinctionem virtuales extendendam.

117. Sententia negans probatur primò, quia cognitio diuina asserens, *Paternitas non est Filiatio*, & visio beatifica idem affirmans, non asseuerat, essentiam esse distinctam à Filiatione: nec tamen cognitio diuina, nec visio beata distinguunt obiectiuè Paternitatem, & essentiam, sed eadem cognitio diuina, & visio beata directè attingunt ex parte subiecti essentiam, & Paternitatem: ergo licet iste actus noster; *Essentia communicatur Filio*, attingat ex parte subiecti Paternitatem, id præstabit, quin vnam ab altera obiectiuè distinguat. Hæc tamen ratio sufficiens non est, nam vt dux perfectiones diuinæ obiectiuæ distinguantur, non opus est, quod per omnem cognitionem vna sine altera cognoscatur, sed sufficit, quod per aliquam attingi possit vna sine altera. Vnde licet, cognitio diuina; ratione suæ simplicitatis, & visio beata ratione suæ perfectionis, non distinguant obiectiuè Paternitatem, & essentiam, sed vtramque attingant ex parte subiecti, non inde probatur indistinctio earum obiectiuæ.

Sententiæ negantis fundamentū vnum.

118. Secundò, quia licet hæc cognitio diuina, *Essentia communicatur Filio*, attingat ex parte subiecti Paternitatem,

Eiusdem sententiæ fundamentū alterum.

tamen

tamen verissima est, & nullo expositam periculo falsitatis: *Respondetur*, concessio antecedente negando consequentiam. Nam cum Paternitas, & essentia sint in ordine ad nostros actus obiectiuè distincta, quamuis scientia asserens, essentiam communicari Filio, vtramque attingat pro subiecto vera esse potest; si autem distinctio obiectiua Paternitatis, & essentiae non staret in ordine ad nostros actus, nec veritas diuina, nec creata consistere valerent, ideoque in ordine ad nostros actus admittenda est. Hæc sunt vtriusque sententiæ momenta, quid autem de illis sententiam sequentibus exponam.

Distinctio obiectiua nõ admittenda in Deo absque inuitabili fundamento.

119. Censeo primò, distinctionem obiectiuam admittendam in Deo non esse absque vrgentissimo, & inuitabili fundamento. Ratio est, quia simplicitas maior est Dei perfectio, quam distinctio, vbi ista euitabilis est; ergo si euitabilis sit distinctio obiectiua, maior est Dei perfectio simplicitas, & indistinctio obiectiua; atque adeo distinctio absque inuitabili fundamento admitti non debet, vt circa distinctionem virtualem, & realem in diuinis fatentur communiter omnes. Nec vllam earum sententiarum iudico ab hoc nostro asserto recedere posse, nam quæ distinctionem obiectiuam negat, id præstat, quia æuitabilis est; quæ verò affirmat, mouetur, quia aliter nostræ fidei actus quo credimus, Essentiam communicari Filio, verus esse non potest, cum tamen veritas huiusmodi actus inuitabilis sit: ergo.

Distinctio obiectiua euitabilis, & euitanda in Deo circa perfectiones necessarias.

120. Senseo secundò, distinctionem obiectiuam inter perfectiones diuinas necessarias virtualiter distinctas, euitabilem esse, atque adeo nullatenus admittendam. Probat, nam si distinctio obiectiua inuitabilis esset inter perfectiones diuinas virtualiter distinctas v.g. inter Paternitatem, & essentiam, maximè, quia actus fidei credens v.g. essentiam communicari Filio, verus esse non potest, eo quod ex parte subiecti Paternitatem attingeret: id non sequitur: ergo. Maior est vnicum aduersæ partis fundamentum. Minor probatur, quia sola distinctio virtualis inter Paternitatem, & essentiam sufficit, vt quamuis vtraque

que
tia,
ficer
ver
de e
tern
com
hæc
gat e
bus
tern
comm
com
nita
tate
illa,
cit d
121.
uerf
indi
rere
fede
ting
lius
actu
poni
non
curr
lens
etiar
ex p
non
verid
quan
null
firm
122.

Disp. VII. De dist. attr. ab essent. Sect. VII. 313

que attingatur ex parte subiecti, verificetur de sola essentia, quod communicatur, & non id de Paternitate verificetur: ergo actus asserens essentiam communicari Filio verus esset. Antecedens probatur primò, nam verificari de essentia, quod communicatur, & non verificari de Paternitate, tantum sunt prædicata contradictoria, ad quæ componenda sola sufficit distinctio virtualis. *Secundò*, quia hæc cognitio diuina, *Essentia communicatur*, quamuis attingat ex parte subiecti Paternitatem, verissima est, fatentibus aduersariis propter distinctionem virtuales inter Paternitatem, & essentiam; & hæc altera falsa, *Paternitas communicatur*: ergo pariter actus fidei asserens, essentiam communicari, verus erit, etiamsi ex parte subiecti Paternitatem attingat. Et ratio est quia licet attingat Paternitatem apprehendendo illam, non tamen affirmando de illa, quod communicatur, ad quæ componenda sola sufficit distinctio virtualis.

121. Res amplius declaratur in creatis, vbi nullam Aduersarij agnoscunt distinctionem virtuales. Nam actus indiuisibilis aiens, Petrum currere, & Paulum non currere, vel solum Petrum currere, currente Petro, & Paulo sedente, verus est, etiamsi Petrum, simul & Paulum attingat ex parte subiecti, vterque enim subiectum est illius actus. Et ratio est, quia licet vterque attingatur ab actu ex parte subiecti, distinctio tamen realis eorum componit, attingi vnum affirmando de illo cursum, & alterum non ita attingi; sed affirmando oppositum, scilicet, non currere: distinctio autem virtualis, vtpote reali æquiuallens, ea prædicata contradictoria componere valet: ergo etiamsi actus affirmans, essentiam communicari, attingit ex parte subiecti Paternitatem, poterit illam attingere non affirmando illam communicari, sed essentiam, vnde verissimus erit. Nec id sufficit distinctioni obiectiuæ, ad quam necesse est, vnum directè, & in se cognosci, altero nullo modo ita cognito, etiam apprehensiuè, seu non affirmando de illo prædicatum.

Res tota in creatis facile declaratur.

122. Confirmo, distinctio obiectiuæ inter Paternitatem,

R r tem,

314 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

Idem amplius confirmatur.

tem, & essentiam sufficiens esset, vt cognitio diuina asserens, essentiam communicari Filio, vera esset, etiamsi ex parte subiecti Paternitatem attingeret: ergo. Potiori iure sufficiens erit virtualis, ratione cuius hic actus noster verus est, *Essentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur*, quantumuis essentia, & Paternitas attingantur ex parte subiecti: ergo etiam iste alter verus erit, essentia communicatur Filio, etiamsi attingatur Paternitas ex parte subiecti.

123. Objicies primò, potest directè cognosci Paternitas, solum indirectè cognita Filiatione, vel ergo huiusmodi cognitio attingit directè essentiam, vel non? si non attingit: ergo Paternitas, & essentia distinguuntur obiectiuè. Si attingatur directè essentia: ergo cum per eam cognitionem non attingatur directè Filiatio, sed indirectè tantum, essentia, & Filiatio distinguuntur obiectiuè. *Respondeo*, negans antecedens, cognita enim directè qualibet perfectione diuina omnes directè cognoscuntur, quamuis non affirmando de omnibus eadem prædicata, sed vnumquodque de perfectione cui conuenit.

Instantia difficilior contra nostrum assertum.

124. Instabis, potest actus affirmatiuus attingere ex parte subiecti Paternitatem & essentiam, affirmando de sola essentia, quod communicatur Filio: ergo sola essentia erit subiectum affirmationis illius: ergo Paternitas nulla ratione erit subiectum talis affirmationis: ergo neque attingetur ex parte subiecti ab actu illo affirmatiuo. Probatur hæc consequentia, nam illud solum est subiectum actus affirmatiui, quod est subiectum affirmationis, ergo cum Paternitas non sit subiectum affirmationis, neque erit subiectum actus affirmatiui; atque adeo neque attingetur ab eo actu affirmatiuo ex parte subiecti. Hæc tamen instantia soluenda est ab aduersariis in actu diuino asserente, Essentiam communicari Filio, & attingente ex parte subiecti Paternitatem, quin asseret de illa, quod communicetur Filio.

Præfata instantiæ solutio, & confirmatio.

125. Respondeo concessio primò entymemate, & etiam secunda consequentia, negando tertiam, ad cuius probationem

tion
& e
mul
re,
gar
rum
sub
mun
tis d
bat
Pat
atti
126
rias
ctiu
exi
ster
nec
non
ipfa
con



I.
gin
nor

tionem negandum est antecedens. Nam cum Paternitas & essentia virtualiter distinguantur, actus utramque simul, & directè attingens, potest de sola essentia affirmare, quod communicetur, idemque de sola Paternitate negare; nam ad id sola sufficit distinctio virtualis subiectorum, ut supra ostendimus. Vnde licet Paternitas non sit subiectum affirmationis affirmantis de ipsa, quod communicatur, est tamen subiectum affirmationis affirmantis de essentia, quod communicatur: atque adeo non probatur per illum actum affirmatiuum non attingi directè Paternitatem ex parte subiecti, sed solum probatur, non attingi affirmando de illa quod communicetur.


126. Censeo tertio, inter perfectiones diuinas necessarias, & liberas euitabilem non esse distinctionem obiectiuam, ac proinde admittendam esse. Ratio est quia existentibus perfectionibus necessariis potuerunt non existere liberae: ergo potuit Deus, cognitis perfectionibus necessariis non cognoscere liberas existere; sicut de facto non cognoscit existere decretum alterius mundi; quia re ipsa non existit: id autem sufficere distinctioni obiectiuæ constat ex dictis: ergo.

Inter perfectiones necessarias, & liberas euitabilis non est distinctio obiectiuæ.



DISPUTATIO VIII.

De attributo diuina omnipotentia.

1.  **P**osita Dei essentia, attributis in communi, & utrorumque distinctione, tam inter se, quam ab essentia, ad attributa iam in particulari discutienda præscindimus. Ordior ab omnipotentia, quia ex attributis non transcendentibus, sola ista inter præsentis disputa-

putationes proprium sibi locum vendicat, intellectio enim, voluntas, & volitio suos tractatus habent, de scientia, & voluntate. De omnipotentia igitur differimus non secundum omnes conceptus ipsi virtualiter identificados, sed de illa in ordine ad creaturas, seu quatenus est virtus earum productiua, vel, vt loquuntur alij, quatenus prima causa creaturarum.

S E C T I O I.

An omnipotentia constituatur formaliter virtute omnium creaturarum productiua?

Punctum
controuersie
declaratum.

2. **D**Ixi formaliter, quia omnipotentiam virtualiter constitui omni formalitate quarumcunque creaturarum productiua, exploratum mihi est, ex dictis de distinctione virtuali, vbi ostendimus ad distinctionem virtualem plurium formalitatum, non sufficere connotata diuersa, nec æquiualentiam rebus distinctis, &c. sed necessariò requisitam esse compositionem prædicatorum contradicentium: hæc autem nulla sunt inter formalitates omnipotentia, cum nihil de vna realiter affirmari, vel negari possit, quod idem de altera similiter affirmari, vel negari non valeat; nec ad oppositum vlla, vel leuis, necessitas compellat: ergo omnes formalitates omnipotentia erunt virtualiter vnum, & idem; ac proinde non poterit vna virtualiter constituere, quin omnes similiter constituent.

3. Difficultas ergo procedit de constitutio formali nostro modo concipiendi, quod vocant alij primarium. An scilicet omnipotentia diuina constituatur omni formalitate, & virtute creaturarum quarumcunque productiua. Ratio dubitandi est. Quia omnipotentia, cum sit causa
prima

prima, constitui posset formaliter, & primario sola virtute productiua substantiæ; secundario verò, & materialiter, virtute accidentium productiua. Nam virtus productiua primario, & per se intendit substantiam, secundario verò, & ratione substantiæ, intendit accidentia, vel quia proprietates illius sunt, vel quia dispositiones, aut perfectiones adiacentes: ergo omnipotentia formaliter, & primario constituenda erit sola virtute productiua substantiæ; virtute vero accidentis productiua secundario tantum, & materialiter. Sicut in communi plurium sententia, primum subiectum, scilicet materia prima, formaliter & primario sola constituitur virtute receptiua formæ substantialis, accidentalis verò materialiter, & secundario.

4. Afferendum tamen est, omnipotentiam diuinam constitui formaliter, & primario omni virtute, tam substantiæ, quam accidentis productiua. Probatur primò, quia omnipotentia formaliter, & primario, idem est, & valet ac potentia omnium productiua, vt ipsa nominis etymologia præ se fert: ergo est formaliter, & primario virtus substantiæ, & accidentis etiam productiua. Patet consequentia quia si omnipotentia non esset formaliter, & primario virtus accidentis productiua, neque formaliter, & primario esset potentia omnium productiua, & consequenter neque omnipotentia. Nec instantia illa primi subiecti, seu materiæ primæ, momenti mihi est. Nam vt ostendi in physicis, materia prima formaliter, & primario constituitur vtraque virtute substantiæ, & accidentis receptiua: ergo & omnipotentia vtraque virtute productiua.

Omnipotentia formaliter constituitur virtute substantiæ, & accidentis productiua.

5. Secundò probatur conclusio, nam omnipotentia formaliter, & primario constituitur gradu productiuo simpliciter infinito in suo genere; quod distinguitur formaliter ab aliis perfectionibus diuinis: huiusmodi autem gradus integer formaliter non est, & completus absque virtute accidentium productiua: ergo cum cætera omnia constituentur gradu suo integro, & completo, etiam omnipotentia

Aliter non est gradus integer, & adequatus.

tentia constituenda erit. Minor certa est, quia gradus infinite producti vi integratur omni virtute productiua, sicut gradus infinite intellectiui omni virtute intellectiua. *Confirmatur*, nam in sententia constituente Deum actuali intellectione necessaria; non solum actualis intellectio substantiæ possibilis, saltem quoad sufficientiam, est de formali & primario constitutiuo Dei, sed etiam similis intellectio accidentis, eo quod vtraque sit de genere intellectiōis necessariæ constituentis Deum. Similiter in sententia constituente Deum virtute intellectiua, vtraque est de constitutiuo formali illius ob eandem rationem: ergo cum vtraque virtus substantiæ, & accidentis productiua sit de genere productiuo, vtraque erit de primario & formali constitutiuo omnipotentia, vtpote constitutæ genere infinite productiuo.

Intendi accidentia propter substantiã non obstat constitutiuo formali.

6. Tertiò si omnipotentia non constitueretur primario, & formaliter virtute substantiæ, & accidentis productiua, maximè quia intenderet substantiam propter se, accidentia verò propter substantiam: id non obstat: ergo. Minor probatur, maior enim vnicum est aduersæ partis fundamentum; quia licet rationale intendat iudicium propter se, apprehensionem vero propter iudicium: tamen vtraque virtus apprehendendi, & iudicandi constituit formaliter, & primario rationale; quia vtraque est de genere intelligentis: ergo licet omnipotentia intendat substantiam propter se, accidentia vero propter substantiam, tamen vtraque virtus productiua constituet formaliter, & primario omnipotentiam; cum vtraque sit de genere productiuo.

Idem firmatur pluribus instantiis.

7. *Confirmatur primò*, licet sensationes externæ intendantur ab animali ratione phantasmatum, quibus inserviunt, & phantasmata ipsa intendantur propter se; tamen vtrarumque principium constituit primario, & formaliter animal. *Secundò*, licet actus intellectus effentiatur obiecto materiali propter formale, & formali propter se; pariterque actus voluntatis prosequatur obiectum materiale propter formale, & formale propter se, tamen vtraque

que tendentia in obiectum materiale, & formale constituit primario, & formaliter tam actum intellectus, quam voluntatis. *Tertiò*, quamuis electio mediorum intendatur à voluntate propter intensionem finis, & intentio finis propter se, tamen vis actiua vtriusque, & passiuæ, est formale, & primarium constitutum voluntatis. *Quartò*, licet vna substantia intendatur à Deo propter aliam, & ista propter se, tamen virtus vtriusque productiua est de formali constitutio omnipotentia, vt patet in forma embryonis, & anima rationali: ergo etiam si substantia intendatur propter se, & accidens propter substantiam, tamen virtus vtriusque productiua erit de formali, & primario constitutio omnipotentia.

8. *Quartò*, quia vt ostendimus disp. 5. sect. 8. constitutum formale, aut primarium, seu nostro modo intelligendi, distinctum non est à virtuali, & quidquid est de constitutio virtuali, hoc ipso est etiam de constitutio formali, seu primario: virtus autem accidentium productiua est de constitutio virtuali omnipotentia, vt initio sectionis præmonuimus: ergo etiam erit de constitutio formali, seu primario. Minor certa mihi est, nam virtus substantia, & accidentis productiua nequeunt in omnipotentia virtualiter distingui, aut prædicata contradictoria componere: ergo cum virtus productiua substantia sit de virtuali constitutio omnipotentia, talis etiam erit virtus accidentis productiua; aliter virtualiter distinguerentur, & prædicata contradictoria componere deberent.

9. *Objicies* primò, omnipotentia primario, & propter se intendit substantiam, accidentia verò secundario, & ratione substantia; ergo primario constituetur virtute productiua substantia, secundario verò virtute accidentis productiua. *Consequencia* probatur, quia intentio primaria est de constitutio primario, secundaria vero de constitutio secundario. *Respondeo*, terminos illos *primario* & *secundario* æquiuocos esse. Si enim intendere primario non plus valeat, quam intendere propter se, & intendere secundario idem sic ac intendere propter aliud, verum est

Constitutiuū
formale, &
primarium
distinctum
non est à
virtuali.

Potissima
oppositæ
sententiæ
fundamentū,
eiusque so-
lutio.

est antecedens, sed consequentia falsa; nam ut ostendimus, non solum quod intenditur per se, sed etiam quod intenditur per aliud, adæquat, & integrat constitutum formale, & primarium. Si verò termini illi *primario*, & *secundario* ad constitutum omnipotentiae referantur, ita ut *primario* intendere idem valeat, ac *primario* constituere, & *secundario* intendere, *secundario* constituere, negandum est antecedens, ut constat instantiis à nobis exhibitis.

Secunda obiectio ab eminentia productiua hominis & gratiae.

10. Objicies secundò, in omnipotentia dantur formalitates productiuae substantiae, & accidentis virtualiter distinctae: ergo non benè probatum à nobis est, omnipotentiam constitui virtualiter virtute accidentis productiua, quia hæc distincta virtualiter non est à virtute productiua substantiae. Antecedens probatur, nam virtus productiua Angeli, vel hominis, & virtus productiua gratiae, sunt virtus productiua substantiae, & accidentis: sunt autem virtualiter distinctae: ergo. Minor probatur, quia cognito euidenter homine, vel Angelo per cognitionem naturalem, cognoscitur, vel cognosci potest eminentia, seu virtus diuina productiua eorum: non autem cognoscitur, nec cognosci potest eminentia productiua gratiae, nam per actum naturalem euidentem cognosci posset indirectè gratia cognita eminentia productiua illius, quod implicat, eo quod nihil supernum cognitione naturali euidenter attingi possit, ergo per eandem cognitionem cognosceretur eminentia productiua hominis, vel Angeli, & non cognosceretur eminentia productiua gratiae, vel saltem posset vna cognosci, altera non cognita: hæc autem sunt prædicata contradictoria, in quibus posita est distinctio virtualis: ergo.

Præcedentis fundamenti solutio.

11. Respondeo, cognita eminentia productiua Angeli, vel hominis, eodem modo cognosci per actum naturalem eminentiam productiuam gratiae, secundum intrinsecum quod dicit, non tamen cognosci in ordine ad gratiam, sed tantum in ordine ad hominem, vel Angelum; atque adeo per illum actum naturalem nullo modo cognoscitur

noscitur gratia. Quomodo autem indiuisibilis respectus omnipotentiae ad plures terminos cognosci possit in ordine ad alterum, & vnde id proueniat, diximus iam disp. praecedenti sect. 4. obiect. 9. videas ibi.

12. Instabis, formalitas omnipotentiae, productiua hominis, vel Angeli, naturalis est, & non superna, cum effectus illius naturalis sit, & non supernus, formalitas autem productiua gratiae superna est, & non naturalis, cum effectus illius non naturalis, sed supernus sit: haec autem sunt praedicata contradictoria de formalitate productiua hominis, vel Angeli, & formalitate productiua gratiae, ergo. *Respondeo* ex dicendis tract. de visione circa constitutum entis superni, utramque eminentiam naturae, & gratiae productiuam, imò & totam omnipotentiam esse naturalem, & supernam; naturalem in ordine ad effectus naturales, supernam in ordine ad supernos. Vnde solum fit non posse omnipotentiam actu naturali euidenti cognosci in ordine ad gratiam, quamuis cognosci possit in ordine ad naturam, in qua nulla est cōtradictio, cum sit respectu diuersorum.

Replica contra praecedentem doctrinam soluta.

S E C T I O II.

An omnipotentia sit causa principaliter, & immediate omnium creaturarum productiua?

13. **D**eum non esse causam principalem peccati, quoad malitiam formalem illius, certum est, cum causa principalis alicuius effectus sit causa propria, & per se illius, & definitum sit à Tridentino sect. 6. can. 6. Deum non esse causam propriam, & per se peccati; Insuper neque esse causam principalem entitatis peccati tradidimus ex professo disp. 14. de voluntate Dei, vbi contra Thomistas ostendimus, non posse Deum praedefinire materiale peccati, sed vtriusque causam tantum permissiuam esse; in quo autem haec consistat explicuimus iam disp.

Deus non est causa principalis peccati, etiā quoad materiale.

& sect. ult. eiusdem tractatus, videas ibi. Difficultas ergo præfens est, an Deus sit causa principalis aliarum creaturarum, & in quo huiusmodi causa consistat.

Omnipotentia est causa principalis omnium creaturarum.

14. Affero primò, omnipotentiam esse causam principaliter omnium creaturarum productivam, dempto peccato, & his, quæ specialiter à Deo causari non possunt, & de errore habitu vitioso, & erroneo arbitrantur multi. Probatur conclusio, quia omnipotentia non potest esse causa permissiva earum creaturarum; nam causa permissiva, & specialiter causans, in hoc differunt inter se, quod permissiva concurrat ad effectum habens sibi coniunctam vel imbibitam displicentiam illius, causa verò specialis concurrat ad effectum habens sibi coniunctam, vel imbibitam complacentiam illius: Deus autem respectu creaturarum, quæ physicè vel moraliter bonæ sunt, non displicentiam, sed complacentiam habet: ergo non est causa permissiva tantum earum. Præterea Deus non est causa instrumentalis productionis creaturarum, nec esse potest; cum huiusmodi genus causæ imperfectissimum sit, & indigens iuvamine principalioris agentis: ergo erit causa principalis, non solum creaturarum à solo Deo pendentium, sed cæterarum etiam à causa simul secunda promanantium, cum omnium bonorum author, & actor sit Deus, sicut & prima causa.

Status controversiæ circa immediatum concursum Dei in omnes creaturarum operationes.

15. Circa secundam sectionis partem, An videlicet, omnipotentia sit causa immediatè omnium creaturarum productiva, certum est apud omnes, creaturas à solo Deo pendentes, immediatè ab ipso produci. Difficultas ergo est circa effectus, seu operationes creaturarum, an videlicet immediatè fluant à solis causis creatis, & mediatè tantum à Deo, quatenus concessit illis virtutem, seu potentiam operandi; & præfens controversia communis est, tam operationibus bonis, & honestis, quàm malis, & turpibus. Nec differitur, an idem effectus fluere possit immediatè à Deo simul, & creatura, cum enim ista possit à duplici causa creata produci, cur non poterit ab vna creata, & altera increata. Quæritur ergo, An ad omnes creaturarum operationes

Disp. VIII. De *Attributo omnip.* Sect. II. 323

rationes de facto concurrat Deus immediatè, non solum ministrando virtutem, sed ad ipsammet operationem immediatè concurrente, ita vt actio indiuisibiliter fluat immediatè à Deo simul, & creatura.

16. Prior sententia docet, Deum remotè tantū, & mediatè concurrere ad creaturarum operationes, quatenus scilicet, donauit illis virtutem, seu potentiam operandi, quæ habita, creatura suas operationes exercet per actionem à sola ipsa immediatè manantem. Ita Durandus in 1. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. Quæ sententia variè carpitur à Theologis, alij enim vocant illam male sonantem, alij erroneam, alij hæreticam. Nec tam graues minæ terruerunt Ludouicum à Dola, ne sententiam Durandi, scribere, & stabilire tentaret, sua disp. quadripartita 4. part. existimantem, grauissimam illam de Auxiliis controuersiam inter nostros Doctores, & Thomistas, ab opinione philosophica concursus Dei simultanei originem traxisse; atque adeo sua opinione illum negante totam euanescere litem. Egre giè tamen in hac parte æquiucatus est Author iste, alia enim est radix, & aliud fundamentum dissensionis illius, videlicet libertas arbitrij creati, cui nec leuiter obstat concursus simultaneus. Posterior sententia constanter affirmat, Deum immediatè concurrere ad omnes creaturarum operationes. Ita cæteri omnes Theologi contra Durandum.

17. Affero secundò, omnipotentiam diuinam concurrere immediatè ad omnes creaturarum operationes tum bonas, tum malas, diuersimodè tamen ad bonas, scilicet, vt causa principalis; & diuersimodè ad malas, scilicet vt causa permissiua tantum. Hæc conclusio ex professo in physicis probari solet. Ratio à priori est. Nam perfectissimum dominium Dei in creaturas postulat, vt non solum quoad esse, sed etiam quoad operari immediatè pendeant à Deo iuxta illud Rom. 11. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Et Isaia 26: *Omnia opera nostra operatus est in nobis.* Et 1. Corinth. 12. *Operatur omnia in omnibus.* Sic enim maior est subjectio creaturæ, si neque existere, neque operari quidquam possit sine immediato concursu, & dependentia à

Sententiæ
Doctorem.
Durandus.
Ludouicus
à Dola.

Omnipotē-
tia diuina
immediatè
concurrit ad
omnes crea-
turarū ope-
rationes.

324 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

Deo, eoque indigeat, quocumque se vertat, iuxta illud Psal. 138. *Si ascendero in caelum tu illic es, si descendero in infernum ades.* Et ad Philip. 2. *Sine me nihil potestis facere.* Quas omnes scripturas de concursu immediato, & proximo intelligendas esse, inde solidè colligunt Theologi, quia concursus remotus, & mediatus tantum, proprius non est, nec strictam arguit in operando dependentiam.

Ex aliis attributis præcedens doctrina confirmatur.

18. Confirmatur primò, nam Deus est ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam: ergo sicut per essentiam, & præsentiam est immediatè præsens omni creaturæ, ita etiam erit per potentiam. Sicut enim æternitas, & immensitas, quæ immediatè non repleret omnia, diminuta foret; ita & potentia productiva, quæ immediatè omnia non produceret. Quod idem in virtute diuina intelligendi meditari licet, quæ enim mediatè tantum pertingeret creaturarum operationes, in ipsis videlicet creaturis immediatè cognitis, imperfecta esset, eo quod omne cognoscibile non attingeret omni modo, quo in se cognoscibile est: ergo cum operationes creaturarum sint in se immediatè producibiles, si ita à diuina omnipotentia non producerentur, sed remotè tantum, & mediatè perfecta, & infinita non esset; imò neque omnipotentia, cum de ratione istius sit concursus, & actiuitate sua omnes creatos effectus pertingere.

S. Thomas nostram sententiam expressè docens.

19. Confirmatur secundò ex Sancto Thoma pluribus in locis nostrum assertum testante, maximè 2. sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. ubi disputans, utrum actio peccati, in quantum actio, sit à Deo, ita scribit. *Circa hanc questionem tanguntur à Magistro dua opiniones, quarum vna dicebat, omnes actus, in quantum actus sunt, ex Deo esse; sed in quantum difformitatem habent, à Deo non sunt, sed ab homine, vel diabolo, &c. Alia opinio dicebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus sunt, à Deo esse; & hæc opinio tangitur in presenti distinctione quam ad præsens nulli, vel pauci tenent, quia propinquissima est errori duplici. Primò quia ex ea videtur sequi, quod sint plura prima principia; hoc enim est de ratione primi principij, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia eius. Unde si voluntas humana*

humana actionem aliquam posset producere, cuius actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamuis hoc soluere nitantur, dicentes, quod voluntas, etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen habet à se esse, sed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij, sed hoc videtur inconueniens, ut quod à se esse non habet, à se agere possit, cum etiam per se durare non possit, quod à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute. Et preterea quamuis per hanc responsionem cuitaretur, quod non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari; quin esset primum agens, si eius actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam. Secundo quia cum actio, etiam peccati, sit ens quoddam, non secundum quod priuationes, & negationes dicuntur, sed etiam secundum quod res in genere existentes entia sunt, eo quod, & ipsa actiones in genere ordinantur; sequeretur, quod si actiones peccati à Deo non sunt, aliquod ens, essentiam habens, à Deo non esse, & ita Deus non esset vniuersalis causa omnium entium, quod est contra perfectionem primi entis, &c.

20. Quibus, & immediatè sequentibus, apertissimè impugnat S. Doctor sententiam asserentem, voluntatem esse immediatè à Deo, non verò actionem peccati, in quantum actio, & ens est. Rationem subiungens, quia si actio peccati esset à sola voluntate, hæc esset primum agens; & Deus non esset vniuersalis causa omnium entium. Et responsionem, quæ suo argumento exhiberi poterat, videlicet, voluntatem non esse primum agens, quia licet actio peccati non sit immediatè à Deo, est tamen voluntas, impugnat, quia quod à se esse non habet, sed ab alio, nec à se sine alio operari potest, & quia licet voluntas non esset primum ens simpliciter, cum sit ens ab alio, esset tamen primum agens, quia eius actio non esset ab alio priori agente. Quibus manifestissimè mens S. Thomæ pro nostra sententia declarata est. Plura circa hoc testimonium dedimus tract. de voluntate disp. 14. sect. 3. à num. 33. videas ibi.

21. Non tamen omitam recens fundamentum P. Lyncei pro nostra sententia, quam tuetur 4. Metaph. tract. 8. cap. 1.

Libratur
præcedens
S. Thomæ
testimoniū.

Fundamen-
tum P. Lyn-
cei libratiū.

326 Tra&t.I. De *Essentia & Attributis Dei.*

ita habens. Nulla virtus finita, qualis est creata, se sola potest rem à non esse ad esse trāsferre: ergo nec immediatè rem vllam se sola producere. Antecedens probatur, nam ad traducendam rem à non esse ad esse requiritur virtus infinita simpliciter: ergo nulla creata, vtpotè finita, se sola sufficit. Antecedens ostenditur, quia non esse hominem v.g. & esse hominem simpliciter infinitè distant; vt autem aliqua virtus actiua terminos simpliciter infinitè distantes attingat actiuitate sua, & rem per actionem ab vno in alterum transferat, simpliciter infinita debet esse: ergo. Maior probatur, quia imperfectio non hominis est summa, & simpliciter infinita, cum omnis perfectionis essentialiter incapax sit, tam creatæ, quàm increatæ: ergo non homo, & homo, simpliciter infinitè distant inter se, ad id enim satis est alterum extremum simpliciter infinitum esse, vt patet in Deo, & Angelo. Minor verò perspicua est, quia virtus loco motiua, aut impulsiva, rem ab vno spatio in aliud infinitè distans per motionem, aut impulsionem transferre possit, debet esse infinita in aliquo genere, secundum quid; haud secus ac spatia in genere loci infinitè distant.

Vnde deficiat præcedens fundamentum.

22. Hæc tamen ratio efficax mihi non est, quia non esse hominem, cui repugnet omnis perfectio positiva, tam creata, quàm increata, non potest esse aliquid positivum, sed vel mera negatio existentia hominis, vel merum nihil; neutrum potest esse simpliciter infinitum: ergo. Minor probatur *primò*, quia non homo quouis modo sumatur distat simpliciter infinitè à Deo, sicut, homo; cum non homo, & homo tantum inter se non distent, quantum homo, & Deus: ergo sicut homo ex ea distantia, & recessu à Deo, non euadit simpliciter infinitus, ita neque non homo, *Secundò*, quia non homo, non est non esse omnis entis, sed solius hominis, vt est certum: ergo tale non esse suo modo, & genere, non est simpliciter infinitum, etiamsi illi repugnet identitas cum omni perfectione positiva; sicut etiamsi homini repugnet identitas cum Deo infinito, & puncto cum linea infinita, non inde homo, nec punctum

ctum

Etum infinita sunt, sed potius finita. Et quamuis non homo, eiusque distantia ab homine, quid simpliciter infinitum esset, cum tamen productio hominis eos terminos non attingat, sed solum hominem quem producit, & hic finitus sit, nulla virtus infinita necessaria erit. Et licet ea virtus necessaria foret ad traducendam rem à non esse ad esse, ad illam iam traductam conseruandam necessaria non esset, cum in duratione nullatenus sit terminus simpliciter infinitus, maximè, si conseruatio noua actio sit, quæ non traduceret rem à non esse ad esse, sed à primo esse, ad esse deinceps, quod totum finitum est. Imo nec similis virtus ad productionem æternam creaturæ necessaria esset, quia talis actio non esset traductio à non esse, ad esse.

23. Assero tertio, eadem actione concurrere Deum immediate cum creatura ad omnes illius effectus, siue liberos, siue necessarios, siue bonos, siue malos. Ratio est, nam vt ostendi in physicis, omnis actio distincta realiter est, tam à causa prima, quàm secunda, & modus medius inter causam, & effectum: si autem actio creaturæ non esset actio simul Dei, neque effectus esset mediatur Deo, nam effectum esse immediate ab aliqua causa, est, produci per actionem ab ea immediate manantem. Nec dici potest, Deum, & creaturam distinctis actionibus eundem effectum immediate producere. Nam inde fieret actionem creaturæ, vel non esse à Deo, vel per aliam actionem à Deo produci, quod vtrumque inconueniens est. Primum, quia Deus non esset prima, & vniuersalis omnium causa. Secundum, quia sine vlla necessitate admitteretur actionis actio.

24. Dices, inuitabilem esse actionem actionis respectu effectus necessarij. Nam decretum diuinum absolutum, & efficax volens actionem creatam, eiusque effectum, est actio diuina, actionis creatæ, & effectus, cum sit determinatio ad eum effectum, & actionem pro tempore quo vtramque vult existere. Non placet, nam decretum diuinum se habet instar applicationis potentia, sicut decreta nostra sunt applicationes potentiarum: ergo sicut decreta nostra, quantumuis absoluta, & efficacia, non sunt actio-

Eadē actione concurrit Deus ad omnes creaturarum effectus.

Actio actionis vitabilis, & vitanda.

nes nec se tenent ex parte actus secundi, sed ex parte actus primi, tanquam requisita & complementa proxima, sicut applicatio, v.g. ignis ad passum; ita neque decreta diuina effectus necessarij, quantumuis absoluta, & efficacia, actiones erunt; maximè cum de ratione actionis, sicut & vnionis, sit, non posse existere sine termino, & ipsi intrinsicè adhærere, quod decreto diuino competere non potest, vtpotè extrinsecò creaturæ, & existenti ab æterno, non existente creatura.

Ita Deus immediatè concurrat vt implicet, non ita concurrere.

25. Affero vltimò, Deum ita concurrere immediatè eadem actione cum creaturis ad earum effectus, vt prorsus implicet non ita concurrere. Ratio huius asserti colligitur ex dictis, nam Deus abdicare à se non potest supremum, & perfectissimum in creaturas dominium, postulans ita sibi creaturas subjectas, vt neque esse, neque quidquam operari valeant, nisi dependenter immediatè à Deo; quò enim maior & immediatior est dependentia creaturarum à Deo, eò perfectius est dominium Dei in creaturas.

Objectio quia Deus esset causa peccati contra Tridentinum.

26. Obijcies, si Deus concursu physico, & immediato concurreret ad peccatum, esset causa propria, & per se illius contra Tridentinum sess. 6. can. 6. ergo non ita concurrat. Antecedens probatur, nam illa est causa propria, & per se alicuius effectus, quæ propriè, & per seipsam concursu physico immediato concurrat ad effectum. Deus autem propriè, & per seipsum concursu physico, & immediato concurreret ad peccatum: ergo esset causa propria, & per se illius. Maior probatur, nam causa concursu physico, & immediato influens in effectum, neque causat illum impropiè, neque per alium, sicut causa remota; ergo est causa propria, & per se. *Confirmatur*, nam si Deus immediatè concurreret ad peccatum cooperaretur iniquitati; & peccaret, sicut creatura immediatè concurrens ad peccatum, eique cooperans, peccat: ergo non ita concurrat.

Quid sit iuxta Tridentinū propriè, & per se causate peccatum.

27. Respondeo, Tridentinum non vocare causam propriam, & per se, illam, quæ immediato concursu physico influit in effectum, sed illam, quæ influit moraliter, suadendo, consulendo, & ex speciali complacentia in effectum.

Qua

Qua ratione Deus non concurrat ad peccatum, immò è contra dissuadendo, minis terrendo, iubendo ne fiat, & displicendo in illo. Id idem fateri tenetur Durandus, nam si permittere, & non propriè, & per se causare, esset mediàtè tantum, & remotè concurrere, cum in eius sententia ita Deus concurrat ad bona opera ea tantum permissi- uè ageret, & non propriè, & per se, quod est contra Tri- dentinum. Similiter ad confirmationem dicendum, solam cooperationem moralem ad peccatum repugnare Deo, non verò purè physicam præstitam à Deo ex munere cau- sæ primæ, potentis permittere peccatum, & nulla lege ad- strictæ ad vitandum illud; quod in creatura legibus ad- stricta ad vitandum peccatum, aliter contigit, vnde nec physicè nec moraliter concurrere potest ad peccatum li- berè, & spontaneè, & talis concursus peccatum est, etiam- si mediatus tantum esset. Vnde confirmatio contra con- cursum Durandi conuerti posset.

28. Instabis, cooperatio Dei physica ad peccatum est idem cum actione creaturæ peccantis: hæc autem actio mala est, & peccatum: ergo cooperatio Dei physica mala esset, & peccatum. Deo autem omninò repugnat iniqui- tas, & peccatum: ergo & cooperatio physica ad illud, non minus quàm moralis. *Respondeo* actionem creaturæ esse quidem in se malam, quatenus procedit à creatura, non verò quatenus procedit à Deo, qua ratione dicitur coope- ratio Dei; nam talis actio præstatur à creatura indebitè, à Deo verò debitè ex munere causæ primæ. Nec mirum est, eandem actionem peccati malam esse, & peccatum respectu creaturæ, & talem non esse respectu Dei, cum illa eadem actio vitaliter procedat à creatura, & talem non esse respectu Dei, cum illa eadem actio vitaliter pro- cedat à creatura; vnde mala ipsi est, & non ita procedat à Deo.

Quomodo
Deus non
peccet co-
operas actio-
ni peccati.

S E C T I O III.

An, & cur effectus formalis omnipotentis creaturae communicari non possit?

29. **N**on posse creaturam intrinsecè ex se esse omnipotentem, nec per realem identitatem cum diuina omnipotentia, certum est; cum omnis creaturae virtus finita sit, & realiter à Deo distincta. Difficultas ergo est, an creatura per omnipotentiam diuinam sibi intrinsecè vnitam denominari possit omnipotens, sicut à sanctitate diuina intrinsecè vnita denominatur sancta, & à subsistentia subsistens. In hac satis ardua quæstione superanda, communiter Doctores appellant ad capacitatem creaturae ad effectum sanctæ, & subsistentis, & incapacitatem ad effectum omnipotentis. Caterum hæc est materia præsentis controuersia; cur scilicet creatura sit incapax effectus formalis omnipotentis, cum tamen aliorum effectuum, seu denominationum capax sit, vt patet in humanitate Christi, quæ de facto sancta est à sanctitate diuina, & subsistens per subsistentiam Verbi.

30. Censeo primò, denominationem omnipotentis non esse habere vtcunque sibi coniunctam omnipotentiam, seu virtutem omnium producibilium effectiuam, sed habere illam propriæ voluntati subordinatam, ita vt, quod voluntas habentis talem virtutem voluerit fieri, fiat; & quod fieri noluerit, nullatenus producat. Ratio est, nam si quis haberet sibi coniunctam virtutem omnium productiuam, nec tamen pro libito posset ea vti, producendo quod vellet, & impediendo, aut suspendendo, quod nollet existere. Is nullatenus esset, aut diceretur omnipotens; sicut nec potens diceretur, aut diues, qui habens sibi coniunctum thesaurum, nihil pro libito dispensare posset. Quem igitur esse omnipotentem, non si præcisè erit, vtcumque habere

Creatura intrinsecè, & ex se non potest esse omnipotens.

Quid sit esse omnipotentem.

habere sibi coniunctam virtutem omnium productiuam, sed illam habere propriæ voluntati subordinatam, vt quod ipsa fieri voluerit fiat, & quod noluerit, nullatenus producat. Hinc,

31. Censeo secundò creaturam ideo incapacem esse effectus formalis omnipotentis; quia licet habere possit sibi intrinsecè vnitam omnipotentiam, non tamen illam habere potest propriæ voluntati subordinatam. Tum quia nihil diuinum potest esse creaturæ subordinatum; imò voluntas creata in omni sua operatione voluntati, & omnipotentia diuinæ subiecta est. Tum etiam, quia habere omnipotentiam propriæ voluntati subordinatam, ita vt quod ipsa fieri voluerit, fiat, & quod noluerit non fiat, est habere supremum in creaturas dominium, quod à se Deus abdicare non potest. Tum denique, quia in rationalibus virtus actiua imperio voluntatis subiecta, applicari tantum potest ab ea voluntate, cui subordinata est, non verò ab extranea demptis motibus violentis. Sic potentia externæ Petri citra violentiam, applicari tantum possunt à propria voluntati Petri, cui subiectæ sunt, non verò à voluntate Pauli: Omnipotentia autem diuina nullam, vel leuem pati potest à creatura violentiam: ergo neque poterit ab alia, quam à diuina voluntate ad suos effectus producendos applicari; atque adeo neque poterit subordinata esse creatæ voluntati, nec ista capax esse effectus formalis omnipotentis.

32 Alia etiam est ratio, vnde effectus formalis omnipotentis creaturæ repugnet, videlicet, quia esse omnipotentem, est, omnia posse, non solum conseruare, sed primo etiam producere; quolibet enim eorum in Deo deficiente, effectus quoque formalis omnipotentis deficeret: huiusmodi autem effectus formalis omni creaturæ repugnat, ergo. Minor probatur, nam quælibet creatura præcedere deberet existens vnionem omnipotentia cum ipsa: ergo præcedere deberet primò à Deo producta: ergo superueniens omnipotentia non posset denominare creaturam seipsam primo producentem, cum ante vnionem omni-

Vnde creatura incapax sit effectus omnipotentis.

Alia ratio vnde effectus omnipotentis creaturæ repugnet.

potentiæ sit iam à Deo producta: ergo neque poterit denominari omnipotens. Patet hæc consequentia, nam denominatio omnipotentis imbibit, posse omnia primò producere: nulla autem creatura id potest, cum nulla possit seipsam primò producere, nec huiusmodi denominationem ab omnipotentia sibi vnita vindicare: ergo.

Solutio rationis dubitandi.

33. Vnde constat ad rationem dubitandi. Etenim cum creatura sit iam ex se capax effectus sancti, & subsistentis, solam desiderat communicationem sanctitatis, & subsistentiæ ad earum effectus formales recipiendos, cum nihil aliud speciale necessarium sit. Creatura autem incapax est, cui diuina omnipotentia subordinetur ad effectus sibi placitos, incapax præterea est supremi in creaturas omnes dominij, incapax denique producendi primò seipsam, quæ omnia ad effectum omnipotentis necessaria sunt. Et confirmatur, nam esse omnipotentem non minus est proprium Dei, quàm esse immensum, æternum, & infinitum: nulla autem creatura ab immensitate æternitate, & infinitate denominari potest immensa, æterna, aut infinita, ergo neque omnipotens, eadem enim videtur omniū ratio.

Prima obiectio quia omnipotentia includeret voluntatem.

34. Obijcies primò, si denominatio omnipotentis diceret virtutem omnium productiuam subordinatam voluntati, potenti ea vti pro libito ad quod voluerit, sequeretur virtutem omnium productiuam, vt distinctam à voluntate diuina non esse omnipotentiam: id falsum est: ergo & effectum formalem omnipotentis dicere subordinationem illam. Maior probatur, quia sola virtus omnium productiuam, vt distincta à voluntate diuina, non denominaret omnipotentem; ergo neque esset omnipotentia; hæc enim sola est, quæ effectum formalem omnipotentis præstat, sicut sola albedo effectum albi. Vnde iterum fieret, omnipotentiam, non solum esse virtutem omnium productiuam, sed coniunctum ex ea virtute, & voluntate diuina, potente ea vti ad effectus quoscunque sibi placitos.

Discrimen inter effectum omnipotentis, & formam eius.

35. Respondeo negans maiorem, si virtus omnium productiuam distincta sit à voluntate diuina, de quo fact. sequenti. Ad probationem distinguo antecedens sola virtus omnium
produ

productiua sine requisitis ex parte subiecti non denominat omnipotentem, concedo. Positis illis nego. Et neganda est consequentia. Aliud enim est, quænam sit forma denominans omnipotentem in hoc concreto *omnipotens*, & hanc dicimus esse solam virtutem omnium productiuam sicut forma denominans sanctum est sola sanctitas, & forma denominans album sola est albedo. Aliud verò est, quid sit effectus formalis formæ; & hic præter formam, cuius est denominare, dicit applicationem formæ, & aptitudinem subiecti ad effectum formalem suscipiendum. Dicimus ergo voluntatem potentem vti virtute omnium productiua ad quoscunque voluerit effectus, non habere rationem formæ denominantis in hoc concreto, *omnipotens*, sed pertinere ad capacitatem subiecti, vt eam denominationem suscipere possit à forma. Inde licet effectus formalis omnipotentis ea omnia includat, non tamen forma.

36. Objicies secundò, creatura diuinitus eleuari potest ad producendum seipsam, etiam primò: ergo eo quod non possit seipsam primo producere incapax non erit effectus formalis omnipotentis. *Respondeo*, permissò antecedente, negans consequentiam. Nam licet creatura possit diuinitus eleuari ad primo seipsam producendum, id præstaret, non vt causa principalis, sed instrumentalis; effectus autem omnipotentis, non est vt cunque omnia posse, sed tanquam causa principalis eorum, quod prorsus creaturæ repugnat.

37. Sed instabis, nulla est implicancia, quod de absoluta potentia, creatura aliqua possit seipsam primò, & principaliter producere: ergo talis creatura capax esset effectus formalis omnipotentis. *Respondeo*, negans antecedens. Nam vel creatura illa seipsam necessariò produceret, vel liberè. Si necessariò, aperè implicat; nam prius est esse, quàm operari, etiam necessariò, & omnis productio est à principio prioritate aliqua præexistente; vnde etiam in diuinis impossibile est, idem producere seipsum saltem naturaliter. Si verò creatura illa seipsam liberè produceret, quoque implicat, nam ad exercendam suam libertatem præcedere

Nulla creatura primò seipsam principaliter producere potest.

334 *Tra&ct. I. De Essentia & Attributis Dei.*
deberet existens, atque adeò primò producta: ergo implicat primò seipsam liberè producere, huiusmodi enim productio esset prima, vt supponitur; & non esset, cum supponeret exercitium libertatis, & hoc primam productionem exercentis illam. Dixi *saltem naturaliter*, quia principium illud, scilicet, *idem non posse esse principium sui ipsius productiuum*, sed minus verum esse debet de causalitate connaturali, & principali, quidquid sit de obedientiali, & instrumentali.

38. Obijcies tertio, posse idem seipsum principaliter producere, non est perfectio infinita: ergo finita, atque adeò possibilis creaturæ. Antecedens probatur, nam si esset perfectio infinita concedenda Deo foret, vnde Deus posset seipsum physicè, & realiter producere, quod dici non potest. *Respondeo*, posse idem seipsum principaliter producere, neque esse perfectionem finitam, neque infinitam, sed chymeram; sicut posse hominem esse brutum, & è contra.

SECTIO IV.

An omnipotentia sit virtualiter distincta à cæteris aliis perfectionibus diuinis necessariis?

Controuersie status
propositus.

39. **D**IXI necessariis, quia omnipotentiam diuinam esse virtualiter à perfectionibus liberis distinctam, mihi certum est, cum omnia necessaria, distincta sint virtualiter à liberis, & omnipotentia sit perfectio necessaria, cum Deus non possit non esse omnipotens, nec à se supremum in creaturas dominium abdicare: Difficultas ergo est de perfectionibus necessariis, scilicet, scientia, intellectione, voluntate, volitione. Nec locum habet controuersia in sententia omnem distinctionem virtuales negante, inter perfectiones omnes absolutas necessarias, sed ea admittenda, vel supposita, saltem inter aliquas. An sicut
istæ

Disp. VIII. De *Attributo omnip.* Sect. IV. 335

istæ distinguuntur virtualiter inter se. Ita Omnipotentia distinguatur virtualiter ab ipsis, vel illis omnibus, aut alicui, earum virtualiter identificetur.

40. *Prima sententia* asserit, Omnipotentiam esse virtualiter distinctam ab omnibus aliis perfectionibus diuinis necessariis & liberis. Ita Durandus in 1. dist. 38. quæst. 1. P. Soarius disp. 30. *Metaphy.* sect. 27. P. Martinon. disp. 22. de Deo sect. 1. P. Fasolus quæst. 25. de potentia art. 1. quamuis dubioliis aliquantulum verbis colloquatur, & plures alij. *Secunda sententia*, docet, Omnipotentiam identificari, virtualiter cum intellectu necessaria, quam supponit Dei essentiam metaphysicam, & simul etiam cum volitione, quam supponit proprietatem, seu attributum essentiae, ab eaque virtualiter distinctam, atque adeo, Omnipotentiam esse duplicem virtualitatem intellectus, & volitionis. Ita P. Arriaga. tractatu de potentia, sect. 1. P. Aldrete tom. 1. de Incarnatione disp. 26. sect. 6. & multi Recentiores cum ipsis. *Tertia sententia* tuetur, omnipotentiam esse virtualiter idem cum sola voluntate diuina, & cæteris, aliis perfectionibus distinctam. Ita Scotus in 1. dist. 37. quæst. 1. fine, P. Vazquez disput. 102. cap. 3. P. Valentia quæst. de potentia puncto primo P. Molina 1. p. quæst. 25. art. 1. disp. 2. P. Amicus, & alij, quos refert, & sequitur P. Quiros disp. 62. sect. 2.

Sententiæ
Doctorum.
Durandus.
P. Soarius.
P. Martinon.
P. Fasolus.
P. Arriaga.
P. Aldrete.
Scotus.
P. Vazquez.
P. Valentia.
P. Molina.
P. Amicus.
P. Quiros.

41. Asserendum est, omnipotentiam diuinam identificari virtualiter cum sola voluntate diuina, & consequenter distingui virtualiter ab omni alia perfectione à quibus distinguitur voluntas. Probat, quia hæc sententia conformior est scripturis, soli diuinæ voluntati tribuentibus potentiam operandi ad extra. Sic Paulus ad Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et Psalm. 142. *Omnia quaecumque voluit fecit.* Et Psalm. 148. *Ipse mandauit, & creata sunt.* Firmant Patres Fulgentius lib. de speculo cap. 7. *Omnia quæ ex nihilo creasti sola voluntate fecisti.* Leo Papa ferm. 2. de Natiuit. *Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia.* Quæ omnia ad alias sententias, sine aliqua violentia detorqueri vix possunt. Et ratio est, quia hoc pacto clarè percipi

Omnipotentia idem virtualiter est cum voluntate diuina.

percipitur, quomodo volendo Deus producat ad extra, quia scilicet, volitione applicat voluntatem, quæ est potentia creaturarum productiua. Vnde fit, volente Deo efficaciter existentiam creaturæ, re ipsa applicari potentiam, & produci creaturam; & nolente, non produci. Quod licet fieri posset in aliis sententiis, etiamsi potentia productiua ad extra distincta foret à voluntate, vt contingit in nobis, quando potentias à voluntate distinctas applicamus imperio absoluto, & efficaci; perfectius tamen est, producere potentia indistincta à voluntate, hoc enim pacto præcisè volendo producit creatura; & nolendo, non producit.

Nulla inter voluntatem, & omnipotentiam componuntur prædicata contradictoria.

42. Confirmatur, nam in diuinis nulla stat distinctio virtualis nisi inter perfectiones prædicata realiter contradictoria componentes: hæc autem nulla sunt inter voluntatem diuinam, & omnipotentiam: ergo. Maior constat ex dictis di p. 7. Minor probatur, quia nihil realiter competit diuinæ voluntati, quod idem realiter omnipotentia non conueniat, & è contra, vt constabit ex obiectionum solutione. Hinc colliges, omnipotentiam diuinam identificari virtualiter cum omni illo, cui voluntas virtualiter identificatur, & distingui virtualiter ab omni illo à quo voluntas virtualiter distinguitur. Cum verò voluntas diuina virtualiter distinguatur ab essentia, seu intellectu diuino, ab intellectione, & volitione, tam libera, quàm necessaria, vt tradidimus disp. i. de voluntate, etiam omnipotentia distinguetur virtualiter ab illis.

Voluntas diuina, & omnipotentia ex modo concipiendi distincta.

43. An autem omnipotentia distinguatur nostro modo intelligendi à voluntate diuina? Respondeo affirmatiuè, nam voluntas, & omnipotentia diuina habent connotata, diuersa scilicet volitionem, & creaturas; & quatenus voluntas concipitur à nobis, vel concipi potest, in ordine ad solam volitionem diuinam, per quam formaliter est volens, quin in ordine ad creaturas, saltem immediatè, cognoscatur; quatenus verò omnipotentia concipitur, vel concipi potest, in ordine ad creaturas, quarum est virtus physicè, & realiter productiua, quin in ordine ad volitionem

tia, & voluntate colligi potest, idcirco obtinui ab illo in nostri asserti probatione.

Prædicata
contradictoria
inter omni-
potentiam,
& scientiam.

46. Objicies secundò, omnipotètia nulla fundat prædicata realiter cõtradi&toria cum diuina scientia, aut intellectu: ergo neque distinguitur realiter ab illis. Antecedens probatur, quia nihil realiter potest omnipotentia competere, quod non etiam scientia, aut intellectui conuenire possit, & de ipsis realiter prædicari. *Respondeo*, negans antecedens, eiusque probationem. Omnipotentia enim cum intellectu, & scientia, fundat eadem prædicata contradictoria, quæ voluntas, eodémque titulo distinguitur virtualiter ab illis. Quisnam autem iste sit, traditum à nobis, & disputatum est ex professo disp. 1. de voluntate, videas ibi.

Omnipotentia,
& voluntas
nulla cõ-
ponunt præ-
dicata con-
tradi&toria.

47. Objicies tertio, Omnipotentia fundat prædicata realiter contradictoria cum voluntate diuina: ergo distinguitur virtualiter ab illa. Antecedens probatur, tum quia omnipotentia non est principium virtualiter operatiuum, benè verò voluntas. Tum etiam, quia omnipotentia est principium, non ad intra, sed ad extra; voluntas verò est principium ad intra, cum sit principium communicatiuum respectu Spiritus sancti, & non ad extra. Tum denique quia omnipotentia est terminus per volitionem communicatus Spiritui sancto, non verò voluntas. *Respondeo*, negans antecedens, eiusque omnes probationes, nam omnipotentia realiter est principium virtualiter operatiuum ad intra, sicut voluntas, & neutra est principium virtualiter operatiuum ad extra. Vtraque est principium communicatiuum respectu Spiritus sancti, iuxta dicta disp. 7. de Trinitate, & vtraque est terminus communicatus, iuxta ibidem dicta disp. 9.

S E C T I O V.

*An omnipotentia connexa sit cum creaturis
possibilibus?*

48. **O**ccasione omnipotentiae libranda exponitur à Doctoribus connexio Dei cum creaturis possibilibus. Dixi possibilibus, quia Deus non connecti cum creaturis existentibus, aut futuris certum supponitur, cum tota aeternitate extiterit nulla existente creatura, imò cum omni sua perfectione permanisset, etiamsi nulla vnquam creatura producta fuisset, aut producenda foret. Difficultas ergo est, an ex hypothesi, quantumuis impossibili, quod scilicet, periret possibilitas alicuius; vel omnis creaturae, periret etiam omnipotentia diuina, & consequenter Deus. Id intelligimus nomine connexionis; etenim negantes illam id præstant, vt Deus ita sit independens à creaturis etiam possibilibus, vt factis illis impossibilibus persisteret Deus, quin vlla eius perfectio necessaria periret. Et quidem vt præsentì controuersiae locus detur, supponendum est, possibilitatem intrinsecam creaturae, vel obiectiuam, vt aiunt alij, distinctam esse à Deo, si enim esset ipse Deus, nihil potest esse magis connexum, quàm idem sibi. Possibilitas autem intrinseca, seu obiectiua creata explicari solet per talia prædicata, quæ si ponerentur à Deo, nihil implicarent, aut disconuenirent inter se.

Status con-
trouersiae de-
claratur.

49. Prior sententia negat, connecti Deum cum creaturis possibilibus. Ita Pater Vasquez 1. part. disp. 104. & 143. P. Torres in opusculis disp. 2. de Trinitate dub. 3. P. Gillius 1. part. lib. 2. tract. 10. cap. 6. num. 10. P. Becanus tom. 1. in 1. part. tract. 1. cap. 9. quæst. 13. num. 10. P. Alarcon de scientia Dei disp. 2. cap. 4. P. Gaspar Hurtado tom. 1. in 3. part. diffic. 6. & Petrus etiam Hurtado disp. 15. Metaphys. sect. 9. conclusionem 2. P. Ripalda tom. 1. de ente superno disput. 41.

Sententia
negans.

P. Vasquez.
P. Torres.
P. Gillius.
P. Becanus.
P. Alarcon.
P. G. Hurtad.
P. P. Hurtad.
P. Ripalda.

340 *Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.*

P. Hemelm.
P. Ouiedus.
P. Raynaud.
P. Arrubal.
P. Albertin.
P. Præpositus
P. Lynceus.

Sententia af-
firmans.
P. Soarius.
P. Granadus.
P. Ruiz.
P. Herize.
P. Salas.
P. Fasolus.
P. Ribas.
P. Ribaden.
P. M. Perez.
R. Ant. Perez.

num. 71. P. Hemelman tom. 2. in 1. partem tit. 8. disp. 1. cap. 3. P. Ouiedus controuersia 10. Metaphys. punct. 4. §. 2. num. 5. & punct. 6. num. 14. P. Raynaudus in Theologia naturali dist. 8. quæst. 5. art. 6. num. 738. P. Arrubal tom. 1. in 1. part. disp. 30. & 99. P. Albertinus tom. 2. in prædicam. corol. 1. & 3. P. Præpositus 1. part. quæst. 35. dub. 2. à num. 15. P. Lynceus lib. 4. Physic. tract. 2. cap. 3. & apud ipsum num. 22. Scotus Henricus, Richardus, Durandus, Bonauentura, Ægidius, Romanus, Alexander, Gregorius, Gabriel, Basilius, Legionensis, Gamachæus, Albiz, Acherus & Pefantius.

50. Posterior sententia affirmat, Deum connecti cum creaturis possibilibus; ita vt deficiente possibilitate earum deficeret quoque Deus. Ita magnus Doctor P. Soarius lib. 3. de attributis cap. 9. num. 19. P. Granadus tom. 1. in prima part. lib. 3. controuers. 1. tract. 6. disp. 1. sect. 5. num. 25. & controuers. 2. tract. 2. disp. 3. P. Didacus Ruiz de Trinitate disp. 63. sect. 2. conclus. 4. P. Herize de scientia Dei disp. 5. cap. 4. P. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 2. num. 13. P. Fasolus 1. part. quæst. 12. at. 18. num. 68. P. Ribas tract. 3. de visione Dei disp. 8. num. 27. & disp. 4. de scientia cap. 1. P. Ribadeneyra de scientia Dei tota disp. 7. Vterque Perez, Martinus, & Antonius ille de Trinitate disp. 14. sect. 9. num. 3. & 4. iste de scientia Dei disp. 5. Aliqui verò Docti Recentiores, quibus ansam dedit Ouiedus citatus, distinguentes inter ordinem transcendentalem, & connexionem; docent, Deum dicere quidem ordinem transcendentalem ad creaturas posibles, non verò connexionem, de quonos infra.

51. Agitari solita est controuersia ista circa creaturas posibles positiuas. Nos tamen in vniuersum disputabimus de connexionem Dei cum omnibus possibilibus, tam positiuis, quàm negatiuis, tum creatis tum increatis. Nam cum in Deo dentur actus liberi, quorum existentia est Deo contingens, & talis, quæ potuerit in Deo non esse, vt ostensum est, tract. de Voluntate disp. 8. sect. 6. Locus est disputandi, an Deus connectatur cum possibilitate eorum actuum. Denique in controuersiam vocabimus etiam impossibilia,

impossibilia, an scilicet Deus connectatur cum impossibilitate alicuius impossibilis, ita exigendo illud impossibile esse, vt, si per impossibile, fieret possibile, destruendus esset Deus.

52. Affero primò, Deum connecti cum impossibilitate plurium, quæ si fierent possible destrueretur Deus. Probatur primò, quia Deus ita essentialiter est vnus, vt eius vnitate destructa destrueretur Deus; aliquod autem impossibile factò possibili, scilicet alius Deus, destrueretur vnitas Dei cum ea hypothesi facta, staret pluralitas Deorum: ergo destrueretur Deus, atque adeo connectitur cum impossibilitate alterius Dei. *Secundò*, Deus ita est necessariò existens, vt si deficeret illius existentia necessaria, periret quoque Deus: aliquo autem impossibile factò possibili, deficeret existentia necessaria Dei: ergo & Deus. Minor probatur, nam si futuritio realis formalis Dei, quæ impossibilis est, fieret possibilis, posset Deus aliquando non existere, cum posset esse futurus, & res, dum futura est, non existat: tunc autem periret existentia necessaria, cum de ratione istius sit, nunquam posse deficere, seu non esse: ergo. *Tertiò*, quia si causa physicè, & realiter productiua Dei, quæ impossibilis est, fieret possibilis, destrueretur ens realiter à se, & consequenter Deus, cui repugnat esse ens ab alio tanquam à causa. Similiter si identitas Dei cum creatura, & Personarum diuinarum inter se, quæ impossibilis est, fieret possibilis, destrueretur Deus, & Trinitas personarum: ergo Deus connectitur cum impossibilitate eorum omnium; cum Deus non esset, quod creatura foret, nec trinus, quod tres personas distinctas non haberet.

53. Affero secundò, si negatio eorum impossibilium distincta sit à vero Deo, etiam connecti Deum saltem mediatè, & disiunctiuè cum aliqua earum, si eiusdem termini, etiam impossibilis, plures negationes possible sint, quod mihi probabilius est; sic enim nulla est negatio realis, cuius Deus existentiam impedire non potuerit. Probatur, quia deficiente omni negatione eorum impossibilium deficeret Deus saltem mediatè: ergo disiunctiuè connecti

Deus connectitur cum impossibilitate plurium impossibilium.

Etiã connectitur Deus cum negatione eorum impossibilium saltem aliqua.

connectitur saltem mediatè cum aliqua earum. Antecedens probatur, quia deficiente omni negatione eorum impossibilem, seu possibilitatis eorum, fierent possibilis; cum omnis carentia rei impossibilis destrui non valeat, nisi quod impossibile erat, fiat possibile: illis autem impossibilibus factis possibilibus, Deus immediatè periret, ut constat ex asserto præcedenti: ergo pereunte omni negatione eorum impossibilem, Deus etiam saltem mediatè periret. Dixi si negatio eorum impossibilem, distincta sit à vero Deo, quod probabilius mihi est, quia si sit ipse Deus, dubium non est, ea pereunte, destruendum fore Deum.

Deus non
connectitur
cum creatu-
ris re ipsa
possibilibus.

Prima ratio
insufficiens.

54. Asserto tertio, Deum, quoad essentialia, non connecti absolutè cum creaturis re ipsa possibilibus. Dixi *re ipsa possibilibus*, quia de illis possibilibus per modum conditionis, siue conditionatè, ut quo, dicitur infra. Probari solet conclusio *primò*. Quia si Deus connecteretur cum creaturis re ipsa possibilibus, non posset complacere in sui existentia, quin indirectè veller ea omnia, quæ ad ipsius existentiam simpliciter requisita sunt, peccatum autem possibile ita requisitum esset: ergo in complacentia in seipso teneretur Deus velle peccatum: Hæc tamen ratio firma non est, ut potè convincens, non posse Deum complacere in scientia visionis peccati, quin velit illud futurum, eo quod simpliciter requisitum sit ad existentiam talis scientiæ connexæ cum futuro: Deus ergo ex complacentia in seipso solum tenetur complacere in bono, & displicere in malo, quantumvis requisito ad ipsius existentiam. Id exigente infinita Dei bonitate, ut tract. de voluntate disp. 5. sect. 3. ostendimus.

Secunda ra-
tio minime
efficax.

55. Probant alij secundò, creatura possibilis, dum non existit, nihil est: ergo neque poterit esse terminus diuinæ connexionis. Nec solidum est fundamentum istud, tum quia licet reuelatio præterita nihil sit actu, potest esse terminus connexionis actus fidei cum illa. Tum etiam quia licet impossibilia nihil sint, possunt terminare diuinam connexionem, ut conclusione 1. ostensum est. Tum denique, ut omittam alia, quia etiam si creatura possibilis, dum

non

non existit, nihil sit, potest terminare diuinam connexionem tum scientiæ, tum omnipotentia quoad efficaciam, vt fatentur omnes: ergo creaturam possibilem nihil esse, obstare non potest connexioni cum illa.

56. Probatur tertio, Deus non connectitur creaturis actualibus: ergo neque possibilibus. Patet consequentia, quia creaturæ possibile & actuales non realiter, nec virtualiter distinguuntur: ergo cum actuales non sint terminus diuinæ connexionis, neque possibile tales esse poterunt; aliter virtualiter saltem distinguendæ essent, cum esse realiter terminum connexionis, & non esse, sint prædicata realiter contradictoria. Nec probatio ista valida est vt pote soluenda ab omnibus; cum scientia & omnipotentia quoad efficaciam connectantur creaturis possibilibus, & non actualibus: ergo inconnexio cum creaturis actualibus non infert inconnexionem cum eisdem possibilibus, vnde cunq; id proueniat. Idem meditari licet in futuro conditionato, & absoluto, quæ licet sint omnino idem, tamen conditionatum est terminus connexionis scientiæ conditionatæ cum ipso, quin absolutum tale sit, cum scientia conditionata independens sit à futuro absoluto.

57. Melius ergo, & solidius communi fundamento probatur assertio. Nam Deus constituendus est perfectiori modo, quò possit: perfectiori modo autem constitueretur Deus inconnexus cum creaturis re ipsa possibilibus, quàm connexus, & id possibile est: ergo ita constituendus erit. Major conceditur ab omnibus. Minor quoad vtramque partem probanda est. Quoad primam ostenditur, nam Deum cum creaturis re ipsa possibilibus connecti, est, Deum indigere illis ad suam existentiam, ab eisdemque pendere, tanquam à termino, vel obiecto, sine quo Deus non esset; cuius oppositum lumine naturæ, & ex ipsis terminis apparet perfectio longè major, scilicet, nulla indigere creatura adhuc possibili, nec ab ea pendere. Et confirmatur, nam maior est Dei perfectio, nullius creaturæ absolutæ futuræ, vel existentis indigere, ab eaque independere, quàm oppositum: ergo maior quoque erit Dei perfectio

Tertia ratio
etiam insuf-
ficiens.

Commune,
& solidū as-
serti nostri
fundamen-
tum.

fectio nullius creaturæ re ipsa possibilis indigere, ab ea-
que independere, quam oppositum, iuxta illud Psalm. 15.
Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.

Possibile est
constituere
Deum cum
creaturis in-
connexum.

58. Prior illa major quoad secundam partem, videlicet,
possibile esse, construere Deum inconnexum cum creatu-
ris re ipsa possibilibus ostenditur. Nam si omnipotentia
asseratur virtus de se productiua creaturæ, si ipsa non re-
pugnet, liberatur Deus ab omni connexionem cum creatura
re ipsa possibili: ea autem virtus nihil implicat: ergo pos-
sibile est constituere Deum inconnexum cum creatura
re ipsa possibili. Vtraque præmissa probanda est. Ostendi-
tur maior. Nam virtus conditionatè productiua effectus,
si ipse non repugnet, non connectitur cum possibilitate
illius in re nec ab ea dependet, cum possibilitas sit condi-
tio, & respectus conditionatus, nullam dicat connexio-
nem, aut dependentiam à conditione, quæ re ipsa sit; vt
patet in scientia conditionata conuersionis Petri, si voce-
tur auxilio A; quæ nec connectitur, nec dependet à con-
uersione Petri in re, nec à positione auxiliij; neutro enim
existente staret scientia. Idem est de promissione conditio-
nata, v.g. donandi centum si nauis appulerit, & quocun-
que contractu conditionato. Idemque est de sufficientia
diuina cognoscendi absolutè futura, & existentia, si dentur,
& de sufficientia complacendi in illis.

Idem firma-
tur commu-
ni instantia
potentiæ
obedientia-
lis.

59. Confirmatur trita satis instantia communiter ab Ad-
uersariis approbata, & quæ rem nostram mirificè decla-
rat, & firmat. Nam potentia obedientialis creaturæ ad
supernaturales effectus producendos nulla ratione conne-
ctitur cum illis re ipsa possibilibus, nec ab eorum possibili-
tate dependet, vt multis tract. de visione declarabitur, eo
quod sit virtus conditionatè productiua eorum effectuum,
si ipsi non repugnent: ergo si sublatis imperfectionibus
causæ instrumentalis, diuina virtus productiua creatura-
rum, ita constituatur, videlicet conditionatè productiua
creaturarum, si ipsæ non repugnent, libera erit ab omni
connexionem, & dependentiam à creaturis re ipsa possibilibus;
sicut de sufficientia cognoscendi absolutè futura nuper di-
cebamus

cebamus. Quæ instantia præ oculis habenda semper est, ad omnes Aduersariorum incurfiones retundendas.

60. Minor autem illa prioris fyllogismi, scilicet, nihil implicare virtutem conditionatè productiuam creaturæ, si ipsa non repugnet, probatur ex dictis. Nam similis virtus de facto admittitur in creatura ad effectus supernos producendos. Similis etiam sufficientia conceditur Deo ad cognoscenda futura, si dentur. Quid ergo implicare poterit sufficientia ad producendum creaturam, si possibilis sit. Ea enim virtus non dicitur conditionata, eo quod possibilitas, stricta sit, & distincta respectu creaturæ; sed quia tam creatura, quàm possibilitas eius attinguntur à virtute productiua modo conditionato; sicut hæc scientia diuina; *si Petrus existeret nihil implicaret*, conditionata est ex modo tendendi, etiamsi existentia Petri distincta non sit à possibilitate ipsius. Et hoc decretum, *volo concurrere ad amorem cum voluntate creata si ipsa se ad illum determinauerit*. Quod decretum ex modo tendendi conditionatum est, etiamsi determinatio voluntatis creatæ non sit stricta conditio, seu distincta à concursu Dei. Huiusmodi autem decretum possibile esse, & de facto existere traditum est ex professo tract. de scientia Media disp. 14. sect. 1. Aliis probationibus assumpti, quas videas apud Lynceum 4. Physic. tract. 2. cap. 4. & 5. superfedeo, hac vna contentus, quæ inter omnes potissima est, & efficacior.

61. Assero quartò Deum, quoad essentialia, non connecti absolutè cum suis actibus liberis re ipsa possibilibus. Ratio est quia actus liberi non sunt perfectio Dei, vt ostendi disp. 8. de voluntate Dei sect. 8. aliundè possibilitas eorum connexa est cum possibilitate creaturæ, cui Deus nec mediatè connexus est: ergo sicut maior est Dei perfectio virtus conditionatè productiua creaturarum, si ipsæ non repugnent, ita maior est perfectio Dei, virtus volitiua earundem, si ipsæ creaturæ, earundemque volitio non repugnēt. Nec identitas realis actuum liberorum cum Deo obstare potest independentiæ ab illis absolutè possibilibus; sicut nec obstat independentiæ ab illis actualibus, sine quibus

Virtus conditionatè productiua creaturæ, nihil repugnat.

Deus non connectitur cum actibus suis liberis possibilibus.

potuisse Deum realiter existere ostensum est disp. citata sect. 6. Quæ omnia ex dictis asserto præcedenti roboranda sunt, iterumque obiectionum solutione firmabuntur.

Deus connectitur cum creaturis possibilibus.

62. Assero ultimò, Deū connecti conditionatè cum creaturis possibilibus, ab eisque conditionatè possibilibus essentialiter pendere. Ad eum modum, quo scientia conditionata cōuersionis Petri sub auxilio *A*, pendet à conuersione Petri non absolutè, sed conditionatè. Sicut ergo ea scientia non pendet ab eo, quod Petrus cōuertatur re ipsa nec ab eo quod re ipsa detur auxilium *A*, sed existere potest, quin re ipsa neutrum detur; & tantum pendet à conuersione, sub conditione, quod ponatur auxilium; quia conuersio respicitur modo conditionato, cui inditum est independere tam ab absoluta positione effectus, quàm conditionis; quod idem in promissionibus, & contractibus conditionatis cernere licet. Sicut insuper scientia conditionata pendet ab auxilio, non re ipsa exhibito, sed per modum conditionis adjecto, quod est pendere ab illo conditionatè vt quo, seu per modum conditionis. Pariter dicimus, potentiam conditionam diuinam cognoscendi, vel producendi Petrum, si ipse non repugnet; non pendere ab eo quod re ipsa detur Petrus possibilis, nec ab eo quod re ipsa stet possibilitas illius, quia vtrumque respicitur modo conditionato; pendet tamen à Petro conditionatè possibili, & ipsa possibilitate per modum conditionis.

63. Probatur conclusio, nam Deus, quoad essentialia, est virtus productiua creaturæ, si ipsa non repugnet; & non est, nec esse potest virtus productiua illius, si repugnet: huiusmodi autem virtus connectitur cum creatura conditionatè possibili: ergo & Deus. Maior constat ex dictis. Minor probatur, nam virtus conditionatè productiua creaturæ si non repugnet, pendet essentialiter à termino sub conditione adjecto per illam, & ab ipsa conditione, non quæ re ipsa sit, sed quæ à tali virtute adjecta sit; virtus enim conditionata penitus deficeret eo ipso, quod nulla esset per ipsam adjecta conditio; sicut scientia conditionata non esset quæ suo objecto nullam conditionem adjiceret: ergo virtus conditionatè

conditionatè productiua creaturæ, si ipsa non repugnet, connexa est cum creatura conditionatè possibili.

64. Confirmatur, nam tendentia absoluta, & conditionata in aliquem terminum, hoc differunt inter se, quod absoluta nullam dicit conditionem ex parte termini per ipsam adiectam, conditionata verò eam dicit, vt patet in scientia, promissione, & contractibus conditionatis, & absolutis: ergo virtus conditionata, vt ab absoluta distincta, essentialiter dicit conditionem per ipsam adiectam, connexionemque cum illa. Deus autem, quoad essentialia est virtus, non absolutè, sed conditionatè productiua creaturæ; si ipsa non repugnet: ergo essentialiter dicit conditionem, non repugnantiam per ipsam adiectam, connexionemque cum illa, vt tali; & consequenter etiam cum creatura sub ea conditione. Cum verò ea virtus conditionata ineuitabilis sit in Deo, vt fatentur, qui connexionem absolutam nobiscum Deo negant, ineuitabilis quoque erit similis connexio conditionata Dei, cum creaturis conditionatè possibilibus.

65. Dicere potest aliquis, posse etiam liberari Deum à connexione cum creaturis conditionatè possibilibus, si dicatur, Deum, quoad essentialia, nulla ratione, neque absolutè, neque conditionatè esse productiuum creaturarum: sed hanc potentiam aduenire ipsi jam integrè constituto quoad omnes perfectiones essentialia, & ipsi omninò necessarias, sicut nos dicimus de virtute absolutè productiua. Sicut ergo liberatur Deus à nobis à connexione absoluta cum creaturis possibilibus, pari etiam fundamento liberari poterit, & liberandus erit à connexione conditionata, cum ipsis, & inconnexio maior erit perfectio.

66. Contra, quia Deo secundum prædicata essentialia, & omninò necessaria negari non potest capacitas habendi potentiam productiuam, qualiscumque illa sit, siue conditionata, siue absoluta. Vel ergo capacitas habendi potentiam productiuam, est conditionata, si non repugnet, vel absoluta; medium enim non est. Si absoluta, connexa erit absolutè cum potentia productiua, & consequenter

Quid differant tendentia absoluta, & conditionata.

Deus à connexione conditionata cū creaturis possibilibus liberari non potest.

cum creatura, iuxta modum, quo potentia connectitur illi. Si conditionata, connexa erit conditionatè cum potentia productiua, & consequenter cum creatura, modò quo illi connectitur potentia: ergo Deus liberari non potest, à connexionem cum creatura, saltem conditionata. Idem confirmari potest in virtute intellectiua Deo essentiali, cui negari non potest capacitas intelligendi, non solum possibilia creata, sed futura etiam, & existentia, vt constat ex dictis de constitutio Dei: nulla ergo aperitur via, qua Deus à connexionem conditionata liberari possit.

S E C T I O VI.

Solvuntur obiectiones.

Deus quoad
essentialia
tantum est vir-
tus cõditio-
natè creatu-
rarum pro-
ductiua.

67. **O**bjicies primò; Deus essentialiter est virtus intellectiua, & productiua creaturarum: ergo essentialiter dicit creaturam producibilem: ergo & possibilem; cum producibile non sit, quod impossibile est, sed quod possibile. *Confirmatur*, vis cognoscitiua essentialiter dicit obiectum cognoscibile: ergo & vis productiua terminum producibilem. *Respondeo*, Deum quoad essentialia esse quidem virtutem productiuam, non tamen absolutam, sed tantum conditionatam; virtus autem conditionatè productiua non connectitur cum creatura re ipsa possibili, sed tantum sub conditione possibili. Vnde patet ad confirmationem, nam terminus correspondens virtuti conditionatè productiue, non est creatura absolutè producibilis, sed tantum conditionatè producibilis, & consequenter conditionatè possibilis.

68. Instabis, Deus, quoad essentialia, est virtus conditionatè productiua creaturæ, si non repugnet: ergo, si repugnaret non esset virtus productiua, quam Deus essentialiter habet, à possibilitate creaturæ essentialiter pendet. *Respondeo* concessio antecedente, distinguendo consequens. Si creatura repugnaret, non esset virtus absolutè productiua illius cõcedo: conditionate, si non repugnaret nego. Vnde falsa est vltima cõsequentiã de possibilitate creaturæ in re,

& solum vera de possibilitate per modum conditionis.

69. Instabis iterum, fieri ex nostra doctrina, non repugnare Deo virtutem productiuam chymerae, nam si creatura fieret impossibilis chymera esset, & maneret tunc in Deo virtus productiua illius, quam nunc habet. Imò si chymera esset possibilis, haberet Deus quoad essentialia virtutem conditionatè productiuam illius: ergo de facto illam habet, aliter facta possibili chymera contingeret in Deo variatio quoad essentialia. Hæc instatia, quam magni æstimat iuniores aliqui, soluenda est ab illis in potètia obedientiali creaturæ ad indebitos, & supernaturales effectus producendos, quæ in eorum sentètia cõditionata est, quæq; maneret, etiamsi effectus illi reipsa forèt impossibiles, cum nullatenus cõnexa sit cum illis reipsa possibilibus, sed tantum conditionatè, si possibilis sint, sub qua conditione creatura etiam obedientialiter possèt producere chymeram, videlicet si possibilis esset: ergo creaturæ non repugnat virtus productiua chymerae, & de facto illam eandem habet, quam haberet, si possibilis fieret. Ex qua etiam doctrina, solutio argumenti à nobis exhibita, non leuiter ad hominem firmari potest.

Instatia, quia non repugnet Deo virtus productiua chymerae.

70. Respondeo, in Deo nullam dari virtutem absolutè productiuam chymerae, vt est certum: nec conditionatè productiuam cum circumstantia, & sub conditione impossibilitatis, nam ad impossibile; qua tale, nullum datur posse. Id tamen non obstat quominus detur in Deo virtus conditionatè productiua illius rei, quæ reipsa chymera est, cum circumstantia, & sub conditione adjecta, quod transiret in ens reale, & nihil implicaret, quam suppositionem facit potentia conditionatè productiua; vnde nunquam est virtus productiua chymerae, qua talis, sed qua non chymera, sed ens reale esset, & nihil implicaret.

Quo pacto si in Deo virtus productiua chymerae.

71. Objicies secundò, si in Deo quoad essentialia non esset virtus absolutè productiua creaturarum, sed tantum conditionata, si creatura non repugnet, nulla staret in Deo virtus absolutè creaturarum productiua ipsi intrinseca, & identificata, sed eam denominationem haberet à positio-

ne conditionis possibilitatis creaturæ, à qua virtus conditionata denominaretur absolute productiua: id autem implicat, nam possibilitas creaturarum ab æterno nihil fuit, atque adeò nec potens constituere virtutem absolute productiuam, adhuc inadæquatè, actu in Deo existentem ab æterno.

Quo consti-
tuatur virtus
absolute
creaturarum
productiua.

72. Respondeo, supposita possibilitate creaturarum resultare ex intellectu diuino scientiam absolutam possibilem, sicut supposita futuritione resultat scientia visionis, per eamque scientiam æternam, quodammodo contingentem, & Deo adæquatè intrinsecam, virtutem conditionatam denominari absolute productiuam. Quod si minus placuerit, dicito, vnà cum ea scientia resultare etiam virtutem absolute productiuam, quodammodo Deo contingentem, æternam, ipsique realiter adæquatè identificatam.

73. Objicies tertio, possibilitas creaturarum est à Deo, tanquam à radice inferente illam, nihil enim à Deo distinctum potest esse à se: non autem potest esse à Deo secundum virtutem absolute productiuam, & quodammodo contingentem, cum possibilitas creaturæ supponatur ad illam; nec esse potest à Deo secundum virtutem conditionatè productiuam, cum hæc non inferat possibilitatem in re, sed tantum conditionatã, quæ stare potest cum impossibilitate in re, vt vidimus; nec est virtus media inter absolutam, & conditionatam à qua esse possit: ergo erit à virtute absoluta Deo essentiali, & possibilitate creaturæ priori. *Confirmatur*, possibilitas creaturæ non potest esse à Deo, tãquam à principio libero, cum Deus facere non possit, vt quod possibile est, possibile non sit, aut impossibile fiat: ergo est à Deo, tanquam à principio necessariò ipsa possibilitate priori: omne autem principium necessarium connectitur cum suo effectu, illumque præcedit: ergo & virtus inductiua, seu illatiua possibilitatis creaturæ erit illi connexa, & consequenter non conditionata, sed absoluta.

Qua ratione
possibilitas
creaturæ sit
à Deo.

74. Respondeo negans maiorem, possibilitas enim creaturæ non est à Deo, nisi dum producitur existentia; cum
ista

ista enim producitur totum quod est in creatura, & consequenter possibilitas, & hoc dum non existit creatura, nihil est, sicut ipsa creatura, atque adeò neque est à se, neque à Deo. Si enim possibilitas creaturæ causalitate aliqua esset à Deo, qua existentia non esset ab ipso possibilitas, & existentia creaturæ componerent sine dubio prædicata contradictoria, & distinctionem saltem virtualem. Nec nobis contrarius est Augustinus tom. i. lib. de vera religione cap. 18. aiens. *Itaque omne quod est, in quantum est, & omne quod nondum est, in quantum esse potest, ex Deo habet.* Mens enim Augustini est, creaturam dum producitur à Deo, non solum habere ab ipso existentiam, sed etiam possibilitatem, quam obiectiue tantum habet nondum existens. Quo non probatur physica vlla causalitas in possibilitatem ante existentiam.

75. Objicies quartò, fieri ex nostra sententia primò, Deum posse mentiri conditionatè, si ei mendacium non repugnet; atque adeò non minus, nec aliter, esse in Deo potestatem mentiendi, quam producendi creaturam. *Secundò*, formicam esse omnipotentem, quia inest illi potestas conditionata producendi omnia, videlicet, si sibi non repugnet; in quo stat denominatio omnipotentis. Sicut ergo formica non est omnipotens, quia conditionem, sub qua omnia potest, purificari non postulat; ita neque creaturis impossibilibus, Deus esset omnipotens, quia non repugnantiam creaturarum, sub cuius conditione eas potest, purificari nequaquam exigit.

76. Respondeo negando vtramque sequelam. Primam, quia cum mentiri sit malum, & peccatum, Deus essentia-ter reddit illud impossibile sibi, cum eiusque impossibilitate connectitur, vt de aliis impossibilibus diximus sect. præcedenti, ex quorum possibilitate imperfectio Deo redundaret. Ex eo autem quod creaturæ possibiles fierent impossibiles, vel è contra, nulla in Deum redundaret imperfectio, atque adeo ab illis independere summa est perfectio. Ad secundum sequelam dicimus, nec formicam, nec vllam aliam creaturam posse esse omnipotentem, tum quia

Quarta ob-
iectio, quia
Deus menti-
ri possit, &
creatura pos-
set esse om-
nipotens.

Neutrum ex
præcedenti-
bus absurdis
sequi decla-
ratur.

quia cum omnis finita sit, & limitata, nullius virtus extendi potest, adhuc conditionatè, ad omnia, cum nulla sit, quæ non connectatur aliquibus, & impossibilitati seipsam producendi. Tum etiam quia esse omnipotentem, non est, esse instrumentaliter productivum omnium, si sibi non repugnet, sed principaliter eo ipso, quod absolute, & secundum se, non repugnet; nulla autem creatura, ex hac suppositione potest omnia nec seipsam principaliter producere, atque adeo nec esse omnipotens.

Quinta obiectio, quia impossibili creatura susciperet Deus prædicata contradictoria.

77. Obijcies quintò, ex P. Antonio Perez disp. 5. de scientia Dei art. 5. cap. 2. num. 16. si deficeret creaturæ alicuius possibilitas, eo ipso per locum intrinsicum deficeret Deus: ergo Deus connectitur possibilitati creaturæ. Antecedens probatur, quia si deficeret possibilitas creaturæ, quæ de facto est possibilis, per locum intrinsicum, sequeretur existere à parte rei duo contradictoria, casu quo talis creatura existeret; nam aliquod impossibile existere, idem est, ac existere, & non existere, existere quidem ex suppositione, non existere, nam de ratione impossibilis est non existere, cum qua suppositione immunis ab omni implicancia persistere deberet Deus, si possibilitati creaturæ foret inconnexus: non autem ita persisteret Deus, sed potius implicaret: ergo. Minor probatur nam cum suppositione existentia, & non existentia illius creaturæ, Deus susciperet prædicata contradictoria, quod est implicare; videlicet, coexistere, & non coexistere illi. Coexistere quidem; quia Deus, & creatura existerent; non coexistere, quia creatura impossibilis esset, atque adeo non existens cum de ratione impossibilis sit non existere: ergo.

Idem assumptum primo confirmatū.

78. Confirmat primò suppositione 3. num. 9. Nam de essentia impossibilis, & conjunctionis duarum contradictoriarum, est, non existere: ergo etiam est de illorum essentia non coexistere alicui, scilicet Deo, aut enti creato, cum coexistere includat existere. Quis autem non videat, si existeret id, de cuius essentia est, non coexistere Deo, neque alicui enti; eo ipso sequi, tunc non extitutum Deum, neque vllum aliud ens.

Confir

Disp. VIII. De *Attributo omnip.* Sect. VI. 353

79. Confirmat secundò, quia si existerent duo contradictoria simul, & tunc existeret Deus, illa tribuerent Deo denominationes contradictoriè oppositas; existente enim v. g. luce, & negatione lucis, Deus haberet denominationem coëxistentis luci, & denominationem coëxistentis negationi lucis, ac proinde non coëxistentis luci: eo autem ipso, quod, non coëxistat luci aliquid, dum existit lux, jam illud non existit in se. Nec ad eas denominationes componendas fieri potest recursus ad distinctionem virtua-lem. Nam Deitas est essentialiter idem omnino secum, non solum identitate reali, sed etiam virtuali intrinseca, quæ formalissimè consistit in repugnantia recipiendi prædicata contradictoria, siue intrinseca, siue extrinseca; Deitatem autem esse coëxistentem, & non coëxistentem luci, dicit formalissimè talis identitatis carentiam, cum dicat capacitatem suscipiendi prædicata contradictoria: ergo si Deitas suscipere posset ea prædicata contradictoria, destruenda foret illa identitas virtualis, ac proinde existentia Deitatis. Quod argumentum de quolibet ente formari potest.

Idem scopus
secundò ro-
boratus.

80. Confirmat tertio, nam hæc consequentia est eui- dens. Deus habet existentiam actualem veram: ergo non habet duo prædicata contradictoria contradictoriè deno- minantia existentiam Dei: Igitur hæc etiam consequentia est euidens. Deus habet duo prædicata contradictoria con- tradictoriè denominantia ipsius existentiam: ergo non habet actualem existentiam veram.

Idem propo-
sitionem tertio
stabilitum.

81. Confirmat quartò. Nam si existerent duo contradi- ctoria, & simul existeret Deus; aut illorum coniunctio- nem, Deus ignoraret, aut falsum aliquid diceret (quod vtrumque euertit diuinam essentiam, & existentiam.) Se- quela probatur, nam eo ipso quod Deus affirmaret existen- tiam simul lucis, eandemque negaret, existere simul lu- ce, & negatione illius, affirmatio in primis esset falsa, eo quod non existeret lux, vt supponitur; & negatio etiam esset falsa, quia existeret lux, vt supponitur: Deus ergo non esset. Similiter eo ipso quod Deus, aut aliud ens, ha-

Quarta eju-
dem argu-
menti con-
firmatio.

beret dua prædicata contradictoria, utroque careret simul. Quia habere quodlibet eorum, est carere altero; eo autem ipso, quod careat utraque parte contradictionis, non esset ens, nam de quolibet ente, eo ipso quod est ens, recta, & vera est negatio, aut affirmatio cuiuslibet prædicati.

Præcedens
objectio à
plerisque; Ad-
versariis sol-
venda in po-
tentia obe-
dientiali.

82. Hæc objectio solvenda in primis est à plerisque Adversariorum, in potentia obedientiali creaturæ ad indebitos & supernaturales effectus agendos, quibus in eorum sententia creatura non connectitur. Nam factò impossibili, quolibet effectu supernaturali, nunc possibili, cum suppositione quod existeret, & non existeret creatura, v. g. homo coëxisteret illi, & non coëxisteret; atque adeo omnia argumenti, & confirmationum absurda sequerentur. Deinde eadem forma conuinci, quamlibet entitatem creatam, & creabilem connecti cum quavis alia, quantumvis disparata, non renuit argumenti Author, immo id expressè concedit, & intendit, siquidem relatio illa coëxistentiæ, & non coëxistentiæ locum habet in quibuscunque rebus quantumvis disparatis. Quam tamen doctrinam absurdam existimat P. Lynceus, & Ripalda apud ipsum ridiculam. Quidquid tamen de his sit,

Capacitas
suscipiendi
prædicata
contradictoria
extrinseca,
nec Deo,
nec creaturæ
repugnat.

83. Respondeo ad argumentum, prædicata illa contradictoria, scilicet existere, & non existere esse extrinseca, & non intrinseca respectu Dei, quæ suscipere non repugnat Deo, imo nec creaturæ respectuè ad terminos, quibus minimè connectuntur, imo inconnexio est ipsamet capacitas suscipiendi prædicata extrinseca contradictoria, cum sit capacitas permanendi cum suppositione, quod terminus existat, & non existat, quod est posse illi coëxistere, & non coëxistere. Et ratio est, quia denominatio coëxistentis, & non coëxistentis, quam prædicata contradictoria creaturæ possibilis, factæ impossibilis, Deo tribuerent, non præstarent, Deum existere, & non existere, sed creaturam, existere, & non existere, quod cum extrinsecum, & per accidens se habeat respectu Dei, titulo independentiæ à creatura, inde nec destrui, nec immutari potest essentia, aut existentia Dei, sed solius crea-
tura

Disp. VIII. De attributo omnip. Sect. VI. 355

turæ, respectu cuius sunt prædicata contradictoria intrinseca, cum præsentent, creaturam existere, & non existere.

84. Ad primam confirmationem dicimus, de essentia rei impossibilis, & prædicatorum contradicentium, esse quidem non existere, & nulli alteri coexistere absolute, cum suppositione tamen, quod poneretur à parte rei, est, existere simul, & non existere, coexistere alteri, & non coexistere; non coexistere inquam ex defectu existentia non alterius, sed propriæ ipsius; inde tamen non sequitur, alterum, scilicet, Deum, non existere, sed rem impossibilem existere simul, & non existere, & ratione existentia coexistere Deo, & ratione non existentia non coexistere, quæ denominationes cum extrinsecæ sint respectu Dei, ipsius essentiam, aut existentiam immutare non valent, titulo independentiæ Dei à creaturis, quæ major est perfectio, quàm dependentia.

85. Ad secundam confirmationem concedimus, existente duplici contradictorio, tribuendas fore Deo denominationes extrinsecas contradictorias, sumptas ab existentia, & non existentia rei impossibilis, quæ distinctioni virtuali intra Deum non sufficiunt, nec intra creaturam respectu ad terminum, cui minimè connectantur. Nec lat est, ut Deus non existat, quod non coexistat alteri, dum hoc existit, si hoc simul etiam non existat. Nam Deum tunc non coexistere, non sumitur à negatione existentia Dei, sed à negatione existentia creaturæ, cum enim hæc simul existat, & non existat, simul etiam Deus existens, denominaretur coexistens, & non coexistens, quin existentia vera Dei iacturam ullam pateretur. Vnde constat ad tertiam confirmationem prædicata enim contradictoria extrinseca nullam refundunt implicantiæ in existentiam cum illis minimè connexam; atque adeo licet Deus ea prædicata susciperet, eius existentia vera esset.

86. Ad quartam confirmationem neganda est sequela. Nam impossibile communi omnium consensu est tale, de quo, si poneretur à parte rei, verificarentur propositiones

Prædicata
contradictoria
extrinseca
distinctioni
virtuali
non sufficiunt.

contradictoriae, affirmatio scilicet, & negatio; quia cum res simul esset, & non esset, affirmatio vera, esset ab existentia, quae esset, & similiter negatio, à negatione existentiae, quae pariter esset; ut enim affirmatio falsa sit opus est, & una tantum pars contradictionis existeret, scilicet negatio existentiae; & similiter ut negatio falsa esset, opus erat, ut sola existentia esset. Tunc ergo, cum simul esset utraque contradictionis pars, utraque diuina propositio, affirmans, & negans, rem esse, & non esse, vera foret.

Sexta obiectio sumpta à diuina scientia cognoscente potentiam productiuam.

87. Obijcit sextò, idem Antonius Perez n. 17. Si Deus quoad essentiam haberet virtutem conditionatè productiuam hominis, v. g. si non repugnet, cognitione essentiali, eam virtutem, & respectum cognosceret, cognitione quidem non confusa, ut est certum, sed euidentissimè penetratiua vltimae differentiae talis virtutis: ergo huiusmodi diuina scientia in ea virtute, & respectu, hominem cognosceret, non autem cognosceret includi in homine duo praedicata contradictoria, cui non includantur in homine: dicendum ergo est, Deum non cognoscere ea scientia includi in homine duo praedicata contradictoria: ergo Deo quoad essentialia repugnat affirmare, includi in homine duo praedicata contradictoria: ergo Deus quoad essentialia affirmat, hominem non inuoluere duo praedicata contradictoria, atque adeo possibilem esse.

Modus tendendi praefatae scientiae circa possibilitatem creatam praescisus est.

88. Respondeo, concesso toto argumento, negans vltimam consequentiam. Deus enim quoad essentialia clarissimè cognoscens potentiam quantum est ex se productiuam hominis, si non repugnet, cognoscit quidem praedicata hominis, sed non affirmans, neque negans per eam scientiam, hominem repugnare, aut non repugnare, sed ab utroque praescindens, quia attingit possibilitatem hominis per modum conditionis, asserens, in me stat virtus productiuam hominis, si ipse non repugnet. Qui modus attingendi nec affirmat hominem esse possibilem, nec negat. Sicuti scientia conditionata, qua nouit Deus conuertendo Tyrios, si virtutes Betsaiditarum factae fuissent in illis, nec affirmat, nec negat, eas virtutes factas esse, aut non esse; sed

fed ab utroque præscindit, quia eas virtutes attingit tantum per modum conditionis, qui modus cognoscendi nihil definit de existentia, aut non existentia conditionis, sed indifferenter se habet ad utrumque. Idem dicimus de scientia illa respectu possibilitatis hominis, quam tantum attingit per modum conditionis.

89. Objicit septimò Deo, quoad essentialia, repugnat facere, quod implicat: ergo potentia diuina, quam essentialiter habet Deus, connectitur cum negatione implicantiæ rei factibilis per ipsam; & consequenter cum possibilitate. Respondendo, Deo quoad essentialia repugnare, facere, quod implicat, adjecta conditione, quod implicet, non verò sub conditione, quod non implicaret. Vnde potentia diuina, quam essentialiter Deus habet, sicut solum connectitur cum possibilitate, non re ipsa tali, sed tantum per modum conditionis; similiter etiam connectitur cum negatione repugnantia; atque adeo, cum neutra re ipsa possibili connectitur. Ut in potentia obedienciali creaturæ respectu effectuum supernorum fateri tenentur quotquot aduersantium illi negant connexionem.

90. Objicit octauò P. Ribadeneira disp. 7. de scientia Dei cap. 1. num. 6. Eo ipso quod Deus, sit verus Deus summè necessarius, infert per bonam consequentiam, Petrum esse possibilem: ergo habet connexionem cum possibilitate Petri. Antecedens probatur, nam verus Deus summè necessarius includit hæc duo prædicata, videlicet, posse coëxistere Petro, si non implicet: & non posse, si implicet: hæc autem duo prædicata inferunt per bonam consequentiam, Petrum esse possibilem: ergo. Minor probatur. Nam possibilitas ad aliquid sub vna conditione, & impossibilitas ad idem sub alia conditione, sunt prædicata de se inferentia distinctionem earum conditionum: ergo possibilitas Dei ad coëxistendum Petro, si non implicet; & impossibilitas ad coëxistendum si implicet, sunt prædicata de se inferentia distinctionem Petri possibilis ab impossibili: ergo talia prædicata diuina de se inferunt possibilitatem Petri. Hoc argumentum etiam probat potentiam

Quomodo Deo quoad essentialia repugnet facere quod implicat.

Octava obiectio sumpta à conditionibus potentia, & impotentia producendi.

obedientialem connecti cum suo termino, vt patebit applicanti formam argumenti.

Solutio præcedētis fundamenti.

91. Respondeo, etiam, si ea prædicata inferrent per bonam consequentiam, distinctionem inter Petrum possibilem, & impossibilem, quia idem Petrus nequit simul esse possibilis, & impossibilis, non tamen definire, nec inferre, quænam pars distinctionis sit re ipsa vera, an Petrus possibilis, vel Petrus impossibilis, quod necesse erat connexioni cum possibilitate Petri; sicut hic actus, *Petrus vel est possibilis, vel impossibilis*, distinguit quidem inter Petrū possibilem, & impossibilem, quin definiat, aut inferat, Petrum esse re ipsa possibilem, potius quàm impossibilem, aut è contra. Si autem inquiras cur ea prædicata diuina neutram partem distinctionis determinent. Respondeo, quia vtramque attingunt tantum per modum conditionis; qui modus attingendi nihil de statu conditionis definit, vt sæpius dictum est.

Prædicata diuina non inferunt distinctionem in re oppositarum conditionum.

92. Addo, ea prædicata diuina non inferre distinctionem in re earum conditionum, nec identitatem, sed ab utroque præscindere. Nam etiam si Petri possibilitas fieret re idem cum eiusdem impossibilitate, aut è contra, maneret Deus. Diuina ergo illa prædicata tantum inferunt distinctionem possibilitatis, & impossibilitatis, per modum conditionis, quatenus à Deo adjectæ, nam potentia diuina productiua Petri ita adjicit pro conditione possibilitatem illius, vt non adjiciat, nec adjicere possit, impossibilitatem; è contra verò repugnantia diuina producendi Petrum, ita adjicit pro conditione impossibilitatem eius, vt non adjiciat, nec adjicere valeat, possibilitatem. Sicut ergo diuina illa prædicata non inferunt possibilitatem, aut impossibilitatem Petri in re, sed tantum per modum conditionis; ita nec inferunt distinctionem, aut identitatem earum in re, sed tantum per modum conditionis, seu quatenus conditiones sunt, maximè cum ea distinctio sint ipsamet extrema possibilitatis, & impossibilitatis, quæ solum inferuntur per modum conditionis.

Instantia supra à potentia

93. Instas. Possibilitas intellectus creati ad videndum Deum

Deum sub conditione auxiliij supernaturalis possibilis, & impossibilitas eiusdem intellectus ad videndum Deum sub conditione eiusdem auxiliij impossibilis, sunt prædicata inferentia distinctionem in re earum conditionum: ergo possibilitas Dei ad producendum Petrum, si possibilis est, & impossibilitas ad producendum illum, si impossibilis sit, erunt prædicata inferentia distinctionem in re earum conditionum; atque adeo Deus cum ea distinctione connectetur. Vnde si Petrus possibilis, fieret impossibilis, seu idem esset Petrus possibilis, & impossibilis, periret Deus, quia periret distinctio, cui Deus connecteretur. *Respondeo*, negans antecedens, idem enim dicendum est, in utroque casu, cur in utroque eadem sit inconnexio tam cum possibilitate, quam cum impossibilitate conditionis. Nec paritas altera sumpta ex scientia conditionata conuersionis Petri sub auxilio *A*, & non conuersionis sub auxilio *B*, efficax est. Nam illæ scientiæ ideò inferunt distinctionem in re earum conditionum, quia supponunt absolutam possibilitatem ipsarum, nec vnam, & eandem vtriusque auxiliij, sed diuersam, quod non militat in nostro casu.

94. Obijcies nonò, Deus quoad essentialia habet hanc cognitionem. *Idem non potest simul esse, & non esse*: ergo si Petrus simul esset, & non esset, quod est, Petrum implicare, falsa foret cognitio illa, atque adeò destruenda, & consequenter Deus cum ea cognitione connexus. Antecedens videtur certum, nam illa cognitio est vnum, ex primis principiis, quæ Deus ignorare non potest, & non pendet ab eo, quod quidquam sit possibile re ipsa, vel impossibile, existens, aut non existens, sed est cognitio sempiternæ veritatis, sicut & ista, *Duo contradictoria non possunt simul esse*. Confirmatur si idem simul esset, & non esset haberet Deus hanc cognitionem, idem v. g. Petrus simul est, & non est: ergo non haberet oppositam huic, scilicet, idem non potest simul esse, & non esse: ergo si idem simul esset, & non esset, ea cognitio in Deo non esset, & consequenter neque Deus.

95. *Respondeo*, concessio antecedenti, negans consequentiam.

tia obedientiali ad videndum Deum soluta.

Nona obiectio ex principiis sempiternæ veritatis.

Componuntur ea prius.

cipia cum
inconnexione
Dei.

quantiam. Nam etiam si Petrus simul esset, & non esset, adhuc verum esset, hoc complexum impossibile esse, cum sit complexum duplicis contradictorij: unde negatio diuina asserens, idem non posse simul esse, & non esse, vera semper esset, atque adeo minimè destruenda. Ad confirmationem, concessio antecedente, neganda est vtraque consequentia. Nam, sicut idem simul esse, & non esse, non opponitur cum hoc, quod est, impossibile esse; imo quod simul esset, & non esset, hoc ipso impossibile esset; nec cognitio diuina asserens, idem esse, & non esse, opposita esset cognitioni asserenti, idem non posse simul esse, & non esse; sed vtraque verissima esset, quia quod simul esset, & non esset, simul etiam impossibile esset, atque adeo verum esset, non posse esse.

Inconnexio
Dei non ex-
pungit ab eo
virtutes mo-
rales.

96. Obijcies decimò, fieri ex nostra sententia, Deum quoad essentialia non habere virtutes morales, quod dici non potest: ergo. Sequela ostenditur, nam impossibilibus omnibus creaturis maneret Deus quoad essentialia: tunc autem nullæ in eo essent virtutes morales: ergo neque de facto. Major probatur, quia tunc implicarent contradictionem actus, & objecta cuiusvis virtutis moralis: ergo nulla esset possibilis. Quæ enim esset iustitia, cui implicaret tribuere cuiquam jus suum. Quænam Misericordia, cui impossibile esset alicuius misereri. Quæ liberalitas, quæ nihil alicui donare posset, &c. ergo. *Respondeo* in Deo esse virtutes morales, non absolutè elicitiuas suorum actuum, sed conditionatè, si actus non repugnent, nec creaturæ, quibus connectuntur, nec id absurdum est, sed major Dei perfectio, & independentia à creaturis.

Nec liberū
arbitrium
conditiona-
tum.

97. Obijcies vndecimò, fieri ex nostra sententia, Deum quoad essentialia non habere liberum arbitrium, quod dici non potest. Sequela probatur, nam impossibilibus creaturis, Deus nihil posset liberè decernere: ergo nec liberum haberet arbitrium, hoc enim essentialiter est potestas liberè decernendī. Tunc autem maneret Deus quoad essentialia: ergo Deus quoad essentialia de facto non haberet liberum arbitrium. *Confirmatur*, impossibilibus crea-
turis,

Disp. VIII. De attrib. omnipot. Sect. V. 361

turis, impossibilis quoque esset actus diuinus liber: ergo nullum esset in Deo liberum arbitrium, cum ad actum impossibilem nulla sit potentia. Antecedens probatur, vel enim actus diuinus liber constituitur adæquatè Deo intrinsecus, vel partim intrinsecus, & partim extrinsecus: quouis autem modo decretum liberum, vel connotat essentialiter creaturam, non solum reipsa possibilem, sed etiam futuram, vel includit illam: ergo nulla stante creatura possibili, nullus actus liber esset Deo possibilis. Idem argumentum fieri potest de supremo Dei in creaturas dominio.

98. Respondeo, Deum quoad essentialia habere liberum arbitrium, non absolutum ex parte actus, & objecti, sed conditionatum, si videlicet actus, & objecta non repugnent. Idemque de supremo dominio in creaturas dicendum est. Nec id absurdum est, sed ingens, & major Dei perfectio, quàm liberum arbitrium absolutum ex parte actus, & objecti, ratione cuius Deus à creaturis dependeret. Ad quam dependentiam vitandam Deus suos actus liberos, sicut & creaturas, respicit conditionatè, si possibiles sint, permansurus etiam si forent reipsa impossibiles; quia cum non sint perfectio Dei, hoc pacto respici nihil obstat, nec paritas inde ad perfectiones diuinas necessarias sumi potest.

99. Instabis, liberum arbitrium conditionatum non est reipsa liberum arbitrium: ergo si solum illud esset in Deo, non esset reipsa in illo liberum arbitrium. Antecedens probatur, tum quia liberum arbitrium conditionatum stare potest cum impossibilitate sui actus. Tum etiam quia voluntas humana Christi non est libera ad peccandum, etiam si potestatem habeat conditionatam peccandi, si vnio hypostatica solueretur. Tum denique, quia voluntas nostra libera non est ad agendum sine cognitione objecti, quamuis potestatem habeat ad liberè agendum, si talis cognitio stet.

100. Respondeo, liberum arbitrium conditionatum non esse quidem liberum arbitrium absolutum, quandiu non purificatur conditio, esse tamen liberum arbitrium con-

Liberum arbitrium conditionatum quale sit?

ditionatum, cui non repugnat cum impossibilitate sui actus conjungi. Instantiæ verò voluntatis humanæ Christi, & nostræ, solum euincunt, non stare absolutam libertatem ad peccandum cum vnione ad verbum; nec ad liberè agendum, sine cognitione indifferenti; non autem probant non stare libertatem conditionatam si purificetur conditio; qualem nos dicimus esse in Deo. Quod autem libertas creata purè conditionata sufficiens non sit ad peccandum, aut merendum; verum quidem est, nam ad id libertas absoluta per purificationem conditionis necessaria est, cum aliter actus possibilis esse non possit; id tamen nec obstat, nec impedit liberum arbitrium conditionatum Dei, nec probat absolutum necessarium, cum importet imperfectionem dependentiæ à creaturis.

Aliqui Patres, objecti, & expositi.

101. Obijcies duodecimò, & vltimò, aliquos Patres inferentes apud Theophylum Raynaudum Theologiæ naturalis dist. 8. quæst. 5. art. 1. omnia esse possible, quia Deus est Omnipotens. Hæc autem illatio nulla foret non stante connexionem Dei cum possible: ergo. *Respondeo*, eos Patres inferre possible ex omnipotentia, non quoad sufficientiam, quæ sola competit Deo essentialiter, sed quoad efficaciam, quam non negamus cum possible connexionem; addit enim supra sufficientiam scientiam absolutam possible, si virtus non sit specialis resultans in Deo posita possible creaturarum, de quo statim.

Ad veram potentiam sufficit continentia conditionata effectus.

102. Instabis, vt aliqua potentia sit vera potentia, debet in illa contineri effectus: eo autem ipso, quod in potentia contineatur effectus, possible re ipsa debet esse, cum impossibile in nulla vera potentia contineri valeat: ergo cum in Deo quoad essentialia sit vera potentia, inferet re ipsa possible. *Respondeo*, ad veram potentiam satis esse, quod contineat eminenter effectum sub conditione, si possible sit, etiamsi re ipsa impossibile esset. Quod non leuiter minuit S. Thomas quæst. 25. de potentia art. 3. corpore, ita scribens de impossibile. *Hoc enim omnipotentia non subditur, non propter defectum diuinæ potentia; sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possible.* Et infra, vnde
conue

conuenientius dicitur quod ea (scilicet impossibilia) non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere. Quibus innuit Sanctus Doctor, potentiam conditionatam diuinam, seu sufficientem quantum est ex se ad faciendum etiam impossibile, si foret possibile.

S E C T I O VII.

An sit in Deo, & quo constituatur, omnipotentia quoad efficaciam?

103. **C**onstat ex dictis in Deo quoad essentialia tantum esse potentiam productiuam creaturæ conditionatam, seu quoad sufficientiam, Quærimus nunc, an ultra huiusmodi potentiam, & extra essentialia, concedenda sit Deo potentia absolute, & quoad efficaciam productiua, & cum creaturis absolute, & reipsa possibilibus connexa; & quo huiusmodi potentia constituatur, an videlicet sit noua virtus productiua resultans in Deo supposita possibilitate creaturæ, sicut resultat noua scientia exprimens absolute possibilia, vel sit ipsamet potentia conditionata, addita illi possibilitate creaturæ in re, quæ erat conditio eius virtutis, vel scientia talis possibilitatis, aut aliquo quouis alio, siue creato, siue increato.

104. Affero primò, concedendam esse Deo potentiam absolute, & quoad efficaciam productiuam cum creaturis reipsa possibilibus connexam. Ratio est facilis, quia in Deo negari non potest potentia creaturarum productiua saltem conditionata, si possibles sint; si enim ea virtus admittatur absoluta, constans erit, eam esse in Deo: Potentia autem conditionatè productiua, licet ex modo tendendi conditionata semper sit, purificata tamen conditione, fit absoluta, quocunque id constituatur: ergo cum de facto purificata sit conditio possibilitatis creaturarum, negari Deo non potest potentia absoluta creaturarum productiua.

Scit in Deo potentia absolute creaturarum productiua.

ductiua. Maximè cum Patres talem Deo potentiam concedendam prædicent, ex qua possibilitas in re creaturarum legitimè inferatur qualis sola est absoluta, & non conditionata.

Ea potentia non est noua virtus productiua.

105. Affero secundò, virtutem absolutè productiuam diuinam, non esse nouam, & specialem virtutem, absolutam ex modo tendendi, & à conditionata distinctam, sed esse ipsammet virtutem conditionatam, & purificationem conditionis, aut scientiam diuinam talis purificationis, si nolis eam potentiam absolutam diuinam aliquo creato compleri, quod magis placet. Ratio est quia potentia conditionata, sola purificatione conditionis, & notitia illius, est sufficiens ad producendas creaturas: ergo superflua est, & inutilis noua, & specialis potentia absoluta ex modo tendendi; atque adeo exterminanda à Deo cum ad alium effectum, quàm ad creaturarum productionem necessaria non sit. *Confirmatur*, etenim quia intellectus diuinus est de se sufficiens ad veritates liberas cognoscendas si dentur, posito quod dentur, non admittitur nouus intellectus liber, & à necessario distinctus ad eas veritates cognoscendas: ergo cum potentia conditionatè productiua creaturarum, si possibles sint, de se sit sufficiens; posita possibilitate creaturarum, necessaria non erit, nec admittenda noua, & specialis potentia absoluta à conditionata distincta.

Scientia necessaria sufficiens non est ad exprimenda absolutè possibilis.

106. Obijcies primò, quamuis scientia necessaria sit de se sufficiens ad exprimenda possibilis, si dentur, illis tamen datis, admittitur in Deo noua scientia absolutè exprimens possibilis: ergo etiam si potentia conditionata sit de se sufficiens ad creaturas producendas, si possibles sint, illis tamen re ipsa possibilibus, noua potentia absolutè productiua admittenda erit. *Respondeo* negans, scientiam necessariam sufficientem esse ad exprimenda absolutè possibilis, si distincta sit ab intellectu diuino, vt ego opinor; sicut sufficiens non est ad exprimenda futura, & sicut amor necessarius sufficiens non est ad amandum liberè; nam scientia, quæ modo absoluto semel non exprimit aliquod objectum, nunquam ita potest illud exprimere, sed noua, & distincta.

Disp. VIII. De *Attributo omnip.* Sect. VII. 365

distincta scientia necessaria est, cum nouus sit, & distinctus modus tendendi in objectum, in quo nouus actus, & noua scientia consistit; sicut in voluntate diuina modus tendendi liberè in futura nouus est actus ab amore necessario virtualiter distinctus.

107. Si verò scientia necessaria sit indistincta ab intellectu diuino, vt opinantur non pauci, adhuc non vrget argumentum. Nam scientia necessaria ideò esset sufficiens ad cognoscenda possibilis, non quia scientia necessaria est, sed quia intellectus esset potens de se omnia cognoscere per suos actus, objecta exprimere volentes, cumque scientia necessaria non esset actus valens exprimere absolute possibilis, inde nouus actus necessarius esset, sicut inde nouus actus ad exprimenda futura necessarius est. Potentia autem absolute productiua non esset actus potentia conditionatè productiua, sed vtraque esset potentia, & inde superflua, quia sola conditionata ad producendas creaturas sufficeret.

Quid si scientia necessaria indistincta foret ab intellectu diuino.

108. Obijcies secundò, potentia absolute productiua creaturarum neque esset in Deo libera, & contingens, neque necessaria: id autem implicat, cum inter contingens, & necessarium non sit medium: ergo. Maior probatur, imprimis enim non esset Deo necessaria, cum Deus cum omni sua perfectione necessaria manere potuisset impossibili omni creatura, & tunc nulla esset potentia absolute productiua. Deinde libera & contingens non esset. Tum quia possibilitas libera, & contingens non est, aliter posset res possibilis non esse possibilis. Tum etiam quia liberum Deo non est Petrum possibilem esse, vel non esse possibilem: ergo potentia absolute productiua neque esset Deo necessaria, neque libera, aut contingens.

109. Vt clarius respondeam aduertat, dupliciter posse aliquid esse alicui contingens. Primò negatiuè, eo quod subjectum à suis intrinsicis prædicatis, & independentè ab omni libero exercitio, possit esse sine illo. Secundò positiuè, eo quod libero suo arbitrio possit ponere, & non ponere illud, & hoc pacto esse, & non esse sine illo. Res-

Qua ratione scientia absoluta possibilium sit Deo contingens.

pondeo ergo, potentiam absolutam creaturarum productiuam esse Deo, non simpliciter necessariam, cum sine illa existere potuisset; nec positiuè liberam, & contingentem, sed tantùm negatiuè contingentem; quia sicut Deus cum essentialibus prædicatis suis sine creaturis reipsa possibilibus existere potuit; ita etiam sine potentia absolutè earum productiua permanere valuit.



DISPVATIO IX.

De Aeternitate & Immensitate Dei.

1. **H**ÆC duo diuina attributa adeò sunt inter se similia vt cuiusvis notitia, alterum fiat manifestum, ideò vtrumque hac disp. sociamus. Nihil differimus de aeternitate, & immensitate extrinsecis, scilicet tempore, & spatio imaginariis; hæc enim physicis incumbunt. Nobis tantùm est controuersia de aeternitate, & immensitate intrinsecis, quæ perfectiones sunt intrinsecæ Dei, quamuis cum respectu ad immensitatem, & aeternitatem extrinsecas, saltem conditionato, vt dicetur infra.

SECTIO I.

Quid sit immensitas & aeternitas Dei?

Sententiæ
 Doctorum
 P. Soarius.
 P. Vasquez.

2. **I**mmensitas provt in præsentì sumitur pro diuina perfectione, qua Deus omni loco per intimam penetrationem correspondet. Similiter aeternitas pro diuina perfectione, qua Deus omni tempori coëxistit. Difficultas ergo

ergo est, quid sit, & qualis huiusmodi perfectio. *Prima sententia* asserit immensitatem diuinam consistere in præsentia, seu vbcatione, qua Deus actu correspondet omni loco imaginario interminato. Ita Soarius disp. 30. Metaphys. sect. 7. num. 44. Vnde aternitas erit præsentia ad omne tempus; hoc tamen discrimine, quod immensitas est præsentia seu vbcatio permanens, aternitas verò successiua iuxta temporis mensuram. *Secunda sententia* rejectis tempore, & spatio imaginariis, docet, immensitatem esse potentiam quantum est ex se occupandi quodcunque spatium, casu quo sit, similiter aternitatem esse potentiam quantum est ex se sufficientem ad correspondendum omni tempori. Ita Vasquez 1. part. quæst. 8. circa art. 4. & plures Recentiores, qui omnipotentiam in virtute quantum est ex se sufficienti constituunt, & de immensitate & aternitate quoad efficaciam, simili modo philosophantur, ac de efficacia omnipotentia.

3. Affero, Immensitatem diuinam esse, vbcationem infinitam adæquatè Deo intrinsecam, & identificatam, de se sufficientem, vt intimè penetretur Deus cuilibet creato, eo ipso quod possibile sit, & existat, siue illud sit locus imaginarius, quem non negamus, siue physicus, siue ipsa quælibet creatura; ita vt immensitas Dei nihil includat creatum, nec illud respiciat absolutè possibile, aut existens, sed tantùm conditionatè, si possibile sit, & existat. Similiter dicimus, Aternitatem Dei esse, Durationem infinitam adæquatè Deo intrinsecam, & identificatam, de se sufficientem, vt per illam Deus ex parte sua habeat, quidquid opus est, vt coexistat omni creato, eo ipso quod possibile sit, & existat. Huius asserti probatio, & declaratio opportunius tradetur sect. 6. vbi iterum repetenda foret pro coexistentia Dei ad creaturas in tempore futuras.

4. Rogabis nunc, an attributum immensitatis respiciat diuersis virtualitatibus diuersa spatia, vel vnica indiuisibile omne spatium, & idem est de aternitate respectiue ad tempus. In hac parte connotatores ad fugiendas diuersas virtualitates in aternitate, & immensitate, aliquibus premuntur

In quo stet
immensitas
intrinseca
Dei?

In quo aternitas?

muntur angustiis, nam in eorum plurium sententia immensitas respicit omnia spatia, tanquam connotata essentialia, & independentia, quæ enim dependentia esse potest inter locum Valentinum, & Romanum: ergo respicit distinctis virtualitatibus distincta loca, ad quas in ea sententia sufficiunt diuersa connotata essentialia, & independentia. Nec video qua doctrinæ sequela similes virtualitates admitti possint eo fundamento in omnipotentia respectu creaturarum possibilium, & negari in immensitate, & æternitate respectu suorum terminorum.

Immensitas,
& æternitas
indiuisibili
virtualitate
omne spa-
tium, & tem-
pus respi-
ciunt.

5. Respondeo igitur, immensitatem, & æternitatem intrinsecam Dei, eadem indiuisibili virtualitate respicere omne spatium, & tempus cui correspondere possunt. Cuius facilis, & firma ratio est, nam ad distinguendas virtualitates in diuinis vnum è duobus necessarium est, vel componere cum identitate reali prædicata realiter contradictoria, vel ratio principij, & termini: neutrum reperitur in immensitate, aut æternitate respectu suorum terminorum, vt consideranti fiet manifestum; vnde enim respectus ad locum Valentinum esse poterit principium respectus ad locum Romanum, aut è contra: prædicata autem contradictoria nulla sunt: ergo, &c.

Qualiter
Deus sit præ-
sens rebus
creatis per
essentiã, præ-
sentiam &
potentiam.

6. Rogabis secundò, Quomodo dicatur Deus esse in omnibus rebus creatis per essentiam, potentiam, & præsentiam. Et quidem Deum ita esse in rebus omnibus creatis supponitur à Theologis cum S. Thoma 1. part. quæst. 8. art. 3. Missis aliorum sententiis, quæ circa existentiam Dei in creaturis per essentiam, non plenè satisfaciunt. Respondeo primò, ideò Deum esse in rebus omnibus creatis per essentiam, quia cum omnia creata sint ens per participationem, nullum est, in quo aliquid essentialia primæ entis non sit participatum. Respondeo secundò, ideò esse in rebus omnibus creatis per potentiam, quia per Omnipotentiam ita omnia in omnibus operatur, juxta Apostolum, vt omne creatum pendeat à virtute diuina. Respondeo tertio, ideò Deum esse in rebus omnibus creatis per præsen-

Disp. IX. De Immens. & Atern. Sect. II. 369
præsentiam, quia ratione immensitatis est intimè penetratus cum omni creatura, & indistans ab illa.

SECTIO II.

An & quomodo repugnet creatura esse immensam, & aternam?

7. **T**Ripliciter posset aliquod ens esse aeternum, & immensum. *Primò*, exigens essentialiter omni loco, & tempore correspondere eo ipso quod sit. *Secundò* contingenter, & per accidens correspondens omni loco, & tempore. *Tertiò* per immensitatem, aut aeternitatem intrinsicam Dei, illi physicè unitam, quo pacto diuina Sanctitas denominat humanitatem Christi Sanctam, & substantia subsistentem.

8. Affero primò, non repugnare creaturam esse immensam, & aeternam improprie, per correspondentiam omni tempore, & loco, ipsi contingentem. Correspondentiam contingentem voco, quæ rei iam existenti per accidens contingit, siue sine qua res durare potest existens, non quæ sumitur ab existentia contingentem, quia potuit res non existere. Probatum quia nulla est assignabilis repugnantia in eo quod Deus Angelum constituat, & replicet in omni spatio, cum nullus sit assignabilis locus, ultra quem Deus non valeat Angelum diffundere, & replicare, nec tempus ultra quod Deus non potuerit Angelum producere, aut conseruare: ergo poterit ab aeterno in aeternum conseruare, & omni spatio diffundere. *Confirmatur*, si id implicaret, maximè, quia posset Angelus participare attributum diuinæ immensitatis, aut aeternitatis: id falsum est: ergo. Minor probatur, quia immensitas diuina non stat præcisè in correspondentia omni loco, & tempore; sed in tali correspondentia ad locum, ut eo ipso, quod existat res, necessario, & essentialiter diffundatur per omne spatium, quin

Creatura improprie, & per accidens potest esse immensa.

contrahi possit, aut ab aliquo dimoueri; & æternitas in tali correspondentia ad tempus, ut eo ipso quod res existat, omni tempore coëxistura sit; Angelus autem nullatenus id participaret, quantumuis à Deo in omni spatio replicaretur, vel omni tempori coëxistens conseruaretur, quia id illi per accidens omnino contingeret: ergo, &c.

Repugnat
creaturam
esse propriè
à suis prædi-
catis æter-
nam, aut im-
mensam.

9. Afferò secundò, repugnare creaturam esse immensam, aut æternam, exigendo essentialiter omni loco, aut tempori correspondere, ex suppositione quod existat. Probatur, quia huiusmodi æternitas; & immensitas sunt attributa Dei, ut posuimus sect. 1. ergo repugnant creaturæ, utpote finitæ, & limitatæ; & nulla ratione valenti attributa propria Dei continere. Vnde sicut illi repugnat infinitas propria Dei, ita & immensitas, & æternitas. Dices attributa diuina immensitatis, & æternitatis, non stare in præcisa illa exigentia correspondendi omni loco, aut tempori, sed addere vltèrius, ita existere, ut non potuerit non existere; Hæc tamen responsio audienda non est, quippe non distinguens inter ens necessarium, & immensitatem, & æternitatem diuinam, quæ distincta sunt Dei attributa.

Obiectio
sumpta ex
cognitione
superna.

10. Obijcies possibilis est cognitio superna representans se esse vbique: huiusmodi autem cognitio ita responderet omni spatio, ut ex suppositione, quod existeret, necessario, & essentialiter exigeret, ita omne spatium replere, ut contrahi non posset, aut ab aliquo dimoueri: ergo huiusmodi correspondentia ad spatium non est propria solius Dei. Minor probatur, quia cognitio superna est essentialiter vera: ergo si semel existens representaret se esse vbique, ita responderet omni loco ut contrahi non posset, aut ab aliquo dimoueri, eo enim ipso quod aliquod spatium non occuparet falsa esset, idem argumentum pro æternitate efformari potest, in cognitione superna representante, se ab æterno in æternum duraturam.

Possibilis nõ
est cognitio
superna re-
presentans
se esse vbi-

11. Respondeo negans majorem: sicut enim implicat cognitio superna representans, se ita existere, ut non potuerit non existere; quia esset ens necessarium, sicut Deus; ita

ita dicimus implicare cognitionem supernam representantem se esse vbiq̄ue, quia esset diffusa, & immensa, sicut Deus. Vnde sicut prima cognitio ineptè assumeretur ad probandum ens necessarium posse competere creaturæ; Ita secunda cognitio solidè assumi non potest ad probandum, posse creaturam ex suppositione, quod sit, ita per omne spatium diffundi, vt nulla potentia ad breuius contrahi possit, aut ab aliquo dimoueri; idem cum proportione de cognitione æternæ durationis philosophandum est.

12. Instabis: ergo saltem posset cognitio supernaturalis representare, se esse vbiq̄ue per horam, id enim non esset participare diuinam immensitatem, quæ non tantum per horam, sed tota æternitate exigit spatium omne replere. *Respondeo*, negans consequentiam, quia cognitio illa licet non participaret æternitatem diuinam, participaret immensitatem, quam nec vno solo instanti participare potest, sicut nec alia attributa Dei.

13. Major tamen difficultas est, an, & vnde repugnet creaturæ esse æternam, & immensam, æternitate, & immensitate intrinseca Dei ipsi physicè vnita, cum tamen non repugnet effectus Sancti, & subsistentis à Diuina Sanctitate, & subsistentia intrinsecè vnitis. Communiter Doctores confugiunt ad incapacitatem subjecti. Caterum vnde huiusmodi incapacitas contingat creaturæ; est tota præsens difficultas, ad cuius plenioram notitiam, obseruandum est, immensitatem & æternitatem diuinam, nihil aliud esse, quàm capacitatem ita occupandi omne spatium, & correspondendi omni tempori, vt prorsus implicet ab aliquo spatio dimoueri, & alicui tempori non correspondere. Vnde effectus formalis, vel quasi effectus, quem communicare deberent creaturæ; deberet esse denominatio, ita occupantis omne spatium, & correspondentis omni tempori, vt prorsus implicaret aliquod spatium non occupare, aut alicui tempori non correspondere.

24. Affero tertio, ideo repugnare creaturam esse æternam, & immensam ab immensitate, & æternitate diuina

Quid de immensitate, & æternitate creaturæ vnitis.

Vnde repugnet creaturam esse æternam

aut immen-
sam ab æter-
nitate, aut
immesitate
diuina.

ipsi intrinsecè vnitis, quia penitus repugnat creaturæ spa-
tium omne ita occupare, omnique tempori ita correspon-
dere, vt implicet ab aliquo spatio dimoueri, aut alicui tem-
pori non correspondere. Probatur, quia isti sunt effectus
formales, quos æternitas, & immensitas diuina communi-
care possent creaturæ ipsis vnità: id autem repugnare,
manifestum est; aliter humanitas Christi de facto existe-
ret vbique, per immensitatem verbi ipsi intrinsecè vnitam,
quod dici non potest.

S E C T I O III.

*An futura absoluta contingentia ratione æterni-
tatis physicè Deo ab æterno coexistant?*

Sententia
Doctorum
Caietanus.
P. Soarius.
P. Vazquez
P. Valencia
P. Arrubal.
P. Becanus
P. Herice
P. Alarcon
P. Meracius
P. Fasolus
P. Amicus
P. Martinon
P. Ribas
P. Ribaden.

15. **D**ifficultas est, an futura absoluta, antequam in se,
& in propria mensura existant, habuerint ab
æterno, præter præsentiam, seu existentiam objectiuam,
aliam physicam, & realem, non quidem in propria men-
sura, sed in aliena, scilicet, æternitatis diuinæ. Nam crea-
turas non coëxstitisse physicè Deo ab æterno in propria
mensura actu mensurante, certum supponunt omnes de
fide; aliter creaturæ habuissent ab æterno esse immutatum,
& extra causas, quod dici non posse, fatentur Thomistæ.
Prior sententia affirmat, quam nullus docuerat ante Caiet-
tanum, quem sequuntur cæteri Thomistæ, *Posterior negat*,
ita communiter Doctores Societatis P. Soarius lib. 1. de
scientia futurorum cap. 7. P. Vazquez ibidem disp. 64. c. 3.
P. Valencia, P. Arrubal. P. Becanus. P. Herize. P. Alarcon.
P. Meracius. P. Fasolus, P. Amicus. P. Martinon. P. Ribas,
& plures alij tum nostri, tum Scotistæ, & Nominales, quos
refert, & sequitur P. Ribadeneyra disp. 14. de scientia Dei
cap. 1.

Futura abso-
luta non
coexistunt.

16. Afferendum est, futura absoluta contingentia, non
coexistere physicè Deo ab æterno, sed tantum objectiuè.

Et

Disp. IX. De Immens. & Ætern. Sect. III. 373

Et hanc esse sententiam Thomæ testantur, *Primò* Ægidius Romanus discipulus, & auditor Angelici Doctoris. Hic enim in opusculo contra corruptores doctrinæ S. Thomæ art. 3. cum Doctores Parisienses præsentiam, à Caietano quindecim annorum meditatione compactam D. Thomæ adscriberent, S. Doctorem ab ea impostura liberat, asserens, solam docuisse præsentiam objectiuam; cui ergo magis credendum, Caietanone distanti ab ore D. Thomæ, an Ægidio præsentem, & audienti? *Secundò* idem testatur Herueus coæuus D. Thomæ (teste Belarminio de Scriptoribus Ecclesiasticis) in 1. dist. 38. art. 3. *Tertiò* eiusdem rei testis est Siluester Sacri Palatij Magister, qui post quâdraginta, & duos annos expensos in exponenda doctrina D. Thomæ, vt ipse testatur in Conflato, 1. part. quæst. 14. art. 13. ait. Hanc Caietani sententiam nunquam esse traditam à S. Thoma; esse inexcogitabilem; & quam nullus Thomista, præter Caietanum, ausus est affirmare, quia videtur sequi aliquid contra fidem. Quidquid tamen de his sit,

physicè Deo
ab æterno.

17. Probatur conclusio primò ex S. Thoma 1. part. q. 14. art. 13. asserente. *Omnia, quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentem, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Hoc est testimonium, vnde Caietanus suam sententiam meditatus est, simillimum alteri quæst. 86. art. 4. *In seipsis futura cognosci non possunt, nisi à Deo, cui etiam sunt præsentia, dum in cursu rerum sunt futura, in quantum eius æternus intuitus simul fertur supra totum temporis cursum.* Et quidem in prima parte prioris illius testimonij, scilicet, *non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentem*, solam contineri præsentiam objectiuam, fatentur Thomistæ; quia rationes rerum vocantur ideæ, quas Deus habet circa omnia possibile.

Prima probatio ex S. Thoma.

18. In secunda autem parte illius testimonij, videlicet, *sed quia eius intuitus fertur, prout sunt in sua præsentialitate*, solam contineri existentiam obiectiuam futurorum, probatur.

Quia ibi S. Doctor distinguit duplicem existentiam, vnam possibilem, quam habent in ideis, quæ dicuntur rationes rerum; alteram futurorum, quam habent in intuitu diuino, quatenus fertur super omnia, prout sunt in sua præsentialitate, id est, prout sunt in sua temporis differentia: vtraque autem existentia est tantum obiectiua ab æterno: ergo. Minor probatur, quia, S. Doctor ait, ideo futura esse præsentia ab æterno, quia Dei intuitus fertur super illa: præsentia autem, quæ habetur ab intuitu diuino, tantum est obiectiua; sicut præsentia, quæ habetur ab ideis, seu scientia possibilem: ergo. Maximè cum S. Doctor, non asserat, intuitum diuinum ferri in creaturas, quia istæ sunt ab æterno præsentia æternitati; sed è contra, creaturas esse præsentia æternitati, quia intuitus Dei fertur super illas.

Robustior
ex S. Thomæ
confirmatio,
& mentis
ipsius decla-
ratio.

19. Confirmatur *primò*. Nam sanctus Doctor non ait, intuitum diuinum ferri super creaturas futuras; secundum earum præsentialitatem physicam æternam, quod necessarium erat inuento Caietani: ergo nullam agnouit præsentiam physicam futurorum ab æterno, nisi solam obiectiuam præsentialitatis temporalis physicae, quam habent suo tempore futura. Probatur consequentia, nam hæc propositio S. Thomæ; *Omnia, quæ sunt in tempore, prout sunt in sua præsentialitate, sunt Deo ab æterno præsentia*; indifferens de se est ad præsentialitatem physicam creaturæ, habitam physicè ab æterno, vel tantum obiectiuè, eo quod præsentialitas physica, & temporalis creaturæ, ab æterno sit in intuitu diuino, seu, vt ait Sanct. Doctor, quia intuitus Dei fertur super omnia, prout sunt in sua præsentialitate, scilicet, physica, & temporali: ergo sine fundamento in S. Thomæ determinatur ea illius propositio ad præsentialitatem, physicam creaturæ, habitam physicè ab æterno; cum propositionis veritas saluari possit, cum sola præsentialitate physica temporali, habita obiectiuè tantum ab æterno in intuitu diuino, iuxta sensum antiquorum Thomistarum.

Altera eius-
dem assumpti
confirmatio.

20. Confirmatur *secundò* ex eodem Angelico Magistro 1. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. Vbi præsentem agitans quæstionem

stionem explicaturus, quomodo cognitio diuina intueatur omnia temporalia (quamuis sibi succedentia) vt presentia sibi, nec aliquid eorum sit futurum respectu ipsius, id est, quod per eam cognitionem nondum cognoscatur existens pro sua temporis differentia; ita loquitur. *Omnia vt presentia vno intuitu procul videt, quasi ab æternitatis specula.* Ac si diceret, omnia vt presentia, vno intuitu videt Deus, sed presentialitatem illam physicam, quam intuetur, videt procul, id est, physicè, & infinitè distantem ab alta æternitatis specula, & tantum illi objectiuè presentem ratione intuitus diuini extendentis se ad omnes presentialitates temporales physicas, quantumuis physicè distantissimas ab æternitate Dei, per intercapedinem temporis interjecti inter existentiam physicam æternam Dei, & temporalem creaturæ.

21. Probatur secundò conclusio ex S. Augustino serm. 11. *Secunda probatio ex Augustino.* de verbis Apostoli, vbi ait: *Habet Deus electos apud seipsum, non in natura sua, sed in presentia sua.* Quibus excluditur omnis presentia creaturæ ab æterno, dempta objectiua. Insuper lib. 4. de Genesi ad literam cap. 18. *Res antequam fierent erant, & non erant, erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Præterea in illud Psalm. 49. *Pulchritudo agri mecum est, inquit, sunt omnia cognitione quadam infallibili sapientia Dei in verbo constituta.* Et paulo post. *Et quare apud ipsum omnia? Quia antequam essent omnia, aut crearentur, ei nota erant omnia.* Quibus, omnis presentialitas, objectiua excepta, respuitur ab Augustino. Mitto alios Patres quia sufficiunt nobis Thomas, & Augustinus.

22. Probatur tertio ratione, si futura essent presentia toti æternitati Dei ab æterno, maximè, quæ aliquando in propria mensura erunt illi presentia, & æternitas Dei est indiuisibilis, & tota simul: hæc ratio solida non est: ergo. Maior est fundamentum Caietanorū. Minor probatur, quia rem in propria mensura, scilicet in instanti tantum *A* esse presentem æternitati Dei indiuisibili, solam arguit existentiam illius in instanti *A*, & excludit omnem imaginabilem existentiam in præcedentibus instantibus æternitatis: ergo

ergo excluditur præsentia illius in æternitate. Antecedens probatur, quia rem aliquando in propria mensura esse locatam in spatio tantum *A*, & præsentem immensitati Dei indivisibili, solam arguit præsentiam in loco *A*, & omnem imaginabilem præsentiam excludit ad alia loca, & similiter præsentiam ad illa etiam in aliena mensura; scilicet, diuinæ immensitatis: ergo rem aliquando in propria mensura esse præsentem æternitati Dei indivisibili in instanti tantum *A* pariter excludet omnem præsentiam eiusdem in tota æternitate, etiam in aliena mensura.

Responsio
prima Albedi
da refutata.

23. Respondet primò Albedi, concesso antecedente, negans consequentiam, disparitatem dat, quia res non dicitur esse in immensitate, benè verò in æternitate. Non placet solutio. Nam si particula *in* denotet rationem subiecti, sicut immensitas Dei non est subiectum creaturæ, ita nequè æternitas. Quod si ita sit, quia creatura est illi præfens, etiam est præfens immensitati Dei: ergo, etiam immensitas erit subiectum. *Confirmatur*, vel coëxistentia in propria mensura vnius ad aliud formaliter indivisibile, & æquivalenter extensum, infert coëxistentiam in aliena mensura, totalem, & adæquatam, vel non? Si secundum: ergo coëxistentia creaturæ in propria mensura æternitati Dei formaliter indivisibili, & æquivalenter diuisibili, non infert coëxistentiam totalem in omni tempore, etiam in aliena mensura. Si primùm: ergo coëxistentia creaturæ in propria mensura immensitati Dei, formaliter indivisibili, infert coëxistentiam totalem siue in omni loco in aliena mensura.

Secunda ref.
ponso Tho.
mistarum
recentium.

24. Respondet secundò, vides in manuscriptis, terminum creatum in triplici statu considerari, *Primò*, in statu possibilitatis, & sic est terminus omnipotentia. *Secundò*, in statu passiuè producti, siue extra causas, & in propria mensura, & ita esse terminum immensitatis. *Tertiò*, in statu medio, scilicet, termini possessi, & præcisè inspecti sub ratione termini, qui producit actiuè, & non est passiuè productus. Hinc contendit disparem esse rationem pro immensitate, & æternitate, quia vna respicit terminum in aliena mensura existentem,

ex
fit
25.
tio
qu
éta
im
est
ra,
cui
ra:
pli
est
vn
ate
est
cre
me
26.
qu
ista
tiar
eam
in c
tas,
pot
ten

27.

existentem, scilicet aternitas, altera verò, nempe immensitas, respicit in mensura propria.

25. Multa sunt in responsione ista explicatione, & probatione digna, illud præcipuum est, cur immensitas, potius quàm aternitas, respiciat creaturam in statu passivè productam, siue extra causas, & in propria mensura? etenim sicut immensitas complectitur omnem locum etiam illum cui est creatura præsens, siue in quo existit in propria mensura, ita aternitas complectitur omne tempus, etiam illud cui creatura est præsens, quando existit in propria mensura. Insuper creatura existens in propria mensura dicit duplicem præsentiam, vnam ad locum determinatum, cui est præsens, alteram ad tempus cui correspondet: ergo vna præsentia pertinebit ad immensitatem; altera verò ad aternitatem: vtraque autem est in propria mensura, vel est ipsamet propria mensura creaturæ: ergo in respicienda creatura in propria mensura pares sunt aternitas, & immensitas.

26. Hinc impugnatur solutio. Quia non minus aternitas quàm immensitas, respicit creaturam in propria mensura; ista loci, illa temporis: immensitas autem, præter existentiam in propria mensura in loco *A*, non potest respicere eandem creaturam, adhuc in aliena mensura existentem in omni loco, neque eam constituere: ergo neque aternitas, respiciens creaturam in propria mensura in instanti *A*, poterit eam respicere, adhuc in aliena mensura existentem in omni tempore, neque eam existentem constituere.

Præcedens Thomistarū responsio rejecta.

SECTIO IV.

Infringitur ulterius presentia futurorum in aternitate.

27. **P**ROBATUR quartò conclusio. Si futura coëxisterét ab aeterno Deo in aliena mensura, coëxisterét in propria.

Quarta probatio, quia creaturæ

existerent
ab æterno
in propria
mensura.

pria. Id est hereticum, ergo, Major probatur. Primò, quia eo modo, quo creatura coëxistit toti æternitati Dei, coëxistit per vos Deo ab æterno: inde enim infertur à vobis coëxistentia in æternitate, quia creatura correspondet toti æternitati: creatura autem nunc existens coëxistet toti æternitati in propria mensura: ergo coëxistit Deo ab æterno in propria mensura. Maior est doctrina Cajetanorum. Minor nemini dubia, nam æternitas intrinseca Dei est tota simul: ergo creatura existens in instanti *A*, in propria mensura coëxistit toti æternitati Dei.

28. Probatur secundò eadem minor. Vel mensura propria Antichristi, existit ab æterno, plusquam objectiuè, actu, & exercitè mensurans, vel non. Si non existit: ergo aliquod futurum, scilicet mensura propria Anti-Christi, actu, & exercitè mensurans, non existit ab æterno, plusquam objectiuè, quo habemus intentum. Si existit: ergo existit Antichristus in propria mensura actu, & exercitè mensurante illum, quod Catholice dici non potest.

Responsio
Recentioris
Thomistæ.

29. Respondet Viues in manuscriptis, æternitatem licet sit actio reddens futura ab æterno, realiter existentia, non extendi ad res mutandas, neque ad faciendum quid exercite sint extra causas, & in propria mensura, exercite mensurante: ideoque illas non posse hoc modo ab æterno in æternitate contineri, quia quod in se mutatum non est, & exercite extra causas, non potest, vt tale antequam in se fit mutatum, cōtineri ab æternitate: non ex defectu æternitatis, sed quia implicat, quod aliquod continetur vt mutatum, antequam immutetur.

Præcedens
responsio li-
brata, & ex-
puncta.

30. Hæc tamen responsio non satisfacit. Primò, quia vel in æternitate est realiter ab æterno mensura propria Antichristi cum munere mensurandi, actu & exercitè, vel non. Si non est, ergo aliquod futurum, scilicet mensura propria Anti-christi, cum munere mensurandi, non est realiter ab æterno, quod intendimus. Nec dici potest mensuram propriam Antichristi esse ab æterno in aliena mensura, quia imprimis non admittitur mensura mensuræ ab Aduersario. Quod si quis stimulo argumentorum eam admitteret,

mitteret,

mitteret, contra illam stat idem argumentum, nam, vel mensura mensuræ est ab æterno cum munere mensurandi actu, & exercitè vel non? Si non: ergo aliquod futurum non est realiter ab æterno: Si est: ergo mensura propria Antichristi est realiter ab æterno in propria mensura, actu & exercitè mensurante. Si autem est ab æterno mensura propria Antichristi cum munere actu, & exercitè mensurandi: ergo etiam Antichristus est ab æterno in propria mensura actu, & exercitè mensuratus.

31. Contra secundò Antichristus immutatus, & extra causas est nunc aliquod futurum: hoc autem per te non potest contineri realiter in æternitate ab æterno: ergo non omnia futura coexistunt æternitati realiter ab æterno. Quod si dixeris, Antichristum immutatum, & extra causas, esse realiter ab æterno, tibi non constabis, quippè neganti, tale esse posse contineri ab æternitate, & asserenti, esse immutatum, & extra causas aliud non esse, quàm existere in propria mensura.

32. Contra tertio, & simul probatur tertio maior illa. Actio qua suo tempore producet Antichristus, quidquid illa sit, siue creatum, siue increatum, siue immensitas, siue decretum, est realiter ab æterno: ergo Antichristus est per eam realiter ab æterno productus: ergo existens extra causas; quod in vestra sententia est existere in propria mensura actu, & exercitè mensurante.

33. Respondet recentior ille, actionem Antichristi esse quidem ab æterno actiue producentem, & extrahentem Antichristum ab actu possibilitatis: Antichristum verò non esse per eam actionem passiuè productum, & extractum à causis, ideòque non existere in propria mensura. Quod si ab eo inquiras, cur actio æterna non denominet Antichristum passiuè extractum à causis, & productum? Respondet, quod supra, id non prouenire ex defectu actionis æternæ, sed ex incapacitate termini, qui antequam sit passiuè productus, & extractus à causis, non potest, vt talis, ab æternitate contineri. Quod si iterum inquiras, cur sit incapax? Respondet, quia Deus non vult Antichristum,

Alia eiusdem
recentioris
responsio.

v.g. esse passiuè productum, & extractum à causis nisi in tempore.

Præcedens
responsio
ostenditur
insufficiens.

34. Contra, quia, vt nuper dicebamus, hæc responsio dat nobis intentum. Nam Antichristum esse passiuè productum, & extractum à causis, nunc est aliquod futurum: hoc non continetur per te in æternitate: ergo. Secundò, actioni, qua suo tempore producetur Antichristus, tam essenziale est, extrahere terminum à suis causis, & reddere passiuè productum, quàm extrahere ab statu possibilitatis, & reddere realiter existentem; cum seipsa præstet vtrumque, & seipsa sit extractio termini ab statu possibilitatis, & à suis causis, quod non negat Aduersarius: actio autem Antichristi non potest existere ab æterno, quin denominet Antichristum extractum passiuè ab statu possibilitatis; aliter non existeret, sed in statu possibilitatis maneret: ergo neque poterit existere eadem actio, quin denominet terminum passiuè deductum, & à causis extractum. Vel si secundum præstare possit, cur non primùm? scilicet; non reddere Antichristum extractum passiuè ab statu possibilitatis, quo sponte ruit tota meditatio Caietani.

Creatura po-
rens ab æter-
no existere,
de facto ita
esset.

35. Confirmo, & loquor de creatura, quam potuit Deus extra causas ponere ab æterno, siue illa sit permanens, siue successiua. Probo in sententia Thomistarum, eam fuisse extra causas, & passiuè productam ab æterno. Ea creatura secundum se, & absolute, antecedenter ad omne Dei decretum, capax est, vt ab æterno extrahatur, tam à statu possibilitatis, quàm à suis causis, vt per se constat: eo autem ipso, quod sit ab æterno extractio eius creaturæ ab statu possibilitatis, ipsa est passiuè extracta, nec potest non esse: ergo eo ipso quod sit ab æterno extractio à suis causis, ipsa erit passiuè extracta, nec poterit non esse: de facto autem existit per eos extractio illius creaturæ à suis causis, scilicet, actio Angeli, vel hominis: ergo de facto extitit ea creatura à suis causis ab æterno extracta.

Idem iterum
confirmatū.

36. Confirmatur secundò. Non potest Deus velle, quod ab æterno sit extractio rei à statu possibilitatis, quin velit rem ab æterno à statu possibilitatis passiuè extractam: ergo
neque

neque poterit velle, quod sit ab aeterno extractio à suis causis, quin velit rem à suis causis ab aeterno passiuè extractam. Quod si dixeris posse Deum velle, quod sit ab aeterno extractio creaturæ ab statu possibilitatis, quin ista sit passiuè extracta, quæ bona consequentia infers creaturas esse passiuè extractas ab statu possibilitatis ab aeterno, quia earum extractio, siuè actio existit ab aeterno.

37. Conuictus recentior vi, & efficacia horum argumentorum, ingenuè fatetur, suam sententiam continere mysterium simile mysterio diuinæ libertatis; sicut ergo à Patre Suarez admittitur in Deo existere totam volitionem alterius mundi, & non denominare Deum volentem; ita inquit ego assero existere ab aeterno extractionem creaturæ à suis causis, & non denominare passiuè extractam. Cæterum ad componendam diuinam libertatem cogimur fide, nostrum intellectum captiuante. Ad quid autem, qui liberi nati sunt, captiui fient sola fide Caietani, & quem lateat sententias philosophicas ad inscrutabilia Dei mysteria recurrentes subobscuras esse, & communiter Doctoribus inuisas.

Quid de sua opinione senserit recens Thomista.

38. Cæterum, nec confugiens ad aras saluus fiet noster Aduersarius: Ita disputo. Ex mysterio libertatis diuinæ licitum tibi est, actu admittere, esse ab aeterno extractionem à causis, & non esse rem à causis passiuè extractam: ergo in eodem mysterio licitum tibi, & nobis erit, admittere, esse ab aeterno extractionem ab statu possibilitatis, & rem non esse passiuè extractam; quo cessat præsentia futurorum in aternitate, ad quam satis non est creaturam esse actiuè extractam ab statu possibilitatis, sed vltius requiritur, quod sit passiuè extracta.

Ex sensu suo impugnatus Aduersarius.

39. Confirmatur, quia si Theologo securus esset recursu; ille ad aras, multa absurda palliare posset. Ad rem est, quia diuina volitio alterius mundi est, & fuit ab aeterno in propria mensura quin denominaret Deum volentem: ergo eo clypeo protectus Aduersarius, dicere posset extractionem à causis esse in propria mēsurā, quin denominaret rem passiuè extractam: idemque dici potest, etiam si extractio

Ab absurda, quæ ea doctrina palliari possent.

esset actio creata. Pariter, cognitiones, & volitiones creatas posse existere in propria mensura in intellectu creato, quin illum denominarent. Præterea posse existere assumptionem humanitatis, quin denominaret humanitatem assumptam, & alia eius farinæ, quæ quam absurda sint in creatis cæci vident.

Exemplo Thomistarū acuitur argumentatio nostra.

40. Denique mysterium hoc, exemplo Dominicanis solemni mihi que inter disputandum exhibito, altius introspeciamus. Aiunt, creaturas futuras se habere respectu diuinæ æternitatis, sicut puncta circuli respectu puncti medij, siue centri. Sicut ergo quodlibet punctum circuli correspondet toti centro, ita quælibet creatura toti æternitati. Hoc tamen exemplum mirificè nostrorum argumentorum efficaciam demonstrat. Etenim si puncta circuli simul non existerent, sed successiuè, nunquam integer circulus coëxisteret centro, sed pars nunc, & pars postea, ut est euidens: at creaturæ omnes simul non existunt sed successiuè: ergo neque possunt omnes coëxistere æternitati.

42. Insuper, dum describitur circulus, punctum centri nondum respondet parti describendæ, sed solum parti descriptæ, idque non quod puncto centri aliquod desit ratione cuius respondere debet parti describendæ; sed quod pars ipsa desit, cui tale punctum, existens iam secundum se totum, respondeat; descripto verò integro circulo centrum respondet toti circumferentiæ, & singulis illius partibus. Ita indiuisibilis æternitas interim, dum totum tempus non est elapsum, non respondet toti tempori, sed parti. Quare sicut punctum centri potest nunquam respondere parti circumferentiæ, nondum descriptæ, si illa in futurum non describatur; ita æternitas potest non respondere vel partibus temporis adhuc futuris, vel rebus contingenter in eis futuris; si vel tempus cesset, vel eo perdurante res in illo non sint, ut re ipsa possunt non esse. Denique quia hic discursus communis etiam est immensitati, & tamen in illa non valet: ergo neque in æternitate.

Alia oppositæ sententiæ absurda recensentur.

42. Probatur quintò conclusio. Si futura coëxisterent Deo

De
ab
ma
dis
tias
plu
abf
fue
De
deg
des

43.

in t
qua
sed
sua

cto
alia
aut
seq

Car
44.
præ
gan

obj
ject
tio
me

uan

45.

Deo ab æterno in æternitate, sequeretur, coëxistisse Deo ab æterno in æternitate amorem, & odium efficaces; formam, eiusque priuationem, & alia huiusce generis contradictoria. Insuper coëxistisse Deo ab æterno plures præsentias circumscriptiuas eiusdem corporis ad plura loca, & plures formas eidem materiæ correspondentes: id autem absurdum est. Sequela probatur, quia ea omnia sunt, vel fuerunt futura: omnia autem futura per vos coëxistunt Deo ab æterno in æternitate: ergo, &c. Quæ absurda si deglutiantur pro defensione Caietani inde satis deprehendes, cuius momenti fuerit quindecim annorum meditatio.

S E C T I O V.

Solvuntur objectiones.

43. **O**bjicies primò, Sanctum Thomam pro vobis adductum hic art. 13. asserentem: *Omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia; non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentem, ut quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Atqui in prima parte statuit Sanctus Doctor præsentiam objectiuam: ergo in secunda agnouit aliam præsentiam ab objectiuam distinctam. *Respondeo*, admissa authoritate Sancti Thomæ, & concessa maiori, negans consequentiam, cum omnibus, & veris Thomistis vsque ad Caietanum.

Primum testimonium S. Thomæ objectum, & solutum.

44. Instabis: ergo Sanctus Doctor bis repetit eandem præsentiam objectiuam, quod inutile esset. *Respondeo* negans consequentiam, nam in prima parte statuit præsentiam objectiuam possibilium, in secunda autem præsentiam objectiuam etiam futurorum, in quo nulla est inutilis repetitio, ut expendimus supra. Nec iudico sufficiens fundamentum ad fundandam tam difficilem opinionem, & nouam, quod Sanctus Doctor bis idem repeteret.

45. Objicies secundò eundem Sanctum Doctorem art. 9

Aliud eiusdem testi-

docentem.

monium de-
claratum.

docentem. *Quadam licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur Deus videre scientia visionis, quia cum intelligere Dei, quod est eius esse, aternitate mensuratur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit; præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præsentia. Modò sic S. Doctor planè fatetur aternitatem Dei comprehendere omne tempus, & omnia, quæ sunt in quocumque tempore, tanquam subjecta sibi præsentia: ergo agnoscit præsentia aternitati cuiuscumque creaturæ aliquo tempore existentis: ergo & præsentia ab aeterno.*

46. Admissa autoritate S. Thomæ, Respondeo, concessio primo enthymemate negans secundam consequentiam, aliud enim est creaturam esse præsentem toti aternitati intrinsecæ Dei indivisibili, & absque successione intra se, quia tota est in quocumque tempore; aliud creaturam esse præsentem aternitati pro omni tempore extrinsecò, quo est, & fuit aternitas. Sicut aliud est creaturam esse præsentem immensitati intrinsecæ Dei indivisibili, & absque extensione intra se, quia tota est in quocumque loco: & aliud creaturam esse præsentem immensitati in omni loco extrinsecò, in quo est immensitas. Concedimus ergo cum Sancto Thoma, quamlibet creaturam pro tempore, quo est, fuit, aut erit, esse præsentem toti aternitati intrinsecæ Dei; negamus verò contra Caietanum esse præsentem toti aternitati ab aeterno, siue pro omni tempore: Sanctus enim Doctor tantùm ait, quidquid est in aliqua differentia temporis coexistere aeterno, non autem ait ab aeterno physicè, quod necessarium erat ad mysterium Caietani.

Alij Patres
expositi.

47. Obijcies tertio, aliquos Patres asserentes omnia apud Deum esse præsentia; nihil est Deo futurum, &c. & alios docentes Deum iam fecisse omnia quæ futura sunt: ergo. Respondeo primos loquutos fuisse de præsentia objectiva, ita ut nihil sit Deo præteritum, aut futurum, quod non claudat præsentiam objectivam, siue non sit objectivè præsens.

Alios.

Alios verò tantum contendere, Deum iam fecisse, id est, decreuisse, quæ futura sunt.

48. Obijcies quartò, Aternitas est tota simul, & indiuisibilis absque successione: ergo complectitur omnia tempora absque successione: ergo omnia futura sunt simul in aternitate ab aeterno præsentia. Hoc est totum fundamentum Caietani, & discipulorum, cuius plana solutio sola eget terminorum explicacione, pro quo suppono ex Phisicis, præter aternitatem Deo intrinsecam, quæ stat in exigentia correspondendi omni tempori, & in se est omnino indiuisibilis, & absque successione; dari aliam extrinsecam, quàm vocamus tempus imaginarium; & hæc successiua est essentialiter, & non potest esse tota simul, sicut dies crastina, & hodierna: imò neque plura tempora possunt esse simul, quia de eorum quidditate, est prioritas. His positis, *Respondeo*, distinguens antecedens aternitas intrinseca est tota simul, & indiuisibilis concedo: aternitas extrinseca nego; hæc enim neque est indiuisibilis; nec tota simul, sed essentialiter successiua. Et distinguo consequens: complectitur omnia tempora distributiue, id est, nullum est tempus præsens cui non respondeat, neque præteritum, cui non responderit, neque futurum, cui non respondebit, concedo. Complectitur omne tempus simul illi coëxistens, nego. Quia cum omne tempus non possit esse simul, neque Deus potest illi simul correspondere. Vnde patet falsam esse secundam partem consequentiæ, videlicet, aternitatem complecti omnia tempora absque successione vnus temporis, ad aliud; nisi velit, aternitatem intrinsecam Dei, correspondere aternitati extrinsecæ successiua absque successione intra se; id est, quin pars aternitatis diuinæ succedat parti; id enim verum est, sed nihil contra nos, & neganda est vltima consequentia, quia vt creatura coëxistat Deo ab aeterno, non satis est, quod sit præsens toti aternitati intrinsecæ Dei, sed vltterius opus esset, quod illi omni tempore correspondisset.

49. Instabis. Si aternitas diuina non complecteretur

Fundamentum Thomistarum obiectum, & solutum.

Infinitas aternitatis declarata.

386 Tract. I. De *Essentia & Attributis Dei.*

omne tempus simul, non esset infinita illius duratio: ergo. Antecedens probatur, quia eo ipso quod durationi deficit aliquod tempus infinita non est: ergo. *Respondeo*, explicans antecedens, si non complecteretur omne tempus distributiue; ita vt præterito non corresponderit; vel præfenti non respondeat, vel futuro corresponfura non fit, concedo; si non complecteretur omne tempus simul existens, nego? Ad probationem distinguo antecedens; eo ipso quod durationi deficiat, aliquod tempus simul existens cum alio infinita non est, nego, si distributiue deficiat, concedo, & nego consequentiam; quia æternitati diuinæ nullum deest tempus distributiue, scilicet, præteritum, cui non corresponderit; præfens, cui non correspondeat; futurum cui non respondebit sine principio, & fine; id autem sufficere ad durationem vndequaue infinitam clarum est.

Ad scientiã
visionis im-
pertinẽs fu-
turoꝝ præ-
fentia in æ-
ternitate,

50. Obijcies quintò. Si futura non coëxisterent Deo ab æterno, sequeretur admittendam esse in tempore cognitionem diuinam existentium, quæ non fuisset ab æterno. Id autem absurdum est: ergo. Sequela probatur, quia creaturæ non extitissent ab æterno, sed in tempore: ergo neque earum scientia diuina extitisset ab æterno, sed in tempore tantum. Hoc argumentum continet difficultatem omnibus communem, & à Caietano, & sequentibus soluendam: negari enim Deo non potest cognitio existentium in propria mensura. Vel ergo hæc extitit ab æterno, vel non? secundum dici non potest. Ergo tenendum est in primum: sicut ergo Aduersarij admittunt existentem in Deo ab æterno cognitionem existentie creaturæ in propria mensura, quamuis hæc non ita fuerit ab æterno: ita nos admittimus existentem in Deo ab æterno cognitionem existentie creaturæ; etiamsi ista non extiterit ab æterno. *Respondeo* igitur negans sequelam, ad probationem, concessio antecedente, nego consequentiam, quia vt scientia diuina alicuius objecti existat ab æterno, non opus est, quod objectum ita sit ab æterno. Nam scientia diuina non exprimit Antichristum, v.g. existere ab æterno, sed tantum pro aliqua differ-
rentia

Disp. IX. De Immens. & Ætern. Sect. VI. 387
rentia temporis. Vnde sufficit illi, quod objectum in ea
differentia temporis existat, etiam vt cognitio intuitiua sit.

S E C T I O VI.

*An Deus ab æterno sit præsens physicè creaturis
in tempore futuris?*

51. **A**ffirmant, non solùm Thomistæ, qui creaturarum præsentiam in æternitate tuentur, sed etiam alij, qui eam nobiscum negauerunt. Inter quos nouissimè P. Ribadeneyra disp. 15. de scientia Dei cap. 1. existimans, æternitatem intrinsecam Dei, esse diuinam durationem non solùm radicalem; sed formalem, identificantem sibi simul omnes differentias durationis hesternæ, hodiernæ, crastinæ, sempiternæ, &c. A qua duratione formali Deo adæquatè intrinseca, denominatur Deus physicè existens, hodie, heri, cras, semperque, quia hæc omnia sunt vnum & idem cum Deo, & inter se; cras enim Dei, est hodie Dei, semperque Dei, & è contra, quin vllum eorum sit forma extrinseca, sicut est nobis, nam hodie meum est, existentia mea, & dies hodierna, heri meum est dies hesternæ, & existentia mea, cras meum est similiter existentia mea, & dies crastina, quæ omnia extrinseca sunt existentia meæ. Deo autem ea omnia intrinseca sunt, adeo, vt extrinseca tempora labentia, siue physica, siue imaginaria, non se habeant tanquam partes constituentes Deum in ratione durantis formaliter hodie, cras, &c. vnde duratio Dei est vnica singularis semper fixa, & stans, etiam si extrinseca tempora labantur; nec ratione istorum maior est, aut minor, nec Deus annosior, aut antiquior.

52. Inde infert primò Deum ab æterno esse indistantem physicè creaturis in tempore futuris, non indistantia realis coexistentiæ, sed completæ sufficientiæ, vt si quæ creatura quocumque tempora existat, per seipsum formaliter Deus

Placita Do-
ctorū affir-
mantium.

habeat quidquid opus est, ut illi coexistat, & cum illa ordinem presentis ad presentem constituat, & non presentis ad prateritum, aut futurum. Sic ego hodie existens habeo formaliter completam sufficientiam, ut coexistam alteri, si hodie existat.

P. Molina.
P. Fonseca.
P. Granadus.
P. Gillius.
P. Deza.
P. Ripalda.

53. Infert secundò cap. 4. futura nobis, non esse Deo futura sed presentia, quia duratio Dei non constituit ordinem prioris, & posterioris cum duratione castina hominis venturi, sed ordinem simultaneum. Pro hac sua sententia fusius apud ipsum tradita refert cap. 2. num. 3. P. Molinam de scientia Dei disp. 13. coniuncta cum 14. P. Fonseca 6. Metaphys. cap. 2. quæst. 4. sect. 2. P. Granadum de scientia Dei disp. 3. sect. 1. & 2. Patrem Gillium, de æternitate Dei à cap. 15. P. Deza 1 part. quæst. 14. art. 13. Et P. Ripaldam in manuscriptis de scientia.

Deus non
coexistit ab
æterno crea-
turis in tem-
pore futuris.

54. Afferò primò Deum non coexistisse physicè ab æterno creaturis in tempore extituris. Ratio est clara, & facilis ex dictis. Nam coexistentia vnius ad alterum dicit existetiam vtriusque: existentia autem creaturæ in tempore extitura non fuit ab æterno: ergo neque coexistentia Dei ad illam.

Æternitas
Dei non est
indistantia
absoluta ad
creaturas in
tempore
existentes.

55. Afferò secundò, æternitatem intrinsecam Dei non posse identificare, sibi formaliter indistantiam durationis absolutam, per quam Deus actu, physicè, & absolutè, præsens sit creaturis in tempore existentibus. Dixi *absolutè*, quia de indistantia conditionata dicam statim. Ratio est, quia æternitas est Deo essentialis: nihil autem Deo essentielle, aut necessarium, potest absolutè, identificare sibi formaliter connexionem cum creaturis existentibus, ut est certum; sed ea connexio contingens Deo esse debet, & consequenter ab omni necessario, saltem virtualiter distincta: differentia autem durationis, per quam Deus sit actu physicè, & absolutè indistans à creaturis nunc existentibus, est connexio cum illis, quoad existentiam pro tali tempore, seu coexistentia Dei ad illas; quarum neutra identificari potest formaliter cum prædicato necessario Dei: ergo, neque cum æternitate illius. Idem dicendum est de indistantia absoluta durationis Dei ad creaturas ab æterno

æterno existentes, casu, quo ab æterno fuissent à Deo productæ, propter eandem rationem.

56. His tamen non intendimus, durationem diuinam non esse absolutam respectu Dei, est enim absolutissima, & denominans Deum absolutè durantem. Sed solum intendimus, eam durationem, qua Deus intrinsecè, & absolutè in se durat, non posse esse præsentiam, seu indistantiam actualem, physicam, & absolutam respectu creaturarum quouis tempore existentium, sed ad summum conditionatam, seu de suo sufficientem de quo infra.

57. Affero tertio, æternitatem intrinsecam Dei identificari sibi formaliter indistantiam durationis conditionatam ad creaturas quouis tempore existentes, si dentur. Ratio est, nam æternitas intrinseca Dei est hodie fixum, permanens, indefectibile, & sempiternum iuxta illud Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus est tu, ego hodie genui te*, Vbi loco æternitatis ponitur *hodie* Dei sempiternum ratione cuius impossibile est, quidquam creatum existere, quin Deus ratione suæ æternitatis habeat, quidquid ex parte sua necessarium est, vt illi coexistat: ergo æternitas Dei est formaliter indistantia conditionata, qua Deus coexistat creaturæ, eo ipso, quod existat, quin vllò vnquam tempore physico, vel imaginario existere valeat creatura, in quo Deus illi non coexistat; siue in quo non sit Deus illi condurans, ratione durationis propriè, & intrinsecè coexistentis durationi creaturæ, pro tempore quo stant creatura, eiusque duratio.

58. Dixi pro tempore, quo stant creatura, eiusque duratio. Quia licet duratio diuina sit hodie Dei fixum, & sempiternum semper existens, & de se sufficiens ad coexistendū creaturæ quocumque tempore, non tamen ad coexistendum pro tempore, quod creatura non existit. seu cum suppositione, quod non existat; nam æternitas diuina tantum est sufficientia ad condurandum creaturæ quocumque tempore, sub conditione, quod in illo existat creatura, non verò faciendo suppositionem, quod non existat. Vnde si creatura existat tantum hodie, Deus hodie tantum

Benè verò
indistantia
conditiona-
ta.

illi absolute coexistet, & non ab aeterno ex defectu existentiae aeternae creaturae, non vero ex defectu sufficientiae Dei.

Vnde defectus existentiae aeternae fit in creatura metiendus:

59. Defectu autem existentiae aeternae in creatura metiendus est, non ex defectu sufficientiae durationis Dei, qui impossibilis est, sed eo quod creatura non habeat omnem durationem in mensura sua, sibi, & Deo, extrinseca, videlicet temporis imaginarij; si enim eam habuisset, Deus illi ab aeterno absolute coextitisset, cum vero illam creatura non habuerit de facto, nec Deus creaturis ab aeterno coextitit, sed tantum in tempore, & pro tempore, quo illae existunt. Vnde, ut creatura Deo ab aeterno coexistat, non sat est, quod toti aeternitati Dei intrinsecae pro tempore aliquo coexistat, sed ulterius opus est, quod pro omni mensura, scilicet, tempore imaginario, coexistat Deo, ut supra attingimus, quod vocant aliqui coexistere totaliter, seu adaequatè toti aeternitati intrinsecae divinae.

Futura nobis qualiter sunt Deo futura:

60. Affero quartò futura nobis, esse etiam futura Deo, pro tempore, quo sunt nobis futura, imò pro tota aeternitate extrinseca imaginaria. Ratio est, nam ut vna res sit futura respectivè ad alteram, sat est, quod existentia, seu duratio vnius, sit prior tempore existentia, seu duratione alterius: duratio autem divina sempiterna, & indivisibilis prior fuit tempore, saltem extrinseco imaginario, existentia, seu duratione creaturae extiturae mane, cum hodie, heri, & tota aeternitate extrinseca, extiterit duratio divina, in qua nondum existerat creatura: ergo toto eo tempore futura fuit respectivè ad Deum creatura extitura mane. Confirmatur nam duratio creaturae de facto non est tota simul nec semper, sicut duratio Dei: ergo duratio Dei antecessit tempore durationem creaturae, atque Deo fuit prior illa.

61. Dixi pro tempore, quo sunt nobis futura, scilicet extrinseco imaginario. Nam si praecisio fiat ab omni alio tempore extrinseco, antecedente, & subsequente existentiam creaturae, cum tempus Deo intrinsecum, seu aeternitas, non habeat intrinsecè, prius, & posterius, ut sic creatura futura Deo non erit. Iudico tamen eam praecisionem fieri

fieri non posse saltem ex parte creaturæ, in qua, tum esse futuram heri, quam incipere hodie præscindi non potest à tempore extrinsecò antecedente, & consequentem, cum futuritio sit respectiue ad tempus consequens, inceptio verò ad antecedens. Vnde futura nobis, tantùm erunt futura Deo, considerata duratione Dei respectiue ad tempus extrinsecum successiuum, in quo duratio sempiterna Dei præcedit existentiam creaturæ in tempore.

62. Hinc exponendi sunt Patres aliqui absolutè negantes, creaturas esse Deo futuras; & asserentes, omnia esse Deo præsentia. Hæc enim accipienda sunt de æternitate Dei intrinseca, facta præcisione à tempore extrinsecò successiuo, non verò respectiue ad illud, vt sic enim non negant futura nobis, esse etiam futura Deo; cum duratio diuina antecedit tempore extrinsecò existentiam creaturæ durationis.

Mens aliquorum Patrum declarata.

63. Obijcies primò, si æternitas Dei esset indiuisibilis, eiusque duratio tota simul creatura existens hodie coëxisteret toti æternitati Dei, totique ipsius durationi æternæ: ergo coëxisteret Deo ab æterno, cum tota duratio Dei sit ab æterno. *Respondeo* concessio antecedente de duratione intrinseca Dei, negans consequentiam. Nam vt creatura coëxistat Deo ab æterno, non sat est coëxistere toti æternitati intrinsecæ Dei, similique durationi, sed vltra opus est, illi coëxistere pro tota æternitate extrinseca mensurante creatam durationem, cumque id non habeat creatura hodie existens, nec habere potest coëxistentiam Deo ab æterno.

Quid opus sit, vt creatura Deo ab æterno coëxistat?

64. Obijcies secundò, si æternitas Dei intrinseca esset nunc, seu hodie, aut instans indiuisibile, sequeretur in eodem indiuisibili instanti æternitatis esse duo contradictoria, formam scilicet hodie existentem, & carentiam illius manè resultantem destructione formæ; idemque est de amore, & odio diuersis temporibus concepto: id autem implicat: ergo. *Respondeo*, formam & carentiam, amorem, & odium, non implicare in eodem instanti infinito diuinæ æternitatis, sed tantum in eodem instanti nostri temporis extrinseci

Non implicat contradictoria in eodem instanti æternitatis Dei intrinsecæ.

extrinseci finiti, & limitati; sicut vbicationes inter se in-
conjugibiles quoad spatia finita, nihil implicant coniu-
gi immensitati intrinsecæ Dei, eiusque intrinsecæ vbica-
tioni indivisibili, licet extrinsecæ nostræ vbicationi im-
plicent coniungi. Similiter dicendum est, extrema con-
tradictoria implicare eodem instanti finito nostri tempo-
ris, non verò in eodem instanti infinito æternitati diuinæ.

Æternitas
Dei semper
durans.

65. Obijcies tertio, Deus semper habet suam æternita-
tem; non autem semper habet durare cras, cum hodie
non duret cras: ergo æternitas Dei non est tota Dei du-
ratio. *Respondeo* æternitatem Dei non habere hodie, & cras,
intrinsecæ, inter se distincta, & sibi succedentia, sed omnia
sunt vnum hodie sempiternum; atque adeò Deus in suo
hodie, semper durat. Respectiuè autem ad tempora no-
stra extrinsecæ distincta, & sibi succedentia, Deus hodie
nostro, non durat cras, similiter nostro, quia hodie no-
strum nondum est cras nostrum, sed erit; quo solo pacto
Deus hodie durans dici potest non durare cras.

Idem, quod
de æternita-
te, dicendū
cum pro-
portione de
immensitate.

66. Idem quod de æternitate Dei, dicendum est cum
proportione de immensitate diuina. Nam sicut æternitas
diuina est intrinsecè, & per seipsam duratio, ratione cuius
Deus habet quidquid necessarium est ex parte sua, vt
coëxistat creaturæ cuilibet, & quocumque tempore ex-
trinsecò producat à Deo. Ita immensitas diuina est in-
trinsecè, & per seipsam vbicatio, ratione cuius Deus habet
quidquid necessarium est ex parte sua, vt intimè pene-
tretur creaturæ cuilibet, & quocumque loco extrinsecò
ponatur à Deo. Sic enim dignius constituuntur sine dubio
huiusmodi attributa, vt attingimus sectionis initio.



DISPUTATIO X.

De ente simpliciter necessario, & à se.

I. **E**NS à se proptè opponitur enti creato, siue ab alio tanquam à causa, ab aliquibus cum ente necessario confundi solet, idcirco claritatis gratia constituto ente necessario, & ente à se, vtriusque discrimen expendemus.

SECTIO I.

Quid sit ens simpliciter necessarium?

2. **N**omine entis simpliciter necessarij intelligimus illud, quod cum possibile sit, ita existit, vt possibile non fuerit, non existere. *Prior sententia* docet, ens necessarium consistere in negatione contingentia in existendo, vel in entitate positua, vt exigente, vel inducente similem negationem, ita Auerfa quæst. & sect. 2. *Posterior sententia* docet cum Soario, & aliis, consistere in posituo, quod explicari solet per negationem.

3. Afferendum est primò, ens simpliciter necessariū consistere in possibilitate existēdi reddente essentialiter impossibilem omnem sui meram possibilitatē, præteritionem & futuritionē. Probatür quia eo ipso, quod ens sit possibile, & non possit esse futurum, nec merè possibile aut præteritum necessariò, & essentialiter debet existere: ergo ens simpliciter necessarium consistit in possibilitate existendi red-

Ens simpliciter necessariū in quo consistat?

D d d. dente

dente essentialiter impossibilem omnem sui futuritionem, & meram possibilitatem, &c. Hoc enim pacto clarè percipitur, quomodo fundet negationem contingentiae in existendo, quia videlicet, nec potest esse futurum, nec merè possibile, aut präteritum.

Quid existē-
tia simpliciter
necessaria.

4. Inde colligo primò, existentiam necessariam esse illam, quæ seipsa reddit impossibilem omnem sui futuritionem, präteritionem & meram possibilitatem; etenim existentia aliqua eatenus potuit non esse, quatenus potuit manere merè possibilis, vel esse futura, &c. ergo quæ seipsa reddit impossibilem omnem sui futuritionem, & meram possibilitatem, &c. erit existentia necessaria, siue quæ non potuit non esse. Colligo secundò ideò Deum esse ens simpliciter necessarium, quia reddit essentialiter impossibilem omnem sui futuritionem, präteritionem & meram possibilitatem; & ideò illius existentiam esse simpliciter necessariam, quia seipsa reddit impossibilem omnem sui futuritionem, meram possibilitatem, &c.

Impossibilis
est creatura
necessario
existens.

5. Afferendum possibilem non esse creaturam positivam, quæ participet rationem entis necessarij: Conclusio est certissima, & ratio illius firmissima, quia existentia cuiuslibet creaturæ pender essentialiter à libera Dei voluntate, cui subjacet titulo supremi dominij, quod Deus habet in illam: Si autem aliqua creatura esset ens simpliciter necessarium, possibile non esset, eam non existere. Vnde liberum non esset Deo, velle eam existere, vel non existere: ergo similis creatura non subjaceret dominio Dei, quod essentialiter stat in potestate libera ponendi, & non ponendi creaturam.

6. Maior tamen difficultas est, an, negatio aliqua participare possit completum entis simpliciter necessarij? Et ratio dubitandi est, quia plures dantur negationes, quarum mera possibilitas, präteritio & futuritio est impossibilis: ergo erunt simpliciter entia necessaria. Antecedens probatur, quia negationes terminorum impossibilium, v.g. secundi Dei, identitatis realis inter Petrum, & Paulum, & Dei cum creaturis, non possunt non existere, & consequenter

quenter neque esse merè possibile aut futura: ergo, &c. Antecedens probatur quia existentia negationis deficere non potest nisi illius terminus existat: terminus autem impossibilis existere non potest: ergo neque poterit deficere existentia negationis termini impossibilis.

7. Ad pleniorē huius difficultatis notitiā. Suppono primò, possibile esse plures negationes eiusdem termini, etiam impossibilis; quia in hoc nulla statui potest implicancia, si semel negationes puræ eorum terminorum admittantur. Suppono secundo existentiam termini impediri cuiuslibet negationis suæ existentia, vtpotè opposita contradictoria suo termino; atque adeo ad impediendam existentiam termini sufficiens est vna illius negatio, & ad existentiam termini opus est nullam illius negationem existere; quādiu enim fuerit aliqua, impedita manebit existentia termini. His positis,

8. Asserendum est tertio, possibile non esse negationem, quæ sit ens simpliciter necessarium. Probatur, quia si aliqua esset maximè negatio termini impossibilis: Hæc non est: ergo. Minor probatur, quia nulla est negatio termini impossibilis, quam destruere non potuerit Deus, & aliam substituere: ergo nulla erit ens simpliciter necessarium. Antecedens patet ex dictis, quia ad impediendam existentiam termini impossibilis nulla negatio determinata necessaria est: ergo quælibet poterit à Deo destitui, & impediri, quod autem aliqua distinctiuè necessaria sit, non probat ullam esse ens necessarium, sicut licet necessario existere debeant forma, vel eius carentia, inde non probatur aliquam earum esse ens simpliciter necessarium. Ad id enim opus est, vt ens determinatum ita sit, vt non potuerit non esse, in quo stat perfectio diuinæ necessitatis existendi.

Plures negationes eiusdem termini possibile.

Vt existat terminus nulla eius negatio debet existere.

Possibilis non est negatio, quæ sit ens necessarium.

S E C T I O II.

De ente à se.

9. **N**on sumitur in præfenti ens à se, pro ente producto quidem, non tamen ab alio, sed à se ipso. Tum quia hoc pacto Deus non esset ens à se, cum sit essentialiter improductus, tam à se ipso, quàm ab alio. Tum etiam, quia huiusmodi ratio entis à se repugnat Deo ex principio illo per se noto, idem connaturaliter non posse se ipsum producere; id Deus præstare deberet connaturalissimè cum à nullo alio aduersari, aut iuuari posset: ergo Deus connaturalissimè deberet se ipsum producere. Tum denique, quia si idem connaturaliter posset se ipsum producere, rueret fundamentum ad personas diuinas distinguendas, quod stat in ratione producentis, & producti.

Triplex
vsurpatio
entis à se.

10. Nomine ergo entis à se venit ens improductibile, & improductum, tam à se, quàm ab alio, quod tripliciter sumi potest: primò pro ente à se, quatenus opponitur enti ab alio tanquam à causa; qua ratione quælibet diuina perfectio est ens à se, quia esse ab alio tanquam à causa proprium est creaturæ. *Secundò*, prout opponitur enti ab alio tanquam à principio reali formali; qua ratione filiatio, & spiratio passiuæ non sunt entia à se, cum habeant suum principium reale formale. *Tertiò*, prout opponitur enti ab alio tanquam à principio virtuali, qua ratione sola essentia diuina est ens à se, reliquæ verò diuinæ perfectiones ab alio, scilicet ab essentia, quæ est vniuersalis earum radix & principium.

In quo stet
ens à se,
quatenus
opponitur
enti ab alio
tanquam à
causa?

11. Affero primò, ens à se, prout opponitur enti ab alio tanquam à causa, consistere in ente, se ipso, reddente impossibilem omnem sui causam productiuam. Nomine causæ intelligo principium producens totam realitatem effectus, siue quidquid cum illo realiter identificatum est, vnde Pater diuinus causa non est Filius, nec vterque Spiritus Sancti. Probatur, nam ens à se, prout opponitur enti ab alio

alio tanquam à causa, constituendum est illo, quo opponitur enti creato, siue ab alio, tanquam à causa: opponitur autem, ente, seipso, reddente impossibilem omnem sui causam: ergo simili exigentia constituetur ens à se, prout opponitur enti ab alio tanquam à causa. Minor Probatur, quia ens creatum, siue ab alio tanquam à causa, est ens dicens essentialiter possibilem sui causam: ergo ens reddens impossibilem sui causam, hoc ipso oppositum erit enti creato, siue ab alio, tanquam à causa: ergo simili conceptu constituendum erit ens à se, prout opponitur enti creato, siue ab alio tanquam à causa.

12. Hinc colliges omnes diuinas perfectiones, tam absolutas, quàm relatiuas, esse simpliciter, & absolutè entia à se, quia nomine entis à se simpliciter, & absolutè sumpti, venit, quod opponitur enti creato, siue quod nullam habet sui causam: Omnis autem diuina perfectio ita est opposita enti creato, & nullam habet, nec habere potest sui causam: ergo omnis erit ens à se simpliciter, & absolutè, vt vnanimes fatentur Patres omnes, & Doctores. Similiter cum simpliciter, & absolutè nomine entis ab alio veniat ens creatum, siue habens causam sui productiuam, nunquam absolutè admittendum est diuinam aliquam perfectionem, aut personam esse ens ab alio.

Omnes diuine perfectiones simpliciter, & absolutè sunt entia à se.

13. Afferò secundò, ens à se, quatenus opponitur enti ab alio, tanquam à principio reali formali, constitui ente, seipso reddente impossibile omne sui principium reale formale. Probatur, quia ens à se prout opponitur enti ab alio, tanquam à principio reali formali, constituendum est illo, quo opponitur enti ab alio, tanquam à principio reali formali: opponitur autem conceptu reddente impossibile omne sui principium reale formale: ergo, &c. Minor probatur, quia ens ab alio tanquam à principio reali formali, est ens dicens possibile sui principium reale formale: ergo ens reddens impossibile sui principium reale formale; hoc præcisè oppositum erit enti ab alio, tanquam à principio reali formali.

Quid ens à se quatenus oppositum enti ab alio tanquam à principio reali.

14. Si autem quæras, quænam diuinæ perfectiones sint

Quæ perfe-
ctiones ita
sunt entia
à se.

in hac vsurpatione entia à se, quænam verò entia ab alio:
Respondeo solam Filiationem, & spirationem passiuam
esse entia ab alio, tanquam à principio reali formali, quia
sola illæ realiter formaliter producuntur in diuinis; cæ-
teræ verò perfectiones omnes, sunt entia à se, quia nulla
earum habet principium productiuum reale formale.

Quid ens à
se quatenus
oppositum
enti ab alio
tanquam à
principio
virtuali.

15. Affero tertio ens à se, quatenus opponitur enti ab
alio, tanquam à principio virtuali, consistere in ente, se
ipso, reddente impossibile omne sui principium virtuale.
Constat ex dictis conclusio, & eadem ratione, qua præce-
dentes firmanda est; quænam autem perfectiones in diuinis
sunt entia à se, quatenus opponitur enti ab alio, tanquam à
principio virtuali; constat ex dictis toto hoc tractatu, vbi
ostendimus essentiam diuinam esse principium virtuale
omnium attributorum, & relationum; vnde sola essentia
diuina erit ens virtualiter à se; attributa verò erunt entia
ab alio, tanquam à principio virtuali.



DISPUTATIO XI.

De immutabilitate Dei.

Quid im-
mutabilitas,
& quoruplex
opposita
mutatio.



I. IMMUTABILITAS opponitur mutationi,
quæ aliud non est, quàm rem aliter
nunc, aliter postea se habere. Sic aër
ex tenebroso dicitur in lucidum trans-
mutari, quando suboriente sole perfunditur luce,
quam antea non habebat. Mutatio duplex est, vna
physica & entitatiua, quando res transit ab existen-
tia in non existentiam, vel è contra; aut quando res
durans in existentia acquirit entitatiuam perfectio-
nem

neum, quam antea non habebat, vel habitam amittit. Altera moralis spectans ad deliberationes voluntatis, quando quis propositum semel habitum per subsequens oppositum reuocat, vel incipit nunc habere propositum, quod antea non habebat, aut cessat ab habito.

SECTIO I.

In quo stet utraque Dei immutabilitas?

1. **D**Eum absolutè immutabilem esse, certum est, tum fide, tum ratione naturali. Prima pars statuitur Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Malachiae 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Et in Lateranensi sub Innocentio III. quod habetur cap. *firmiter* de summa Trinitate. Ex quibus physica saltem, & entitatiua immutabilitas Dei tenenda est de fide. De morali autem constabit infra. Secunda pars ostenditur, quia Deus est simpliciter necessarium, & omnino perfectum: ergo repugnat illi mutatio in existentia, & quælibet alia, utpotè imperfectionem inuoluens.

Deus absolute immutabilis de fide, & ratione naturali.

3. **A**ssero primò, immutabilitatem Dei in existentia, nihil differre ab ente necessario. Probatur, quia immutabilitas in existentia nihil aliud est, quàm rem ita existere, ut non possit, nec potuerit non existere; huiusmodi autem est conceptus entis necessarij: ergo, &c. Minor probatur, quia mutatio in existentia, cui opponitur immutabilitas, nihil aliud est, quàm rem esse futuram, vel præteritam, vnde mutabilitas erit futuritio, vel præteritio, aut mera possibilitas rei possibilis: ergo immutabilitas erit perfectio diuina se ipsa reddens impossibilem omnem futuritionem, meram possibilitatem, & præteritionem sui; id autem est ens necessarium: ergo. &c. Minor probatur ex dictis de ente

Quid immutabilitas Dei in existentia.

Immutabi-
tas supposita
existentia
duplex, &
qualis vtra-
que.

ente necessario, nam quod non potest esse merè possibile, nec futurum, aut præteritum, hoc ipso existentiam habet omni tempore indefectibilem; atque adeo hoc ipso est ens simpliciter necessarium. Immutabilitas autem Dei, supposita Dei existentia, ad acquirendam perfectionem, antea non habitam, vel ad possessam amittendam, duplex est, vna physica, moralis altera. Physica est qua Deus seorsim, à libertate redditur immutabilis, quæ respicit perfectiones omnes necessarias. Secunda moralis, qua Deus in ordine ad actus liberos redditur immutabilis, dicitur autem moralis, non quia physice compossibilis sit cum mutatione circa actus liberos, sed quia actus liberi dicuntur entia moralia, siue ad virtutes moralis spectantia. Vnde nuncupationem haurit immutabilitas moralis, vt distinguatur ab immutabilitate, quæ circa perfectiones non liberas versatur.

In quo stet
immutabili-
tas physica
Dei.

4. Affero secundò immutabilitatem Dei physicam, vt contradistinctam à morali duo dicere, scilicet, & perfectiones diuinas esse entia necessaria, & alias perfectiones æquivalentes numero distinctas impossibiles. Probatum quia eo ipso, quod perfectiones semel in Deo existentes sint entia necessaria, & impossibiles sint aliæ æquivalentes distinctæ, Deus deficere non potuit à perfectionibus habitis semel, nec ab illis in alias transire: ergo eius immutabilitas physica consistet in necessitate perfectionum diuinarum. Quod autem immutabilitas physica differat à morali, quia dicit perfectiones necessarias, & alias æquivalentes impossibiles; patet, Tum quia actus liberi diuini non sunt entia simpliciter necessaria, sed contingentia. Tum etiam quia actus liberi de facto existentes in Deo, potuerunt non esse, & alij æquivalentes substitui: perfectiones autem necessariae nec potuerunt non esse, nec aliæ æquivalentes subrogari.

Sententia
circa immu-
tabilitatem
moralem Dei.

5. Circa immutabilitatem moralem, cur scilicet Deus à liberè non volente non possit transire in volentem, & à volente in nolentem maior est difficultas. Prior sententia asserit consistere eam immutabilitatem in virtute constantiæ, & perfectione

perfectiōe diuina tendendi positiuè, & non omisiuè in aliquod objectum, ita Recentiores aliqui. *Secunda* sententia asserere posset consistere in scientia omnium motiuorum comprehensiuā, & virtute constantiæ. *Tertia* docere posset, consistere in sola natura rationali perfectissima exigente comprehensionem omnium motiuorum, qua sola exigentia dissonum illi est, ab assumpto proposito desistere sine nouo motiuo.

6. Assero tertio, immutabilitatem moralem consistere, in scientia diuina, & virtute constantiæ repugnantis cum leuitate in proposito semel assumpto, vel in ea constantia scientiam illam præsupponente. Probatur nam licet mutabilis non dicatur, & inconstans inter nos, qui ex vno motiuo rationabili eligit vnum, & postea ex alio grauiori de nouo occurrente, mutat propositum; tamen, qui eisdem stantibus motiuis tenax non est in proposito, sed nunc eligit, quod antea respuit, dicitur, & est mutabilis; id autem totum corrigitur per scientiam comprehensiuam motiuorum, & virtutem constantiæ, obligantis ad conseruandum propositum non superueniente nouo, & grauiori motiuo, ergo moralis diuina immutabilitas consistet in scientia comprehensiuā omnium motiuorum, & virtute constantiæ, repugnantis cum leuitate in proposito semel assumpto, vel in ista vt præsupponente illam.

Stat in scientia diuina, & virtute constantiæ.

SECTIO II.

An possit Deus decretum prius habitum per subsequens oppositum reuocare?

7. **A**sserendum est, tanquam de fide, non posse Deum mutare consilium, seu decretum prius habitum per subsequens oppositum reuocare. Probatur primò ex Scriptura Numerorum 23. *Non est Deus, quasi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur.* Prouerb. 16. *Multa cogitationes*

Nequit Deus decretum prius habitum per subsequens oppositum reuocare.

Ecc

tiones

tiones in corde viri, voluntas Domini permanebit. Psal. 32. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione, & generationem. Isaïæ 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Malachiæ 3. Ego Dominus, & non mutator. Hebræorum 6. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hereditibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. In quibus testimoniis adeo perspicuè nostri asserti veritas continetur, vt nulla sit opus poderatione, maxime, cum mutatio consilij prius habitij, per subsequens oppositum, sit omnium maior, & Deo indignior, vt constabit ex dicendis.

Assumptum
ratione fir-
matur, ex
comprehen-
sione omniũ
motiuorum.

8. Probatur secundò conclusio firma, & communi ratione, Nam Deus ab æterno comprehensiuè nouit cuncta motiua, & circumstantias, quæ conducere poterant, tam ad decernendum mundum, quàm eius carentiam; quin vlla, vel minutissima latuerint ipsum: ergo non potest Deus decretum condendi mundum, semel conceptum, per subsequens oppositum reuocare. Tum quia mutare consilium semel habitum, nulla de nouo superueniente causa, motiuo, aut circumstantia, solius libertatis exercendæ gratia, est leuitas animi, contra perfectionem deliberandi euentissimè. Tum etiam, quia mutare consilium, est desistere à proposito semel assumpto, quod, nulla de nouo superueniente causa, motiuo, aut circumstantia, solius libertatis exercendæ gratia, est contra virtutem constantiæ. Tum denique, quia Deus posset consilium suum absolutum, & efficax, frustrare per decretum subsequens absolutum similiter, & efficax. Quæ omnia Deo penitus repugnare, quis, vel cæcus non videat? ergo.

Impruden-
ter Deus
decreuisset,
si consilium
mutare pos-
set.

9. Confirmatur, & ponamus, Deum per nolitionem absolutam, & efficacem condendi mundum, reuocaturum re ipsa decretum efficax, & antecedens condendi illum. Nunc ita. Vel Deus nouit hoc futurum conditionatum, videlicet. *Si posset decretum condendi mundum postmodum existet, eius reuocatio*, vel non? si non nouit, constituitur Deus ignorans eam veritatem, quod est Deum impetere. Si nouit:

uit:

uit: ergo Deus ea notitia instructus imprudenter decreuisset condere mundum, idemque esset de quocumque alio decreto cuiusvis creati effectus productiuo: Quid enim imprudentius agenti rationali contingere potest, quam absolute, & efficaciter decernere aliquid fieri, cum certissima, & infallibili præuisione, quod non fiet res; & frustrandum esse decretum? Id quod non leuiter innuit Christus Matth. 14. aiens. *Quis enim ex uobis uolens turrim adificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere; omnes, qui uident, incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cepit adificare, & non potuit consummare.* Vbi irridendus exponitur, qui ædificandæ turris iacit fundamenta, non prius sumptibus necessariis computatis. Quanto magis irridendus esset, qui computatis, & habitis sumptibus necessariis, fundamenta iaceret, qualia sunt decreta diuina ad productionem creaturarum, sciens opus inceptum non esse consummandum, sed penitus frustrandum, & irritum fore conatum voluntatis efficaciter intendentis illud.

10. Probatum tertio, nam posito decreto absoluto, & efficaci condendi mundum, eo ipso mundus est absolute, & infallibiliter futurus: ergo implicat Deum per subsequentem nolitionem absolutam, & efficacem, reuocare priorem voluntatem producendi mundum. Antecedens certum est, nam decretum absolutum, & efficax, est causa necessario, & inuitabiliter inferens futuritionem sui obiecti, cum eaque metaphysica infallibilitate connexum. Consequentia probatur, quia si Deus per subsequentem nolitionem, absolutam, & efficacem reuocaret priorem, fieret, vel mundum ex vi prioris voluntatis non fuisse futurum, cum vi posterioris nunquam existeret; vel vi prioris voluntatis esse futurum, & vi posterioris non esse futurum, cum tantæ efficacitatis sit nolitio ad prohibendam futuritionem, quam uolitio ad conferendam; utrumque autem implicare perspicuum est: ergo.

11. Confirmo, implicat Deum ex vi unius voluntatis

Effectus esset, & non esset futurus.

Alia absurda
ex diuina
mutatione
propositi se-
mel habiti.

ponere existentiam mundi in instanti, *A*; & ex vi alterius voluntatis eandem impedire, ne sit: id autem contingeret, reuocante Deo priorem voluntatem absolutam, & efficacem per oppositam posteriorem: ergo implicat ea reuocatio. Maior notissima est, quæ enim maior contradictio fingi potest, quàm eandem mundi existentiam, esse, & non esse in eodẽ instanti, *A*, Minor ostenditur, nam ex vi prioris voluntatis volentis mundũ existere in instanti *A*, utpotè absolute & efficacis, esset in eo instanti existentia mundi, & ex vi posterioris nolentis mundum existere, in instanti *A*, non esset: ergo in eodem instanti esset, & non esset existentia mundi. Vnde altera iterum emergeret implicantiã; videlicet, existere mundum in instanti *A*, nulla tunc existente volitione diuina circa talem existentiam, cum reuocata fuerit per subsequenter nolitionem efficacem inconiungibilem cum illa. His contentus mitto alias rationes, quæ facillè occurrent rem attentè meditati.

Scripturæ testi-
monia in
quibus vide-
tur Deus
priorem vo-
luntatem re-
uocasse.

12. Obiicies aliqua Scripturæ testimonia, in quibus videtur Deus priorem voluntatem reuocasse, quale est illud Genesis 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset, in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, penituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus. Delebo, inquit, hominem, quem creauit.* Pœnitere autem aliud non est, quàm priorem voluntatem per subsequenter oppositam reuocare: ergo. Alia testimonia subiceo, quia vna est omnium solutio. *Respondeo*, ea omnia testimonia accipienda esse metaphoricè, morèque humano. Deus enim destruens, quod prius fecerat, ita se gerit, ac si facti pœniteret, cum tamen vtrumque decretum creandi, & destruendi immutabile, æternumque sit; vt benè Diuus Gregorius lib. 10. Moralium cap. 23. *Quamuis rem mutet, consilium non mutat.*

S. Thom.

13. Ita expressè S. Thomas quæst. 19. art. 7. *Ad primum. Ergo dicendum, quod illud verbum Domini metaphoricè intelligendum est, secundum similitudinem nostram. Cum enim nos pœnitet, destruimus, quod fecimus: quamuis hoc esse possit absque mutatione voluntatis, cum etiam aliquis homo absque mutatione voluntatis,*

Disp. XI. *Immutabilitas Dei.* Sect. II. 405

voluntatis interdum velit aliquid facere, simul intendens postea illud destruere. Sic igitur Deus pœnituisse dicitur secundum similitudinem operationis, in quantum hominem, quem fecerat, per diluuium à facie terræ deleuit. Et ad secundum. Quod ergo dicit, Pœnitentiam agam ego (scilicet Ieremiæ 18.) intelligitur metaphoricè dictum. Nam homines, quando non implent, quod comminati sunt, pœnitere videntur.

14. An autem Catholicum hoc assertum, stabile, & firmum sit in sententia extrinsecis, & creatis connotatis, decreta libera complente? affirmant communiter Recentiores cum P. Granado hîc tractat. 3. disp. 5. sect. 4. numer. 29. P. Ribadeneyra disp. 20. cap. 1. num. 1. Quorum plures adeo facilem, & claram existimant prædicti Dogmatis rationem in ea sententia, vt vel inde fieret ipsis de veritate suspecta. In ea enim sententia decretum liberum condendi mundum, v.g. claudit essentialiter productionem ipsius: nolitio autem condendi claudit carentiam productionis: ex suppositione autem, quod sit productio, aut conditio mundi, implicat non esse: ergo & Deum nolle condere mundum, ex suppositione, quod condere decreuit.

15. Quid tamen in hac parte sentiam, breui cum distinctione declaro. Fateor in ea sententia, ex suppositione, quod decreuerit Deus producere creaturam, quod posse nolle tam producere, quia ex suppositione, quod sit productio, qua volitio creaturæ completur, implicat esse carentia eiusdem productionis, qua nolitio creaturæ pariter completur. Cæterum hoc non obstante iudico non saluari in ea sententia, diuinam omnem voluntatem priorem esse irreuocabilem per oppositam posteriorem. Nam volitio producendi creaturam, & nolitio eam conseruandi, sunt in ea sententia voluntates oppositæ; priorque per posteriorem reuocatur: ergo. Antecedens quoad vtramque partem probandum est.

16. Prior igitur pars, scilicet, volitionem producendi creaturam, & nolitionem conseruandi illam esse voluntates oppositas. Probat, quia volitio producendi creaturam, constituitur in ea sententia ipsa productione crea-

P. Gran.
P. Ribad.

In sententia complente decreta extrinsecis connotatis non saluatur immutabilitas diuina.

Voluntas producendi, & non conseruandi essent opposita.

turæ : nolitio autem conseruandi constituitur destructione ipsius productionis ; Productio autem creaturæ , eiusque destructio , opposita sunt : ergo , & volitio producendi creaturam , & nolitio eam conseruandi. *Confirmo* , ideò volitio , & nolitio producendi , sunt in ea sententia voluntates oppositæ , quia vna constituitur productione , altera verò carentia illius , & productio , eiusque carentia opponuntur : non minùs autem opponuntur productio eiusque destructio ; sicut enim impossibile est coniungi productionem , eiusque carentiam ita impossibile est coniungi productionem eiusque destructionem : ergo sicut voluntas producendi opponitur cum nolitione producendi , ita & cum nolitione conseruandi.

17. Dices volitionem , & nolitionem producendi , ideò opponi quia sunt respectiuè ad idem instans , in quo implicat vtramque coniungi ; producere autem , & non conseruare sunt respectiuè ad tempora diuersa , vnde sicut nulla est oppositio , me existere hodie , & manè non existere , seu non conseruari , ita neque est oppositio Deum velle producere , & nolle conseruare.

18. Contra , quia licet productio , & non conseruatio sint respectiuè ad tempora diuersa , id tamen non tollit earum oppositionem , nam respectiuè ad idem instans , impossibile est , rem produci , & simul destrui : sicuti subiectum esse calidum in gradibus intensis , & esse frigidum diuersis temporibus non tollit natiuam oppositionem earum qualitatum , quia illæmet qualitates contrariæ , quæ diuersis temporibus existunt respectiuè ad idem instans coniungi non possunt , imò diuersitas illa temporum necessaria calori , & frigori , vt existant , est argumentum contrarietatis qua pugnant inter se : ergo licet produci , & non conseruari sint respectiuè ad tempora diuersa , quia tamen respectiuè ad idem instans coniungi non possunt , opponentur inter se : ergo volitio producendi completa ipsa productione , & nolitio conseruandi completa destructione productionis , pariter opponentur inter se , & in eodem instanti simul in Deo existere non poterunt,
cum

cum in eodem instanti, earum complementa, scilicet productio, eiusdemque destructio simul existere non valeant.

19. Iam secunda illius antecedentis pars, videlicet, volitionem producendi priorem, reuocari per nolitionem conseruandi posteriorem, reuocari inquam, id est, destrui, ne de voce contendamus. Probatur nam in ea sententia decretum producendi est complexum, ex perfectione diuina, & productione creaturæ; nolitio autem conseruandi est similiter complexum ex perfectione diuina, & destructione productionis creatæ: Complexum autem ex perfectione diuina, & productione, prius est, complexo ex perfectione diuina, & destructione productionis, nam productio prior est ipsius destructione; aliunde complexum ex perfectione diuina, & productione creatæ, quæ est decretum producendi, destruitur per complexum, ex perfectione diuina, & destructione productionis, quod est nolitio conseruandi, cum productio non stet, nec stare possit, stante ipsius destructione, vt per se patet: ergo decretum producendi prius, reuocatur, & destruitur per nolitionem conseruandi posteriorem.

Volitio producendi prior reuocatur per nolitionem conseruandi posteriorem

20. Confirmatur, si fortè aliquis irritò conatu tentarit, nolitione conseruandi, non constitui destructione productionis, nam in ea sententia negari non potest diuinam liberam volitionem destruendi rem productam constitui destructione productionis; sicut diuina libera volitio producendi constituitur productione; ea autem volitio destruendi est posterior, & destructiua, voluntatis producendi; cum destructio, qua completur, si posterior productione, ipsiusque destructiua: ergo in ea sententia saluari non potest, voluntatem diuinam priorem esse irreuocabilem per oppositam posteriorem. Vnde mihi sententia illa semper fuit de veritate suspecta.

S E C T I O III.

An Dei decretum possit incipere nunc, vel cessare; quin antea praeceperit, vel postea subsequatur oppositum?

21. **C**ontrouersia praesens duo capita continet sigillatim expendenda. *Primum*, an possit Deus sua decreta suspendere inceptura postea in tempore, quando res est executioni mandanda merè negatiuè se habens in tota sua aeternitate, seu praecisiuè; ad eum modum, quo diuina voluntas in actu primo, merè negatiuè, se habet, seu praecisiuè, tam ad volitionem, quàm nolitionem mundi, v.g. *Secundò*, an, ex suppositione, quod Deus decreuerit ab aeterno existere mundum in tempore, possit nunc ab eo decreto purè cessare, si enim cessaret per posituiam nolitionem creandi mundum esset casus sectionis praecedentis. Quod dupliciter contingere posset; primò si cessaret Deus ab eo decreto ante conditionem mundi; *secundò*, si post orbem conditum cessaret.

Decreta diuina posse cessare innuunt. Delphinus. Gabriel. Rubion. P. Herize. P. Gasp. Hurtad.

22. Prior sententia posset esse affirmans, in quam non obscurè propendent aliqui Nominales dicentes, diuinas aliquas notitias temporaliter incipere, & cessare, ita Ioannes Antonius Delphinus, Gabriel, Maior, & Rubion, vt videre licet apud patrem Gillium lib. 2. tract. 8. cap. 9. apud P. Reynaudum in Theologia naturali, dist. 8. quaest. 2. n. 78. apud P. Martinon disp. 14. de Deo sect. 5. Fauet illi sententiae P. Herize disp. 20. cap. 1. num. 8. & sequentibus, vbi docet volitionem Dei solum esse aeternam intrinsecè secundum se spectatam, qua ratione necessaria est; incipere tamen secundum eas denominationes, quibus constituitur in esse liberè, & efficaciter ad creaturas terminatae; Fauet etiam ex parte P. Gaspar Hurtadus disp. 21. difficult. 3. aiens, decreta efficacia Dei post effectum executioni mandatum, cessare,

cessare, nec ultra perseverare, facere etiam mihi com-
pertum est, illi sententiæ, quotquot cum Herize decreta
Dei libera ex extrinseco Dei, & extrinseco creato compo-
nunt; nam extrinseca connotata incipiunt, & in tempore
desinunt: ergo decreta illis constituta; quod fusè profe-
quuti sumus de voluntate disp. 7. sect. 2.

23. Posterior sententia cæterorum omnium Theologo-
rum negat; posse decreta diuina incipere in tempore, aut
cessare, sed, vel semper immobiliter esse, vel nunquam.

24. Affero, decreta diuina nec posse in tempore incipe-
re, nec desinere. Probatur primò; Nam decreta diuina
constituenda sunt cum omni perfectione ipsorum libertati,
aut modo tendendi, minimè repugnante: repugnantia au-
tem incipiendi, aut desinendi, est perfectio cum libertate
diuinorum actuum, eorumque modo tendendi, minimè
repugnans: ergo concedenda est illis; atque adeo decreta
diuina incipere non poterunt, nec desinere; Maior perspi-
cua est, nam sicut nihil potest esse melius Deo, ita nec
possibilis est operatio melior operatione diuina; sicut igitur
Deo, eiusque amoris necessario conceditur omnis per-
fectio, ipsis non repugnans; ita & libero concedenda est
omnis illa perfectio, quæ cum ipsius libertate, aut modo
tendendi non repugnet. Iam minor, quæ sola indiget pro-
batione ostenditur. Nam in volitione diuina libera, duo
sunt conceptus, vnde illi impossibilitas incipiendi, & desi-
nendi repugnare posset. *Primus* est modus tendendi voli-
tionis, & inde non repugnat, vt patet in amore necessario,
cuius modo tendendi, quantumuis volitio, ingenita est
impossibilitas incipiendi, & desinendi; *Secundus* est, liber-
tas; & neque inde repugnare decretis diuinis impossibili-
tas incipiendi, & desinendi. Probatur. Nam ea impossibi-
litas plenissimum relinquit Deo Dominium ponendi suos
actus semper, vel nunquam, in quo stat plenissima liber-
tas; & tantum impedit dominium ponendi illos ex suppo-
sitione, quod antea non posuerit; & non ponendi ex sup-
positione, quod illos antea posuerit; quod dominium vi-
tium potius esset in Deo, quàm virtus: ergo.

Decreta di-
uina non
possunt in
tempore in-
cipere, nec
desinere.

Idem assum-
ptū ex liber-
tate diuina
inconculsa
fulcitur.

25. Confirmatur, nam etiamsi decreta possent incipere, & desinere in tempore, tamen sine dubio ea ab aeterno existere potuerunt: tunc autem Deus plenissimè suam libertatem exercuisset, ponendi, & non ponendi ab aeterno sua decreta: ergo, quamuis postea in tempore non possit à decreto ab aeterno semel habito cessare, id, dominium, & libertatem decreti, non euerter, nec minuet; cum Deus plenissimum Dominium ponendi, & non ponendi sua decreta ab aeterno exercuisset; sicuti, etiamsi Deus decretum antea habitum non possit per subsequens oppositum reuocare, id, nec euerter, nec minuit libertatem præhabiti decreti, quia Deus tunc plenissimum Dominium exercuit ponendi, & non ponendi tale decretum, vel oppositum: ergo cum Deus plenissimum dominium habeat ponendi, & non ponendi ab aeterno, quodlibet decretum ex oppositis, quantumuis eo semel posito, cessare non possit, plena, & integra consistet libertas eius.

Si decretum
diuinū cessa-
re posset, vel
incipere,
possibilis ef-
set in Deo
pura omis-
sio.

26. Probatur secundò conclusio ex præiactis à nobis de voluntate fundamentis. Nam vt ostendimus disp. 9. sect. 2. possibilis non est in Deo pura omisio libera, esset autem, si decreta diuina possent in tempore cessare, vel incipere: ergo. Minor probatur, quia tam inceptio, quàm cessatio essent Deo liberæ, cum potuerit decretum nec incipere, nec cessare: cessatio autem esset pura omisio, inceptio verò eam supponeret: ergo. Minor probatur, quia cessatio esset positio libera carentiæ decreti præexistentis, absque interuentu diuini alicuius actus positiui, quod est pura omisio libera: inceptio verò supponeret Deum potentem ponere decretum ab aeterno, & non ponentem, absque interuentu actus positiui, quod est purè omittere: ergo.

27. Tertiò, licet mutatio volentis in non volentem, per puram cessationem decreti, quando iam est eius effectus executioni mandatus; & mutatio non volentis in volentem, per inceptionem decreti, non incurrat vitia illa, reuocationis prioris voluntatis sectione præcedenti liberata; nam quod Deus cuncta penitissimè introspiciebat, non de-
cernat

Disp. XI. De immutabilitas Dei. Sect. III. 411

cernat peccatori pœnam vsque ad tempus flagitij; nulla est inconsideratio, quod non anticipet ad delictum decretum puniendi, & prius secum non agat de infligenda pœna, quàm existat culpa, nulla est imprudentia; quod denique Deus, suæ voluntatis affectus suo tempori reseruet, tempori sanctitatis amorem, & tempori peccati odium, nulla est animi leuitas. Licet hæc ita sint, & in præsentia controuersia non militent. Tamen ea mutatio volentis in non volentem, aut non volentis in volentem, iniuriosa Deo est.

28. *Primò*, quia æternitatem intrinsecam decreti, quæ longè maior est perfectio, quàm posse incipere, & desinere, prorsus arietat. *Secundò*, quia aliquo modo Deum mutabilem constituit, cum tamen opposita immutabilitas, melior sit illi. *Tertiò*, quia contingeret Deo physica mutatio: deficeret enim illi prædicatum omnimodæ immutabilitatis, & oppositum superueniret. *Quartò*, quia Deus non tanti æstimaret sua decreta, quanti illa æstimabilia sunt, si potens illis priuilegium æternitatis conferre, iniuriam inceptiois, aut cessationis irrogaret.

Neque consisteret æternitas decreti, nec immutabilitas perfecta.

29. *Quartò* probatur conclusio, quia melior est Deo omnimoda immutabilitas suorum decretorum, quàm eorum possibilis inceptio, aut cessatio: ergo illa concedenda Deo est, & negando ista. Consequentia per se patet. Antecedens probatur, quia immutabilitas de se est perfectio; atque adeo omnimoda immutabilitas, erit omnimoda perfectio: possibilis autem decretorum inceptio, aut desitio solam constitueret in Deo libertatem suspendendi decretum, aut desistendi ab illo, quæ libertas leuissima est comparatiuè ad omnimodam Dei immutabilitatem: ergo melior est Deo omnimoda immutabilitas, quàm possibilis inceptio, aut cessatio decretorum.

Immutabilitas omnimoda maior est perfectio, quàm inceptio aut cessatio.

30. Confirmatur, nam potissima ratio stabiliendi in Deo physicam libertatem, est, dominium in creaturas, & ne eas ex necessitate producat: huiusmodi autem dominium plenissimè stat, etiamsi in Deo nulla sit libertas incipiendi, aut cessandi à decreto: ergo nulla est ratio cogens ad eam

412 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

libertatem admittendam. Maior probatur, quia etiam si decreta diuina incipere non possint, aut desinere, stat in Deo plenissima potestas creandi, & destruendi creaturas, pro ipsius beneplacito sempiterno; quid enim obstat Deum immobilibus decretis statuere ab æterno, me existere hodie, & destruere me cras? ergo plenissimum Dei dominium stat absque libertate incipiendi, aut cessandi, à decreto semel concepto, vnde nulla est ratio cogens ad talem libertatem admittendam.

S August.
Assertum
nostrum
apertissime
firmans.

31. Plaudit tamen Augustinus, vtriusque nostri asserti defensor acerrimus, lib. 12. confessionum, cap. 15. ita scribēs. *Num dicitis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiori dicit de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius substantia varietur: nec eius voluntas extra eius substantiam? Vnde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult; non iterum, & iterum, neque nunc ista, nunc illa; nec velle postea, quod volebat, aut nolle, quod prius volebat. Quia talis voluntas mutabilis est; & omne mutabile æternum non est, Deus autem noster æternus: vbi Augustinus non solum statuit, Deum non velle postea, quæ prius noluit, quæ erat prior nostra conclusio; sed vterius statuit, Deum non modò velle hoc, modò illud, quod esset incipere decretum; sed semel, & simul, & semper velle omnia. Rationem subdit, quia alteri diuina voluntas esset mutabilis; & omne mutabile æternum non est, qualis est Deus: ergo Deus, eiusque diuina voluntas, æterni non essent, si semel & simul, & semper, non vellet omnia, quæ vult: implicat autem Deum, eiusque diuinam voluntatem æternam non esse: ergo & non velle semel, & simul, & semper omnia, quæ vult.*

S E C T I O IV.

Soluntur obiectiones.

32. **O**biicies primò. Decretum Dei versari nequit circa præteritum, & impossibile: ergo decretum creandi Adamum, v. g. in instanti *A* iam præterito, non durat hodie patet consequentia, quia si tale decretum duraret hodie, hodie Deus decerneret creare Adamum in instanti *A*; iam præterito; quod est versari circa præteritum, & impossibile; circa præteritum, quia nunc præterita est creatio Adami; circa impossibile, quia anteaquam creationem Adami in instanti *A* iam præterito, contingere hodie, impossibile omnino est; si enim hodie contingeret, præterita iam non esset hodie, sed præsens: ergo pariter impossibile erit decernere hodie creare Adamum in instanti *A* iam præterito. *Confirmatur*, quia licet perfectionis Dei sit, sua consilia ab æterno deliberare: tamen otiosum est ea permanere, postquam suum munus obierunt: ergo cessabunt.

Prima obiectio, quia decretum circa præteritum, & impossibile versaretur.

33. *Missaliorum solutionibus.* Respondeo, concessio antecedente, negans consequentiam, cuius probatio æquivoca omnino est. Aliud enim est, Deum hodie decernere existentiam Adami pro instanti *A*, suæ creationis, & hoc nihil implicat, quia non ponit hodie existentiam Adami, sed suo tempore posuit; sicuti Deum ab æterno decernere eandem Adami existentiam pro instanti *A*, nec implicat, nec ponit illam ab æterno, sed ponet suo tempore. Aliud est, Deum hodie decernere existentiam Adami in instanti *A*, iam præterito, pro die hodierna; & hoc implicat quidem, quia tale decretum rem præteritam faceret præsentem. Nostra autem conclusio procedit de priori decreto, non de posteriori; quod sibi fingit, & expugnat obiectio. *Confirmatio* momenti non est, quia sicut æternitas decreti

Æquivocatio obiectio nis deregitur. & aperitur solutio.

414 *Tra&.I.De Essentia & Attributis Dei.*

ante sui muneris functionem otiosa non est, quia eam exigit diuina perfectio; ita neque duratio post muneris functionem otiosa erit, quia eam exigit immutabilitas, & perfectio diuina.

Secunda & difficilis obiectio; quia amor amicitiae, & odium inimicitiae incipiunt, & desinunt.

34. Obiicies secundò. Deum odisse peccatorem, non est quid sempiternum: ergo de ratione diuinorum affectuum, quatenus Deo suos quasi effectus formales tribuentium, non est semper existere. Probatur antecedens. Deus nunc non prosequitur odio inimicitiae D. Petrum propter peccatum präteritum negandi Christum, tempore autem negationis eum tali odio prosequeretur: ergo Deum odio inimicitiae Petrum peccatorem odisse, non est quid sempiternum. Maior probatur, nam odium inimicitiae semel conceptum retinere, verissimè est, quantum, ad voluntatis affectum, esse alterius inimicum: Deus autem nunc non est verissimè, quantum ad voluntatis affectum, inimicus D. Petri, nec illum odio prosequens, sed potius est verissimè, & sincerissimè amicus, eumque diligens: ergo nunc non prosequitur illum odio inimicitiae.

Iudicium in hoc puncto Patris Amici, & P. Quirios.

35. Hoc argumentum difficillimum in varios, discrepantesque sensus diuisit Authores. Primò, ex his, qui decreta diuina libera complent extrinsecis connotatis, P. Amicus disp. 14. n. 64. & 65. & P. Antonius de Quiro tract. de voluntate respondent concretum hoc: *Deum odio inimicitiae prosequi peccatorem*, duo includere; vnum principaliter, & in recto, scilicet actum intrinsecum diuinæ voluntatis, sufficientem de se ad adamandum bona, & odio prosequenda mala, positus eorum connotatis; alterum minus principaliter, & in obliquo, scilicet, creaturam infici peccato; & quia hoc cessat in instanti, quo remittitur peccatum, cessat etiam, Deum odio inimicitiae prosequi creaturam, & incipiente peccato incipit. Idemque erit de amore amicitiae, incipere scilicet incipiente in homine iustitia, & ea cessante cessare.

Vnde displicet præcedens sententia.

36. Hæc tamen responsio quantum prodest suis Authoribus in præsentī casu, tantum nocet in constitutione decretorum, vt opportune notauit P. Ribadeneyra. Nam Deus

in

in ratione prosequentis odio, non alia ratione incipit & desinit, nisi quia incipit, & desinit connotatum extrinsecum, quo Deus in ea ratione completur; in ratione autem decernentis, & videntis hanc actionem, nunc incipientem, & postea desinentem, completur Deus per ipsam, in sententia eorum Authorum; ergo Deus in ratione decernentis, & videntis eam actionem, non minus incipit, & desinit, quàm in ratione odio inimicitiae prosequentis peccatorem, quod nec eius Authores admittunt, nec dici potest.

Confirmo. Amor amicitiae, & odium inimicitiae, quocumque extrinsecò connotato compleantur, sunt affectus liberi diuinæ voluntatis: ergo si incipere possent, & desinere, iam actus liberi diuini, saltem aliqui, incipere possent, & desinere; quod si concedatur, triumphat objectio, & reddenda superest ratio, cur isti, & non omnes, incipere possint, & desinere.

37. Secundò ex Doctoribus decreta diuina adæquatè Deo intrinseca constituentibus, Pater Ribadeneira disp. 20. cap. 3. de voluntate à num. 19. respondet denominationes Dei diligentis amicabiliter iustum, & odio inimicitiae prosequentis peccatorem incipere, & desinere in tempore, incipiente, aut desinente iustitia, aut peccato: quia licet huiusmodi connotata, non sint de constitutio earum denominationum, vt tenet num. 23. in quo tantum discrepat hæc responsio à præcedenti, tamen incipiunt, & desinunt cum illis: sicut denominatio Creatoris, incipit, & desinit, incipiente, aut desinente creatione. Hanc responsionem probabilem esse subscripserunt multi, & grauissimi in Theologia Magistri, contra aliquos, qui de eius probabilitate dubitarunt.

38. Fundamentum huius responsionis est, quia nequit Deus denominationem diligentis amicabiliter iustum, vel odio inimicitiae prosequentis peccatorem, suscipere; donec illam summè rationabiliter suscipiat; nequit autem sic illam suscipere, donec veniat tempus, quo Petrus incipit esse iustus, vel peccator: ergo talis denominatio temporaliter incipit, Maior probatur, quia, licet anteceden-

Sententia
P. Ribad.
singularis.

Non posse
Deum, ante
tempus pec-
cati odio ha-
bere, nec
ante tempus
in iustitia
amicabiliter
diligere.

ter ad tempus iustitiæ, & peccati, sit rationi consentaneum, complacere circa essentiam huius complexi: *Petrus cum iustitia*, & displicere circa hoc; *Petrus cum peccato*, irrationabile tamen est, amare Petrum titulo iustitiæ, & odisse titulo peccati, antequam iustitia reddat Petrum amore dignum, & peccatum odio: Deum autem diligere amicabiliter Petrum iustum, est, amare Petrum titulo iustitiæ reddentis illum amore dignum, & Deum odio inimicitie prosequi Petrum peccatorem, est, odisse illum titulo peccati reddentis Petrum odio dignum: ergo nequit Deus eas denominationes rationabiliter suscipere, donec iustitia reddat Petrum amore dignum, & peccatum odio, quod non contingit donec veniat tempus, in quo Petrus incipit esse iustus, vel peccator.

Responso
precedens
infringitur
ad hominē.

39. Displicet tamen responso ista. Primò, quia potest Deus, ante tempus peccati, liberè decernere pœnam infligendam, propter illud postea committendum. Insuper potest Deus decernere, imò & exequi præmium propter meritum nondum existens, sed exiturum, ut patet in gratia donata Patribus antiquis, propter merita Christi postea exitura: ergo. Antecedens verissimum est aliter ea decreta diuina incipere possent, & desinere, non minus quam amor amicitie, & odium inimicitie, quod constantissimè negat responso Author num. 20. Consequentia probatur, quia non minus primò intuitu apparet irrationale, Deum decernere præmia, vel supplicia propter merita, vel demerita nondum gesta, quam amicabiliter diligere, vel inimicabiliter odisse, propter iniustitiam, vel iustitiam nondum positam: hoc tamen non obstante, primum est rationabile, Deoque possibile: ergo & secundum.

40. Occurrit P. Ribadeneyra concessio antecedente, negans consequentiam probationisque maiorem. Nam decernere Deum præmia, vel supplicia, propter merita, vel demerita nondum existentia, sed exitura postea, aliud non est, quam Deum ab æterno videntem, quod talia merita, vel demerita tali tempore erunt, moueri ex ea visione ad decernendū præmium, vel supplicium, ne irremunerata maneat,

maneant, vel impunita; in quo nihil rationi dissonum. Diligere autem amicabiliter creaturam, eamque inimicabiliter odisse; est, diligere creaturam propter bonitatem, qua nondum bona est, & amare digna, & odisse illam propter malitiam, qua nondum mala est, & odio digna; quo nihil irrationabilius fingi potest.

41. Contra, quia sicut peccatum reddit creaturam odio dignam, ita & reddit pœna dignam: ergo sicut antequam peccatum existat, non reddit, sed reddet creaturam odio dignam, ita nec reddit, sed reddet pœna dignam, par enim est ratio, cum peccatum æquè sit dignitas ad odium, & ad pœnam: ergo sicut irrationabile non est decernere creaturæ pœnam propter peccatum, quod nondum est dignum pœna, sed erit, ita neque irrationabile erit diligere amicabiliter creaturam propter iustitiam, qua nondum iusta est, sed erit, aut odisse propter peccatum, quo nondum mala est, sed erit? ergo sicut ex visione peccati tali tempore exituri moueri Deus potest ad pœnam rationabiliter ab æterno decernendam, ita etiam ad odium concipiendum.

Sicut peccatum reddit creaturam odio dignam; ita reddit pœna dignam.

42. Dices decretum pœnæ irrationabile non esse, etiam antequam peccatum reddat creaturam pœna dignam; quia cum tale decretum non possit incipere tempore peccati, si non præcederet illud ab æterno, maneret peccatum impunitum.

43. Contra, quia tam indecens est, diuinam bonitatem odio non prosequi peccatorem propter peccatum, quam diuinam iustitiam eum non punire: ergo sicuti decretum infligendi pœnam, antequam peccatum reddat creaturam illa dignam, rationabile est, si negetur posse incipere tempore peccati, quia peccatum maneret impunitum; similiter odium inimicitie rationabile esset, antequam peccatum redderet creaturam odio dignam, si tale odium non posset incipere tempore peccati, quia si non præcederet, maneret peccatum non odio habitum à diuina bonitate: ergo statuta æternitate talis odij, æquè rationabile esset, ac decretum infligendi pœnam: ergo non ideo negandum est sem-

Tam indecens est diuina bonitati non odisse peccatorem, quam diuina iustitiæ non punire.

418 Tra&t.I. De *Essentia & Attributis Dei.*

piternum, quia hoc posito, irrationabile esset. Imò inde solida, & efficax paratur contra suum Authorem, obiecti fundamenti solutio. Nam etiamsi Deus pœnam decernat, & odium concipiat propter peccatum, quo nondum creatura pœna, aut odio digna est, sed erit; tamen decretum illud, & odium, rationabilia sunt. Quia ex vno capite Deus rationabile ius habet ad tale decretum; & odium tempore peccati: ex alio verò capite rationabilissimum ius habet, ne suæ voluntatis affectus in tempore incipiant, aut desinant; & ex hoc utroque iure reddetur rationabilissimum sempiternum Dei odium in creaturam propter peccatum, quod aliquando erit; sicut decretum pœnæ rationabilissimum redditur in Aduersarij sententia; quia eadem est in utroque casu ratio, an autem utrumque negandum sit, vel admittendum constabit infra.

Communis
Doctorum
responsio.

44. Tertiò communiter Theologi respondent. Deum nunc non prosequi odio inimicitia D. Petrum respectiue ad tempus præsens, in quo iustus est, & amicabiliter dilectus; sed tantum respectiue ad tempus negationis, in quo peccator est; atque adeo Deum non esse nunc inimicum D. Petri, sed amicum; quia esse nunc inimicum, non constituitur odio Petri pro tempore negationis, sed odio illius pro tempore præsentis; cumque pro tempore præsentis nullum existat in Deo odium Petri, cum nullum sit peccatum in illo; inde nulla existit inimicitia, sed potius amicitia propter gratiam in Petro nunc existentem, & dilectionem Dei erga Petrum propter illam.

Momenta
contra com-
munem res-
ponzionem.

45. Contra solutionem istam insurgit P. Ribadeneira disp. 2. à num. 15. fine. Nam ex ea responsione (nisi verbis ludere placeat) non fit, non esse præsentem nunc inimicitiam diuinam contra D. Petrum, sed quamuis exerceatur nunc; exerceri tamen propter motiuum iam præteritum, quod non ob stare præsentis inimicitia probat. Primò, quia, si homo nunc de præsentis, alterum odio propter iniuriam iam præteritam prosequatur; verè nunc de præsentis est inimicus illius, propter motiuum non præsens, sed

sed præteritum: idque verum est, etiam si de præfenti exter-
nis signis internam inimicitiam manifestare nolit: ergo si-
militer in Deo.

46. Secundò, nam in euentu proposito, si homo propter ini-
uriã sibi ab altero in instanti *A*, irrogatam, cum odio profe-
quatur, & impofterum in concepto odio propter eandẽ ini-
uriam iam præteritam perseueret, non minus est inimicus
tempore, quo odium perseuerat, propter iniuriam præte-
ritam iam, quam in instanti *A*, quando iniuria præfens
erat, quia semper ex parte actus odio habet alterum, quam-
uis non odio habeat propter iniuriam semper irrogatam,
sed irrogatam tantum in instanti *A*: ergo si Deus conce-
ptum tempore negationis odium, in pofterum conserua-
ret, non minus duraret inimicus *D. Petri* tempore se-
quenti, quàm fuisset, inimicus tempore negationis. Quod
non consonat illis Domini verbis, Ezechielis 18. *omnium
iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.*

47. Tertiò addi posset, nam inimicitia Dei cum *D. Pe-
tro* tempore negationis, adæquatè consistebat in odio di-
uino propter peccatum tunc commissum, quin nec instans,
nec negatio, eam inimicitiam, aut odium constituerent,
aliter odium diuinum inimicitie aliquo extra Deum com-
pleretur. Vel ergo nunc durat tale odium, vel non? si non
durat donatur intentum. Si durat: ergo inimicitia Dei ho-
die, talis, & tanta est, qualis, & quanta fuit tempore nega-
tionis, quod dici non potest.

48. Propter istas instantias difficillimas equidem, & quæ
nullam videntur habere pacatam solutionem, nouam se-
mitam moliri necesse est pro argumenti solutione. Quod
vt facilius præstem. Pono, affectus diuinos liberos amici-
tie, & inimicitie, non esse intrinsecè efficaces absolutos,
sed conditionatos; videlicet existente iustitia, vel pecca-
to; idemque est de decreto decernente pœnam propter
peccatum. Moueor, quia indecens semper mihi apparet,
Deum decernere absolutè pœnam propter peccatum, &
similiter odium concipere contra creaturam, antequam
ista absolutè sit odio vel pœna digna, propter tale pecca-
tum.

Affectus di-
uini liberi
amicitiæ &
inimicitie
erga crea-
turas non
sunt intrin-
secè effica-
ces absoluti,
sed condi-
tionati.

tum. Similiter indecens est, Deum esse amicum Petri tempore peccati simpliciter, & absolutè inimicum tempore iustitiæ; quæ omnia sequi ex prædictis affectibus intrinsicè efficacibus absolutis, constat ex dictis. Non autem sequi ex conditionatis clarum est, nam Deus ius habet ad decernendam poenam propter peccatum, & odium concipiendum, si illud ponatur: ergo Deum id velle rationabilissimum est. Quæ nostra suppositio passim in Scripturis commendatur. Vbi dum agitur de diuinis affectibus amicitiae, & inimicitiae, verbis conditionatis exprimentur. Exod. 23. 22. *Quod si audiueris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor inimicus ero inimicis tuis, & affligam, affligentes te.* Deuteron. 8. 20. *Sicut gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita, & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.* Et cap. 11. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem: benedictionem si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, eadem quæ ego hodie præcipio vobis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri.* Eademque inculcantur cap. 28. & cap. 30. Psal. 88. *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: & mandata mea non custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Et millies alibi.

Quo pacto
affectus illi
conditionati
transciant
in absolutos.

49. Pono insuper affectus illos amicitiae, & inimicitiae ex modo tendendi semper conditionatos transire in absolutos ipsa positione conditionis, iustitiæ, scilicet, aut peccati, absque interuentu noui affectus liberi diuini ex modo tendendi absoluti, atque adeo diuinam amicitiam, & inimicitiam absolutam (quæ sola stricta est amicitia, vel inimicitia) constitui affectu libero diuino conditionato, & sempiterno, & positione conditionis iustitiæ, vel peccati temporali. Quo fit, amicitiam, & inimicitiam diuinam incipere, & desinere, incipiente, aut desinente conditione iustitiæ, vel peccati, quin affectus diuinus liber incipere possit, aut desinere, aut denominatio producentis incipit, & desinit, incipiente aut desinente productione, qua constituitur, quin decretum liberum produ-
cendi.

condi, incipiat, aut desinat. Et ratio omnium est, quia sicut productio creaturæ, constitutiua non est decreti diuini liberi, sed denominationis superuenientis decreto libero, ita conditio iustitiæ, aut peccati, constitutiua non est decreti diuini, conditionatè odio, vel amore prosequentiæ Petrum, sed denominationis illi superuenientis, scilicet odij absoluti, quod est inimicitia, vel amoris absoluti, qui est amicitia. His positis, quæ satis communia sunt inter Theologos, & intellectu non valdè difficilia, nec obscura.

50. Respondeo ad argumentum, Deum odisse peccatorem odio conditionato, non est quid sempiternum, nego: absoluto, concedo. Et nego consequentiam, scilicet de ratione diuinorum affectum non esse semper existere. Ad probationem concedo, Deum nunc non prosequi odio inimicitia D. Petrum, & tempore negationis prosequutum fuisse; inde tamen non concluditur affectum aliquem liberum diuinæ voluntatis incipere, sed denominationem illi affectui superuenientem, qualis est, esse odium absolutæ inimicitia, quod libenter concedimus, id, quod in denominatione producentis, nullus negabit. Itaque inimicitiam strictam diuinam constituunt duo. *Primum* & principaliter est, affectus liber ex modo tendendi conditionatus, qui semper est, fuit, & erit. *Secundum* est, positio conditionis peccati, quæ constitutiua non est affectus diuini liberi, sed circumstantia illi superuenientis, scilicet odij absoluti, seu inimicitia absolutæ diuinæ, quod idem est, sicut in denominatione producentis.

Vera argumenti responsio.

51. Instabis primò odium absolutum Dei contra D. Petrum propter peccatum, est affectus liber diuinæ voluntatis: hoc autem incipit, & desinit: ergo. Maior probatur quia decretum absolutum condendi mundum, etiam quoad circumstantiam absoluti, est affectus liber diuinæ voluntatis: ergo & odium absolutum. Vnde si conditio creata constitueretur, fieret contra nos, affectum liberum diuinum constitui aliquo extrinseco creato.

Prima instantia, sumpta à decreto absoluto adæquatè intrinseco, soluitur.

52. Respondeo distinguens maiorem, odium absolutum

est solum affectus liber diuinæ voluntatis, nego: est affectus liber cum circumstantia illi superueniente, concedo. Et concessa minori, nego consequentiam. Ad probationem concessio antecedenti, nego consequentiam, quia nimis probat, decreta scilicet, ex modo tendendi conditionata, esse intrinsecè absoluta, & decreta indifferentia, esse intrinsecè efficacia, quia decretum condendi mundum intrinsecè efficax est, & absolutum; quod sicut non benè inferitur ex illo antecedenti; ita neque odium absolutum, quoad circumstantiam absolutam, inferitur, esse affectum liberum diuinæ voluntatis; sicut decretum de se indifferens, & efficax per accidens, quoad circumstantiam efficaciam, affectus liber non est diuinæ voluntatis, sed extrinseca circumstantia affectui diuino superueniens; sicut in denominatione producentis. Disparitas autem, quam postulat obiectio, prompta est. Nam omnis affectus diuinus liber, utpotè vitalis, adæquatè, se tenet ex parte Dei, nullo extrinseco illum constituyente; ut statutum est disputat. 8. & 9. de voluntate cumque affectus absolutus, & efficax circa mundum adæquatè se teneat ex parte Dei; inde etiam, quoad circumstantiam absoluti, & efficacis, est affectus diuinæ voluntatis: odium autem absolutum non se tenet adæquatè ex parte Dei, nec potest, propter inconuenientia superius recensita; ideoque quoad circumstantiam absoluti, affectus non est diuinæ voluntatis.

Secunda,
quia Deus
esset nunc
conditionatè
inimicus D.
Petri, con-
ceditur.

53. Instabis secundò, ex nostra doctrina fieri, Deum nunc esse conditionatè inimicum D. Petri, & fuisse semper, & futurum; cum semper fuerit, sit nunc, & semper extitutum sic odium conditionatum erga illum, sicut nos arguebamus, futurum semper absolutè inimicum, si sempiternum esset absolutum odium. *Respondeo* sequelam esse veram, & nihil absurdi in ea contineri, quia conditionata inimicitia, strictè inimicitia non est, cum non sit inconiungibilis cum absoluta, & perfectissima amicitia.

Tertia, quia
odium con-
ditionatum

54. Instabis tertio, odium conditionatum non posse esse liberum: ergo neque constituere liberam Dei inimicitiam.

Disp. XI. *Immutabilitas Dei.* Sect. IV. 423

tiam. Antecedens probatur, quia Deus non potest non odisse Diuum Petrum, sub conditione quod peccet: ergo odium Dei conditionatum liberum esse non potest. *Respondeo* negans antecedens. Ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia, quia licet Deus non posset non odisse Petrum, sub conditione, quod peccet, tamen suppositio, quod Petrus existat, est libera Deo & contingens, & consequenter etiam est Deo liberum, & contingens, odisse Petrum sub ea conditione, quia odium conditionatum; sicut & leges conditionatae, supponit creaturam exituram in statu contingentiae peccati, atque adeo, & decretum ponendi illam in tali statu, quae omnia libera Deo sunt.

nō esset Deo liberum, soluitur.

55. Instabis quartò. Fieri ex nostra sententia, Deum generaliter odisse odio inimicitiae iustos, & peccatores, & similiter eodem amore amicitiae, dilexisse; quia omnes odit sub conditione peccati, & omnes amat sub conditione iustitiae: id autem absurdum est: ergo.

Quarta instantia, quia Deus aequaliter diliget iustos, & peccatores, declarata.

56. Respondeo nullum esse absurdum, quod Deus, legem generalem pro omnibus statuatur, amicitiae, si iusti fuerint; inimicitiae verò, si peccatores, imò id diuinam iustitiam, & clementiam in omnes diffusam commendat, quia odium conditionatum, nulli nocet, nisi ponenti conditionem, nec impedit specialem Dei benevolentiam erga sanctos, qui ab ea positione conditionis seruati sunt: similiter amor conditionatus nulli prodest, nisi ponenti conditionem, nec impedit vindictam diuinam contra eos, qui talem conditionem rejecerunt. Sicut lex generalis gehennae pro omnibus, si in peccato decesserint absurda non est, nec Deo indecens, aut sanctis iniuriosa: nec lex generalis pro omnibus obtinendae gloriae, si decesserint in gratia absurda est, nec Deo indecens, aut peccatoribus auxiliatrix, propter eandem rationem. Quod si odium illud conditionatum generale, similiterque amor, alicui inconuenienti exposita iudicaret quis, facile esset occurrere instantiae, dicendo, Deum, cum certissime sciat, quinam iusti, & quinam peccatores futuri sunt, parasse peccatoribus odium
conditio

424 Tract I. De Essentia & Attributis Dei.

Quāvis ab-
soluē Deus
decernat
præmiū, non
tamen pœ-
nam.

conditionatum; iustis verò amorem, quod iudicent alij.
57. Instabis denique. Potest Deus decreto absoluto de-
cernere præmium propter meritum, quod nondum est,
sed erit postea: ergo etiam pœnam propter demeritum,
quod nondum est; sed erit postea; atque adeò, & odium
inimicitiaē absolutum concipere. *Respondeo*, concessio ante-
cedenti, negans consequentiam. Nam in anticipatione
decernendi præmium nulla est indecentia, imò liberali-
tas; secus verò in anticipatione decernendi pœnam ante-
quam digna sit illa creatura.

S E C T I O V.

*An immutabilitas possit competere alicui
creatura?*

Sententiæ
Doctorum.

58. **D**ifficultas est, de triplici immutabilitate, scilicet
entitatiua, siue in existentia, physica, & morali
sect. i. præcedenti præmissis. An scilicet possibilis sit crea-
tura, quæ eas omnes immutabilitates, vel aliquam earum
participare possit. *Prior sententia* affirmat possibilem esse
creaturam essentialiter immutabilem in existentia, semel
habita; ita vt, semel à Deo producta ab æterno, in æternum
necessariò duratura sit, quin vlllo pacto destrui possit. Ita
aliqui recentiores. *Secunda sententia* est communis Theo-
logorum, negans possibilem esse creaturam, quæ scilicet
participet triplicem illam immutabilitatem, vel aliquam
earum. Ita Fasolus quæst. 9. art. 2. cum multis Patribus, &
Doctoribus, quos refert.

P. Fasolus.

Impossibilis
est creatura
entitatiuè
immutabilis.

59. Affero primò, impossibilem esse creaturam, quæ enti-
tatiuè, siue in existentia, immutabilis sit. Probatum primò
ex Scriptura, & Patribus, nam Exod. 3. ait Deus. Moysi, *Ego
sum, qui sum*, &c. *qui est misit me ad vos*. Ad quæ verba ait
Fulgentius de fide ad Petrum cap. 7. *Firmissimè tene, & nulla-
tenus dubites solum Deum incommutabilem esse, hoc enim signi-
ficat,*

Fulgentius.

Disp. XI. *Immutabilitas Dei.* Sect. V. 425

fient cum dicit sermo suo Moysi: Ego sum, qui sum. Insuper 1. ad Timotheum *solus habet immortalitatem*, id est, immutabilitatem, vt explicant Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 1. §. *immortalis*. Præterea Cyrillus Alexandrinus lib. de recta fide ad Theodoricum; *quemadmodum Deus non potest fieri mutabilis, ita neque creatura potest fieri immutabilis.*

Ambrosius.
Augustinus.
Cyrill. Alex.

60. Probatur secundò ratione, quia creatura entitatiuè immutabilis, quæ scilicet semel existens essentialiter omni tempore duratura esset, participaret attributum æternitatis superiùs explicatum: id autem implicat, vt ibidem ostensum est: ergo, &c. Confirmatur, immutabilitas entitatiua, siue in existentia, dicit perfectionem omninò oppositam creaturæ, siue enti ab alio: ergo implicat cum eo componi. Antecedens probatur, quia creaturæ, siue enti ab alio, repugnat ita existere, vt non potuerit non existere: ergo etiam repugnabit ita conseruari, vt non potuerit non conseruari; vtrumque enim derogat pleno, & perfectò dominio Dei, quod stat in potestate non solum producendi, & non producendi creaturam, sed etiam in potestate illam destruendi, & non destruendi.

Creatura immutabilis participaret æternitatem Dei.

61. Tertio, rem ita primò existere, vt non potuerit non existere, dicit ens necessarium, & esse à se: ergo rem ita durare, vt non possit non durare, dicit ens necessarium, & esse à se: creaturæ autem implicat esse ens necessarium, & à se: ergo & essentialiter durare: Negabis consequentiam, quia essentialiter durare ex suppositione existentia, supponit contingentem in existentia, quia potuit non produci: non potuisse autem non existere, nullam dicit contingentiam, sed summam necessitatem existendi. Contra tamen, quia ens necessarium, non solum dicit indefectibilitatem in absoluta existentia, sed etiam in duratione: ergo, sicut ens indefectibile in absoluta existentia componi non potest cum defectibilitate in duratione, ita ens indefectibile in duratione componi non poterit cum defectibilitate in absoluta existentia: ergo vtraque indefectibilitas arguet ens necessarium.

426 Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.

Vnde repu-
gnet com-
poni immu-
tabilitas cū
ente ab alio:

62. Mitto alias aliorum rationes, quia efficaces non sunt, & facilem haberent solutionem, nisi vnanimis Patrum, & Doctorum consensus in contrarium conspirasset. Hoc vnū moneo, in sententia quā insequimur, concedendum esse, posse creaturam, dempto esse à se, cuncta Dei attributa participare; cur enim poterit immutabilitas in duratione coniungi cum ente ab alio, & non poterit necessitas in prima existentia, aternitas, aut immensitas, cum illo componi: vel ergo omnes limitari poterunt à differentia entis ab alio, vel nulla. Quæ autem hīc obijci possent de cognitione supernaturali representante se ab aeterno in aeternum duraturam, supra iam soluta sunt.

Creatura
physicè im-
mutabilis
repugnat.

63. Affero secundo implicare creaturam physicè immutabilem, id est, quæ suppositā existentia, nullam possit subire mutationem. Probatur primò, quia nulla est possibilis creatura substantialis, vel accidentalis, quæ non possit à Deo saltem successiue pluribus actionibus produci, & conseruari: ergo nulla creatura erit possibilis, quæ supposita existentia, non possit modò vna, modò altera actione conseruari à Deo: ergo ea actionum vicissitudine omnis creatura poterit physicam subire mutationem, vnde nulla erit immutabilis.

Sive corpo-
rea sit sive
spiritualis,
aut mixta.

64. Secundo, quia creatura physicè immutabilis, vel esse corporea, vel spiritualis, aut mixta, ex corpore, & spiritu: nulla ex his potest esse physicè immutabilis: ergo, &c. Minor probatur, quia substantia corporea, vel spiritualis nulla est possibilis, quæ non possit actiones, & subsistentias variare, & quæ non possit aliena subsistentia, terminari, quæ sine physica mutatione contingere non possunt. Insuper nulla est substantia possibilis, saltem rationalis, quæ non possit à Deo assumi, & quæ non possit localiter moueri, & nouas acquirere presentias: motus autem localis, & presentia, quamuis de facto nihil sint, mobili intrinsecè superadditum, potest tamen esse: ergo nulla erit substantia, quæ non possit physicam pati mutationem. Idem patet in creatura rationali, quæ in pura natura non haberet perfectio

Disp. XI. *Immutabilitas Dei.* Sect. V. 427

perfectionem ordinis gratiæ, ad quam eleuari potest, & donorum infusione physicè mutari.

65. Tertiò, quia immutabilitas physica Dei contingit, eo quod Deus habeat omnes suas perfectiones per realem identitatem cum ipso, & aliæ æquivalentes impossibiles sint, creatura autem continere nequit accidentia, & operationes, per realem identitatem cum ipsa; nec assignari potest implicantia, cur aliæ operationes, & accidentia, æquivalentia, & solo numero distincta possibilia non sint: ergo impossibile erit creaturam ita habere sua accidentia, & operationes, vt non possit Deus, loco earum, alia accidentia, & operationes subrogare, & creaturam physicè mutare.

Radix immutabilitatis diuinæ declarata.

66. Assero tertiò, creaturam moraliter immutabilem, quæ scilicet à proposito semel assumpto desistere non possit, impossibilem esse; probant aliqui, quia immutabilitas moralis sequitur immutabilitatem entitatiuam, siue in existentia: ergo & mutabilitas moralis sequitur mutabilitatem entitatiuam, siue in existentia: impossibilem autem est creaturam entitatiuè immutabilis: ergo & moraliter. Firmant, quia ex eo inferunt Patres, creaturam impeccabilem impossibilem esse, quia indefectibilitas à regula rationis, sequitur indefectibilitatem in essendo, ergo etiam immutabilitas in proposito sequitur immutabilitatem in essendo. Hæc ratio firma est, si antecedens verum sit, quia tamen Doctores aliqui illud non admittunt, existimantes possibilem esse creaturam impeccabilem, de quo nos tract. de visione.

Pariter quoque impossibilem creaturam moraliter immutabilis.

67. Probatur conclusio, implicat creatura entitatiuè immutabilis, quæ scilicet semel existens destrui non possit: ergo implicat propositum, quod semel existens destrui non possit: ergo & implicat creatura immutabilis à proposito semel assumpto. Antecedens in superioribus ostensum est. Prima consequentia cum sit pars inclusa in antecedenti legitima est. Secunda probatur, quia vt sit possibilis creatura immutabilis à proposito, vel debet esse possibile propositum immutabile, quod scilicet, semel existens destrui non possit,

Implicat propositum, quod semel existens destrui non possit.

& hoc est impossibile, vel debet esse possibilis creatura exigens essentialiter propositum semel assumptum ita secum durare, vt destrui non possit: id etiam implicat: ergo, &c. Minor probatur. Tum quia tanta perfectio est exigere essentialiter immutabilitatem propositi semel assumpti, quam ipsum propositum immutabile esse: propositum autem immutabile esse, est perfectio propria Dei, & omnem superans creaturam: ergo, & exigere. Tum etiam, quia similis exigentia æque derogaret dominio Dei, immutabilitas propositi, nam posita creatura non posset Deus impedire propositum, imò nec ipsa creatura, vnde libera non esset in proposito assumpto conseruando.

68. Confirmatur, necessitas durationis in existentia arguit perfectionem simpliciter infinitam, & minimè compossibilem cum ente ab alio: ergo necessitas durationis in proposito arguet perfectionem simpliciter, & nullatenus compossibilem cum ente ab alio: vnde enim, seorsim ab aliis diuinis perfectionibus, & attributis, infinitas diuinæ constantiæ colligi potest, nisi ex immutabilitate propositi semel assumpti: ergo impossibile erit creaturam esse immutabilem à proposito, cum impossibilis sit constantia creata simpliciter infinita.

Obiectio
sumpta à cognitione superna, eiusque veritate.

69. Obijcies, non implicat veritas exigens essentialiter durare obiectum, quandiu ipsa durat: ergo neque implicabit creatura exigens essentialiter propositum semel assumptum durare, quandiu ipsa durat. Antecedens est certum, nam cognitio supernaturalis representans Petrum existere, quandiu ipsa durat, exigit essentialiter esse veram, cum nec diuinitus possit esse falsa: ergo exigit essentialiter Petrum durare, quandiu ipsa durat. Etenim si vno instanti esset cognitio illa, & non duraret Petrus, cognitio supernaturalis esset falsa. Idem argumentum fieri potest de vnione exigente essentialiter durare extrema, quandiu ipsa durat; & aliis modis pendentibus essentialiter ab exigentia terminorum. Hæc tamen ratio nimis probat si paritas ab accidentibus ad naturas substantiales solida esset, nam sicut possibiles sunt actus supernaturales intellectus

tellectus indefectibiles à veritate , & actus supernaturales voluntatis indefectibiles à bono , ita esset possibilis substantia supernaturalis indefectibilis , à bono , & vero.

70. Ratio ergo disparitatis est , quia immutabilitas actuum in ordine ad obiecta , non arguit infinitam perfectionem , imò finitam , eo quod sint limitati obiecti representationes : immutabilitas autem in proposito arguit naturam rationalem adeò perfectam , vt ex infinita motiuorum omnium comprehensione , ita perfectè eligat , vt ex nullo capite ad oppositum deinceps eligendum seriò , & prudenter moueri possit ; imò tantam arguit electio perfectionem , vt citra leuitatem ab assumpto proposito recedere non liceat , tantam autem motiuorum comprehensionem & constantiam illi conformem , dicimus arguere perfectionem infinitam , quod nullatenus militat in accidentibus , aut modis , qui à se ipsis limitati sunt , & vicissitudini suorum terminorum expositi.

Disparitas inter immutabilitatem, & cognitionis supernæ veritatem.



DISPUTATIO XII.

Expenduntur cætera alia attributa Dei.

I. **N**IL in hac disputatione dabimus de incomprehensibilitate Dei inter Dei attributa numerari solita , fusius id in tract. 2. de visione disput. 19 tradituri.

Cætera alia attributa transcendentia librabuntur , videlicet , perfectio diuina , eiusque infinitas , vnitas , & simplicitas Dei , eius immortalitas , & ineffabilitas , & actus denique purissimus , quibus expositis tractatus hic primus de essentia , & attributis Dei consummabitur.

S E C T I O I.

De perfectione Dei eiusque infinitate?

Quid sit ens 2.
perfectum.

ENS perfectum teste Aristotele de Cælo cap. 4. & 5. Metaphy. cap. 16. textu 21. est, quod continet integritatem prædicatorum, & cui nihil deest eorum, quæ ipsius connaturali statui debita sunt; sicut imperfectum est, id, cui deest, vel integritas prædicatorum, vel aliquod eorum, quæ connaturali illius statui debita sunt, quæ ratione cæci, & claudi dicuntur imperfecti; Deum autem esse ens perfectum non disputo, sed suppono ex innumeris Scripturarum & Patrum testimoniis, & ratione naturali id suadentibus.

Perfectio di-
uina duplex.

3. Perfectio diuina est duplex, altera simpliciter simplex, quæ teste Anselmo in Monologio cap. 14. Melior est ipsa, quàm non ipsa; altera non simpliciter simplex, quæ scilicet non est melior ipsa, quàm non ipsa, quamuis autem vnanimis concordent Doctores omnes in admittenda definitione illa perfectionis simplicis simpliciter, in illius tamen intelligentia diuisi sunt. Nam Vasquez ita explicat, quæ in quolibet; id est, in quacunque natura, melior est ipsa, quàm non ipsa, non verò in quolibet supposito. Molina verò quæst. 4. artic. 1. disput. 2. cuius ratio formalis nullam imperfectionem importat. Soarius, & communior Doctorem, quæ in quolibet indiuiduo entis, melior est ipsa, quàm non ipsa, id est, quàm altera opposita illi, si per impossibile in eo esse posset, vt addit Arriaga disputat. 49. sect. 3. subsect. 4.

Quid sit per-
fectio sim-
pliciter sim-
plex.

4. Censeo perfectionem simpliciter simplicem esse illam, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa; id est, cuius defectus per nullam aliam perfectionem compensabilis est, quod amplius declarabitur infra, dum ostendemus, relationes diuinas esse perfectiones simpliciter simplices.

5. Affero

5. Affero primò, Deum, secundum omnes perfectiones absolutas, continere rationē perfectionis simpliciter simplicis. Omnes perfectiones absolutæ sūt simpliciter simplices. Probat, quia nulla est perfectio absoluta necessaria, quæ non sit simpliciter simplex, & melior ipsa, quàm non ipsa: ergo nulla est, quæ non sit melior ipsa, quàm non ipsa. Confirmatur nam perfectio simpliciter simplex concedenda est Deo; semel autem concessa, nulli perfectioni absolutæ necessariæ negari potest: ergo.

6. Affero secundo, quamlibet relationem diuinam esse perfectionem simpliciter simplicem. Qualibet relatio diuina est perfectio simpliciter simplex. Probat, quia melior est ipsa, quàm non ipsa, id est, cuius defectus per nullam aliam perfectionem compensabilis est: defectus autem cuiusvis relationis per nullam aliam perfectionem compensabilis est: ergo quælibet relatio erit perfectio simpliciter simplex. Probat minor quia defectus Paternitatis, siue non esse illius, per nullam perfectionem creatam compensari potest, vt est certum; neque potest per diuinam compensari: ergo per nullam. Antecedens quoad secundam partem probatur, quia defectus Paternitatis diuinæ, siue non dari Paternitatem in Deo, compensari non potest per essentiam, neque per aliam relationem, cum neque per essentiam, neque per relationem filiationis, aut spirationis, vacuitas Paternitatis completeretur, imò maneret semper Deus cum defectu Paternitatis, quin loco istius subrogaretur aliquid æquiualens, cum quo æquè benè Deus se haberet, ac cum Paternitate: ergo Paternitas est perfectio, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa; idem est, de filiatione, & spiratione, tam actiua, quàm passiua.

7. Dices, ad perfectionem simpliciter simplicem non sat esse, quod illius defectus in Deo non possit compensari per aliam perfectionem, sed vltius opus est, quod in nullo subjecto talis defectus compensari posset: defectus autem paternitatis in humanitate Christi perfectissimè compensatur per filiationem, quia persona diuina tam perfecta est, quàm esset cum personalitate Patris terminante naturam humanam.

8. Contra, quia defectus ille Paternitatis in humanitæ Christi

Præcedens
responsio
ostenditur
insufficiens.

Christi non esset defectus simpliciter Paternitatis, sed vnionis illius cum humanitate, eò enim quod Paternitas non terminet humanitatem, sequitur dari carentiam, siue defectum vnionis illius cum humanitate, non verò fit dari carentiam Paternitatis, siue non dari Paternitatem in rerum natura, quæ sola carentia est defectus simpliciter Paternitatis. Ad perfectionem autem simpliciter simplicem satis est, & necesse, quòd defectus simpliciter illius per nullam aliam suppleri, aut compensari possit, hoc enim ipso melior est ipsa, quàm non ipsa; defectus autem simpliciter cuiusuis relationis per nullam perfectionem, siue creatam, siue increatam compensari potest: ergo qualibet erit perfectio simpliciter simplex. Minor est certa, si modo enim per impossibile destrueretur Paternitas diuina, quid conducere posset ad hunc defectum compensandum vnio filiationis cum natura humana; hæc enim sufficiens tantum est ad compensandum defectum vnionis Paternitatis cum humanitate.

Nullus actus
liber est per-
fectio sim-
pliciter sim-
plex.

9. Assero tertio, nullum actum liberum diuinum esse perfectionem simpliciter simplicem. Ratio est, quia nullus est actus liber, cuius defectus simpliciter per alium actum liberum oppositum, æqualis bonitatis, & perfectionis, compensari non possit; nam cum in Deo possibilis non sit pura omissio, vt ostendi disp. 9. de voluntate, si Deus noluiisset creare mundum, habuisset nolitionem positiuam creandi illum, tantæ bonitatis, & perfectionis, quam sit de facto volitio creandi: ergo defectus istius compensatus esset per nolitionem positiuam, sicut de facto per volitionem defectus nolitionis compensatus est.

Perfectio in-
finita, quid
& quotu-
plex.

10. Perfectio infinita communiter explicari solet, quæ termino & limite caret. Duplex est, altera substantialis, & secundum essentiam, altera accidentalis, qualis est infinitas intentionis, numeri, & extensionis; in præsentis sermo non est de perfectione infinita accidentali; nam cum Deus sit substantia, pugnat cum illo infinitas intentionis, vtpotè propria qualitatis; cum sit vnus, & simplex pugnat infinitas in numero, & extensione. Tota ergo controuersia ver-
titur

Disp. XII. *Cetera alia Attrib. Dei. Sect. I.* 433

tur de perfectione infinita substantiali, & per essentiam.

11. Affero quartò, de fide esse, Deum esse ens simpliciter infinitè perfectum. Probatum nam Psal. 144. ait David. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*; quæ verba referri non possunt ad magnitudinem molis, aut quantitatis, cum Deus sit spiritus; nec ad magnitudinem intentionis, cum sit substantia. Nec ad magnitudinem numeri, cum sit vnicus: ergo referenda sunt ad magnitudinem perfectionis substantialis. Suffragantur Patres, vnus pro omnibus August. lib. de speculo cap. 33. *Sicut corde credo ad iustitiam, ita ore confiteor ad salutem, te vnum Deum in magnitudine infinitum.*

Deus simpliciter infinitè perfectus de fide.

Eadem veritas ratione naturali cõstans.

12. Affero quintò, ratione naturali conuinci, Deum esse ens simpliciter infinitè perfectum. Tum quia Deus est ens omnium perfectissimum absque imperfectione: perfectio autem finita absque imperfectione non est: ergo, &c. Tum etiam quia si Deus esset ens simpliciter finitum, nulla ratio esset cur possibilis non esset aliqua maior perfectio, cum possibilis non sit perfectio finita, quæ ab altera maiori superari non possit: ergo Deus non esset ens omnium perfectissimum, si finitus esset. Tum præterea, quia ens simpliciter infinitè perfectum chymera non est, cum hæc plena sit imperfectionibus: ergo Deus simpliciter infinitè perfectus est. Tum denique, quia ens à se à nullo valet, quoad perfectionem limitari: ergo erit simpliciter infinitè perfectum.

13. Obijcies, si Deus esset ens simpliciter infinitè perfectum, nullum ens esset possibile extra Deum, & consequenter neque creatura: id falsum est: ergo, &c. Sequela probatur, quia ens simpliciter infinitè perfectum continere debet omnem perfectionem possibilem: ergo extra illud nulla erit possibilis perfectio. *Respondeo* negans sequelam; ad eius probationem distinguo antecedens, debet continere omnem perfectionem sine imperfectione, concedo; cum imperfectione admixtam, qualis est perfectio creaturæ; subdistinguo; debet continere formaliter nego, eminenter concedo, & nego consequentiam; quia eminentialis continentia non impedit possibilitatem effectus.

434 *Tract. I. De Essentia & Attributis Dei.*

Solus Deus est ens simpliciter infinite perfectum.

14. Affero sexto, solum Deum esse ens simpliciter infinite perfectum. Ita Doctores omnes cum S. Thoma qu. 7. art. 2. Probatur primò, quia id, quo Deus superat creaturam, nequit esse ratio conueniendi cum illa: Deus autem superat creaturam in conceptu entis simpliciter infiniti: ergo huiusmodi conceptus nequit esse ratio conueniendi cum creatura. *Secundo*, quia omnis creatura titulo entis ab alio euadit finita, & limitata: ergo Deus titulo entis à se simpliciter infinitus, & illimitatus erit: huiusmodi autem titulus entis à se repugnat creaturæ: ergo & esse ens simpliciter infinite perfectum.

Singulæ perfectiones diuinæ simpliciter infinite sunt in sua linea.

15. Affero septimò, omnes, & singulas perfectiones diuinæ, esse formaliter simpliciter infinite, vnamquamque in sua linea probatur, quia vt singulæ diuinæ perfectiones sint formaliter simpliciter infinite, opus est, & sufficiens, quod vnaquæque contineat omnem perfectionem suæ lineæ absque limite: ita se habent omnes, & singulæ perfectiones diuinæ, vt expendenti sit manifestum: ergo, &c.

Essentia vera in omni genere, & quomodo?

16. Affero vltimò, essentiam diuinam esse simpliciter infinitam in omni genere. Probatur quia ens simpliciter infinitum in omni genere est aliud, quod continet formaliter omnem perfectionem sui generis, & eminenter, cæteras omnes perfectiones; talis autem est essentia diuina cum contineat formaliter omnem perfectionem generis intellectiui, & aliunde sit prima radix, fons, & origo cæterarum, vt constat ex dictis de constitutio metaphysico Dei: ergo erit ens simpliciter infinite perfectum in omni genere, nisi quidditas entis simpliciter infiniti in omni genere ad nouas, & inusitatas voces deflectatur. An autem omnes diuinæ perfectiones sint formaliter æquales inter se, diximus iam tract. de Trinitate disp. 12. sect. 8. æquales non esse, videas ibi dicta.

S E C T I O II.

De unitate, & simplicitate Dei.

17. **V**Nitas, & simplicitas parum inter se distare videntur; quia unitatē res opponitur multiplicitati, simplicitate verò compositioni, quæ nihil est à multiplicitate diuersum; nihilominus tamen, quod proprium est vniuscuiusque, hac sect. disponemus.

Vnitas, & simplicitas inter se quid differant?

18. De unitate Dei, quatenus opposita pluralitati deorum satis egimus disp. 2. nunc controuersia nobis est de unitate quatenus opposita distinctioni. Cum enim vnitas sit, indiuisio in se, id est indistinctio intra propria prædicata, dicit exclusionem distinctionis, & oppositionem cum illa. Quærimus ergo cui distinctioni opponatur indiuisio diuina, & vt certa ab incertis diuidamus. Suppono ex fide, unitatem Dei non opponi distinctioni reali personarum inter se, quia tres personæ inter se realiter distinctæ vnice Deitati reali identitate coniunctæ sunt. Suppono secundò similiter, distinctionem realem omnino repugnare intra naturam diuinam, & intra perfectiones absolutas necessarias, tam inter se, quàm cum natura diuina comparatas. Suppono tertio, similem distinctionem pariter implicare inter absoluta & relatiua, quia realiter sunt omnino idem.

19. Difficultas ergo libranda restat, circa distinctionē virtualem, obiectiuam, & formalem ex natura rei, tam inter diuinas perfectiones absolutas, quàm inter absolutas, & relatiuas. *Prima* sententia docet unitatem Dei non opponi distinctioni formali ex natura rei, ita Scotorum numerosa familia: *Secunda* sententia, reiecta distinctione ex natura rei, existimat unitatem Dei soli opponi distinctioni reali, & ex natura rei, non verò virtuali, & obiectiuæ. *Tertia* sententia asserit ex diuinis perfectionibus absolutis solam

Sententiæ Doctorum circa unitatem Dei.

intellectionem, & volitionem distingui virtualiter, & obiectiuè inter se, & vtramque à relatiuis, ita Arriaga, & plures cum ipso. *Quarta* sententia tantum admittit distinctionem virtuales inter absoluta, & relatiua; & negat inter ipsa distinctionem obiectiuam; ita aliqui Recentiores.

Vnitas diuina non excludit distinctionem virtuales inter absoluta.

20. Affero primò, inter diuinas perfectiones absolutas intercedere distinctionem virtuales, atque adeo vnitas diuina non opponitur simili distinctioni. Hæc conclusio constat ex dictis, toto hoc tractatu, vbi ostendimus intellectionem, intellectiuum, volitionem, &c. distingui virtualiter inter se.

Neque inter absoluta, & relatiua.

21. Affero secundò, omnia absoluta distingui virtualiter à relatiuis, vnde vnitas diuina non opponitur simili distinctioni: Hæc conclusio communis est, & probatur, quia distingui virtualiter absoluta à relatiuis, aliud non est quàm componere prædicata realiter contradictoria, absoluta autem & relatiua id præstant: ergo & virtualiter distinguuntur. Minor probatur, quia nihil absolutum producit realiter, cum tamen filiatio & spiratio passiuæ realiter producantur. Insuper omnia absoluta, communia sunt omnibus personis, nulla autem relatio, communis ita est. Denique omnia relatiua identificantur vni tertio singulari, nempe Deitati, & tamen non omnia identificantur realiter inter se, quæ omnia sine dubio sunt prædicata contradictoria.

Complexus sit compositio?

22. Circa simplicitatem diuinam, & cui compositioni opponatur. Compositio est duplex, vna realis, altera rationis. Realis est vnio physica necens extrema realiter distincta; an autem extrema debeant esse subiectum, & forma; siue actus, & potentia; vel sufficiant quælibet inter se distincta, quæstio est de solo nomine, cum tamen constans sit Christum non esse ens simplex, sed compositum, quamuis substantia verbi non sit forma, neque subiectum; iudico sufficere ad compositionem realem vnionem physicam distinctorum, quæcumque illa sint. Compositio rationis stat in identitate reali perfectionum ratione tantum distinctarum,

atarum, quæ si distinguantur virtualiter, seu obiectiue, compositio erit virtualis, seu obiectiua, si verò nostro tantum modo concipiendi distinguantur, etiam compositio erit ex modo concipiendi.

23. Affero tertio, simplicitatem diuinam non opponi compositioni rationis. Probatur quia vbi datur distinctio rationis datur similis compositio: in Deo autem datur distinctio rationis, non tantum ex modo concipiendi, sed etiam virtualis, vt constat ex dictis: ergo & compositio rationis non solum ex modo concipiendi, sed etiam virtualis.

Simplicitas diuina non opponitur compositioni rationis.

24. Affero quarto, simplicitatem diuinam opponi compositioni reali. Conclusio est certissima, quia Deus est simplex, & statuitur in Lateranensi sub Inocentio III. & habetur cap. *firmiter* de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi decernitur Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino; si autem Deus non opponeretur compositioni reali, non esset simplex sed compositus: ergo. Confirmatur, quia minor perfectio, perfectissimo enti, qualis est Deus, concedenda est: maior autem perfectio est simplicitas opposita compositioni reali, quam ipsa compositio, imò ista plena est imperfectionibus, quò enim res est magis composita, eò est imperfectior: ergo Deo concedenda est simplicitas opposita compositioni reali.

Simplicitas diuina opponitur compositioni reali.

25. Dices etiam esse maiorem perfectionem simplicitatem rationis: ergo & Deo concedenda. Respondeo negans antecedens, quia id derogaret naturæ diuinæ, quæ perfectior est, si contineat eminenter attributa, & relationes, quam si non contineat; similis autem continentia stare non potest absque distinctione rationis, & consequenter neque absque simili compositione.

26. Simplicitas ergo diuina consistit, in identitate reali diuinarum omnium perfectionum cum Deo, vt reddente essentialiter impossibilem omnem realem compositionem inter ipsas. Dixi inter ipsas, quia perfectionibus diuinis non repugnat physica vnio cum creaturis, vt certum red-

In quo fit simplicitas diuina.

dit Incarnationis mysterium, in quo personalitas verbi est physicè, & immediatè vnita humanitati, & natura diuina mediatè. Circa vnitatem verò vniuscuiusque perfectionis, v. g. omnipotentix, essentix, volitionis, &c. eodem pacto, ac de indistinctæ philosophandum est, nam eo modo, quo indistinctæ fuerint intra se, erunt similiter simplices, cum compositò tota innitatur distinctiōe.

SECTIO III.

De immortalitate, & ineffabilitate Dei.

Deus est
immortalis.

27. **D**Eum esse immortalem testatur Paulus prima ad Timotheum 1. *Regi seculorum immortalis, & inuisibili.* Immortale prout in præsentī non tantum opponitur morti consistenti in solutione vnionis, quo pacto homines dicuntur mortales, nam hac ratione etiam Angeli immortales sunt, cum indiuisibiles sint, & consequenter incapaces mortis consistentis in solutione vnionis. Immortale ergo dicitur, cuius vita ita perpetua est, vt nulli defectibilitati sit exposita.

In quo consistat immortalitas Dei?

28. Assero primò, immortalitatem Dei consistere, in vita simpliciter necessaria, & indefectibili. Probat, quia immortale est, cuius vita ita est perpetua, vt deficere non possit: ergo immortalitas consistit in vita indefectibili, quæ scilicet, non potuerit non esse; nec ex suppositione quod sit, deficere. Vnde cum vita simpliciter necessaria, & indefectibilis sit proposita Dei, nulli poterit creaturæ competere.

29. Circa ineffabilitatem, siue inenarrabilitatem. Aduertè, ineffabile dici illud de quo non est facultas, seu potentia fandi, vel loquendi. Dupliciter aliquid potest esse ineffabile. Primò, quia dignè, & plenè explicari non potest. Secundò, quia simpliciter, & absolutè de illo loqui, seu fari non possumus.

30. Assero

30. Affero secundò, Deum primo modo esse creaturis ineffabilem, hæc est communis Patrum sententia. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. *Cum igitur tantus sit Deus, imò longè maior, nec enim, si me totum in linguam mutauero satis digne magnitudinem eius eloqui potero, imò verò si omnes Angeli conuenerint, ita ut æquum est, id eloqui non poterunt.* Similia habent Leo Papa sermone secundo de passione Domini. Hilarius lib. 4. de Trinitate. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum. Augustinus Epist. 42. ad Madaurenses, & lib. 7. de Trinitate c. 4. & ratio est, quia Deus est bonum simpliciter infinitum; quodlibet autem creaturæ eloquium finitum est, & limitatum, ideoque dignè, & plenè magnitudinem Dei reuelare non potest. Inde colliges nullam creaturam esse hoc pacto ineffabilem, quia nulla est, quæ ab alia perfectiori, vel æquali, dignè, & plenè explicari non possit, saltem de absoluta potentia.

Deus quo pacto ineffabilis?

31. Affero tertio, Deum non esse creaturis ineffabilem imperfecto modo, & confuso. Hanc conclusionem acutè, & eleganter probat Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 6. *Ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur, & fit, nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest; non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest; quæ pugna verborum silentio cauenda potius, quàm voce patanda est, & tamen Deus cum de illo nihil dignè dici possit, admisit humana vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit, nam inde est quod dicitur Deus.* Hæc Augustinus, quibus planè totâ nostram sententiam comprehendit de ineffabilitate diuina.

SECTIO IV.

De actus purissimo.

32. **A**ctus purissimus dicitur ille, qui omnem potentialitatem imperfectionibus admixtam excludit.

Potentialitas quorūplex.

dit. Potentialitas est duplex vna realis formalis, altera virtualis, seu per rationem. Quælibet earum in triplicem subdiuiditur. Prima est obiectiua, quæ stat in potentia existendi, & non existendi, quæ si sit potentia existendi, & non existendi realiter, erit potentialitas realis, si verò virtualiter virtualis. Secunda est passiuæ, quæ stat in potentia receptiuæ alicuius formæ. Tertia actiuæ, quæ stat in potentia productiuæ; quæ si sint potentiæ ad recipiendum, vel producendum realiter formaliter, erunt potentialitates reales; si verò virtualiter, virtuales.

Repugnat Deo potentialitas obiectiua, & passiuæ realis formalis.

33. Affero primò, repugnare Deo potentialitatem obiectiuam, & passiuam realem formalem. Probatur, quia Deo, vtpotè enti simpliciter necessario, repugnat non existere, & recipere formam, cuius receptione physicam, & intrinsecam mutationem pateretur: ergo implicat potentialitas obiectiua, quæ stat in potentia existendi, & non existendi realiter, & passiuæ quæ stat in potentia recipiendi formam distinctam.

Non verò actiuæ.

44. Affero secundò, non repugnare actui purissimo potentialitatem realem actiuam. Conclusio est certa, quia Deus, vtpotè omnipotens, habet potentiam omnium creaturarum realiter productiuam.

Quo pacto repugnet Deo potentialitas obiectiua virtualis?

35. Affero tertio, repugnare Deo potentialitatem obiectiuam etiam virtualem, saltem in ordine ad perfectiones necessarias. Ratio est, quia cum sit ens simpliciter necessarium non potuit, adhuc virtualiter, non existere; respectu autem perfectionum liberarum, cum absolute potuerint non esse, nec Deo repugnabit potentialitas obiectiua virtualis respectu earum.

Actiuæ virtualis non repugnat.

36. Affero quartò, actui purissimo non repugnare potentialitatem actiuam, quia vt constat ex dictis, essentia diuina continet attributa instar principij virtualiter productiuæ, & etiam actus liberos: ergo non repugnat actui purissimo potentialitas virtualis actiuæ. Si verò potentialitas passiuæ virtualis solum addat actiuæ permanentiam termini in principio per realem identitatem cum illo, in quo quæstio posset esse de voce, neque repugnabit potentialitatem

Disp. XII. *Cætera alia Attrib. Dei. Sect. V.* 441
potentialitas passiva virtualis, cum attributa, & actus
liberi ita maneant in suo principio virtuali, scilicet
essentia.

S E C T I O V.

*An attributa transcendentia multiplicentur in
singulis perfectionibus diuinis tam abso-
lutis quàm relatiuis?*

37. **D**ifficultas est, an singulis perfectionibus, & per-
sonis diuinis, sicut vnica est tantum Deitas, &
omnipotentia omnibus communis, per quas, omnes sunt
vnus Deus, & vnus omnipotens; ita sit vnica tan-
tum immensitas, qua omnes sint vnus immensus, vna
tantum æternitas, qua sint vnus æternus, vna esseitas
à se, qua sint vnum ens à se, vna necessitas existendi,
qua sint vnum ens necessarium, vna immutabilitas,
qua sint vnum immutabile, & sic de cæteris. Vel, an
ea attributa multiplicia sint, pro diuersitate diuinarum
perfectionum, ita vt quælibet perfectio tam absolu-
ta, quàm relatiua, vt distincta ab essentia suam ha-
beat æternitatem propriam, & distinctam ab æterni-
tate essentiæ, suam immensitatem similiter propriam,
suam essentiam à se, necessitatem existendi, immutabi-
litatem, &c.

Punctum cõ-
trouersie de-
claratum.

38. Pars affirmans, attributa transcendentia multipli-
cari in singulis perfectionibus diuinis communis est in-
ter Recentiores. Mihi tamen in vniuersum placet ea
regula generalis, multiplicanda esse illa attributa trans-
cendentia, quorum multiplicitas euitabilis non est, &
non multiplicanda illa, quarum multiplicitas vitari pos-
sit, ex ea regula generali, quia vnitas, & simplicitas,
si sit possibilis, maior est perfectio, quàm multiplicitas,

Regula pro
multiplicita-
te diuinarum
perfectionũ.

442 Tra&t.I. De *Essentia & Attributis Dei.*

vnde distinctio non admittitur, vbi vitari potest. Quænam autem multiplicitas euitabilis sit, quænam autem ineuitabilis, vix potest generalis regula præfigi, sed id ex singulis perfectionibus, & attributis eruendum est. Vnde in hac parte paritas ab vno attributo ad alterum nulla est, nisi deuoluatur ad euitabilitatem, & ineuitabilitatem multiplicatis.

Existencia
multiplica-
tur in singu-
lis perfe-
ctionibus di-
uinis etiam
relatiuis.

39. Affero primò, existentiam multiplicari in singulis perfectionibus diuinis, tam absolutis, quàm relatiuis. Ratio est quia productio terminatur ad existentiam sui termini, & supponit existentiam principij, idque ineuitabile est: inter essentiam autem, & attributa tam absoluta, quàm relatiua, stat productio virtualis: ergo & existentia essentia quam supponit, cum prius sit esse, quàm operari, & existentia attributorum, & relationum, quæ non supponitur, sed inferatur per eam productionem: huiusmodi autem existentia distincta sunt; cum vna inferatur, & non supponatur, alia verò supponatur, & non inferatur per productionem virtualem: ergo.

40. Confirmatur primò. Nam relationes diuinæ vt ab essentia distincta habent proprio constitutiuo relatiua: ergo & proprias existentias, cum existentia indistincta sit à constitutiuo rei, & sit ipsum esse rei. *Secundò*, quia productio realis in diuinis terminatur ad existentiam termini producti, & supponit existentiam principij: principium autem *quod* est sola ratio personæ producentis, vt ostendi de Trinitate, terminus autem sola relatio personæ productæ, cum nihil absolutum possit realiter produci: ergo existentia vtriusque relationis distincta erit, cum vna supponatur ad productionem, & non inferatur, altera verò inferatur, & non supponatur.

Idem, quod
de existen-
tia, dicen-
dum de per-
fectione di-
uina.

41. Idem quod de existentia, dicendum est de perfectione diuina. Quodlibet enim attributum, & relatio, propriam habet perfectionem, cum proprium habeat constitutiuum, & prædicata sibi conuenientia, in quo

Disp. XII. *Cetera alia Attrib. Dei.* Sect. V. 443

quo stat perfectio : relationes autem vt ab essentia distinctæ sunt plures : ergo & plures perfectiones. Confirmatur, vel perfectio quæ est in paternitate, vt distincta ab essentia & ab omni absoluto, est eadem in filiatione, vel non ? si non est eadem ; ergo diuersa. Si est eadem : ergo Paternitas, & Filiatio, & omnis relatio diuina identificantur realiter cum perfectione vnica omnibus communi. Quod est in solis relationibus nouum Trinitatis erigere mysterium. Quæ omnia fufius prosequuti sumus disputatio. 12. de Trinitate, sectio. 7.

42. Affero secundo, esseitatem à se prout opponitur enti ab alio, & necessitatem existendi, non multiplicari in singulis perfectionibus diuinis, siue absolutis, siue relatiuis. Ratio est, quia huiusmodi multiplicitas vitari potest, si dicatur, omnia attributa, & relationes esse entia à se, & necessariò existere, per esseitatem à se essentia, eiusque necessitatem existendi. Aliud enim est, attributa, & relationes, esse entia à se, & necessariò existere, aliud verò, esse necessitatem existendi, & esseitatem à se ; sicut aliud est, essentiam esse omnipotentem, & aliud esse omnipotentiam ; & in creatis aliud est, Petrum esse album, aliud verò esse albedinem. Sicut ergo Deus est formaliter omnipotens, quin sit formaliter omnipotentia, & Petrus est realiter albus, quin sit realiter albedo ; ita attributa, & relationes poterunt esse formaliter ens à se, & necessariò existens, quin sint formaliter esseitas à se, aut necessitas existendi, sed ad id sat erit, esse ipsis applicatam esseitatem à se essentia, & necessitatem existendi ipsius.

Esseitas à se, & necessitas existendi non multiplicantur in singulis perfectionibus diuinis

43. Nec inde iacturam vllam patiuntur attributa, & relationes, eo quod propriis illis attributis transcendentibus spoliuntur ; sicut nec similem iacturam patiuntur, eo quod propriae ipsis Deitates, aut omnipotentia denegentur. Imò id privilegium esse solius essentia innuitur non leuiter in symbolo, vbi Pater, Filius, &

444 Tract. I. De *Essentia & Attributis Dei.*

Spiritus Sanctus, non tres increati, sed vnus increatus dicuntur: ergo vna erit omnium increatio, seu esseitas à se; sicut vnus Deus statuuntur ab vnica Deitate, & vnus omnipotens ab vna omnipotentia.

Immensitas,
& Aternitas non multiplicantur in singulis perfectionibus diuinis.

44. Idem iudico dicendum de immensitate & aternitate, scilicet, vnam esse omnium attributorum, & relationum identificatam formaliter essentia. Nam in symbolo sicut omnes personæ dicuntur vnus Deus, & vnus omnipotens, ita dicuntur vnus aternus, & vnus immensus; & sicut negantur plures Dij, & plures omnipotentes, vnde infertur vnica omnium Deitas, & vna omnipotentia; ita negantur plures aterni, & immensi, ergo vnica erit omnium aternitas, & immensitas. Si autem vnaquæque relatio suam propriam haberet aternitatem, & immensitatem, cum plures sint relationes, & essent plures essent earum aternitates, admittendi quoque plures aterni, saltem cum addito, scilicet relatiuè, quod videtur contra Symbolum, eodem modo negans plures aternos, quo negantur plures Dij, & plures omnipotentes, eo quod nec relatiuè sint plures Deitates, aut omnipotentia.

Bene verò infinitas.

45. Affero tertio, infinitatem diuinam multiplicari in singulis perfectionibus diuinis. Ratio est, quia vnaquæque in suo proprio genere, & vt distincta ab aliis, vendicat sibi infinitatem propriam, idque inuitabiliter. Nam infinitas essentia est continentia formalis omnis perfectionis generis intelligendi, quam non habent formaliter gradus volendi, nec producendi, sed aliam, videlicet, continentiam omnis perfectionis gradus volendi, & producendi. Similiter infinitas Paternitatis est continentia formalis omnis perfectionis. Paternitatis, quam non continet Filiatio, sed aliam videlicet filiationis. Et ratio omnium est, nam infinitas perfectionis substantialis est ipsamet perfectio substantialis, tanta, vt nulla illi desit, sicut infinitas Claritatis in cognitione est ipsamet representatio obiecti, & perspicacitas illius, tanta, vt nulla illi desit claritas possibilis.

bilis. Cum verò perfectiones diuinæ plures sint, & vnicuique nulla desit sui generis perfectio possibilis; inde earum infinitas multiplex est, & vna omnium esse non potest.

46. Ex hæcenus dictis facilè erit colligere, quid dicendum in aliis attributis transcendentibus. Hoc vnum hîc aduertas. Attributa transcendentia, non ideò talia dici, quia in vltimis differentiis imbibantur omnimoda identitate cum illis; sed quia eorum denominatio tribuitur omni perfectioni diuinæ, siue distinctæ, siue indistinctæ, siue absolutæ, siue relatiuæ; omnes enim sortiuntur denominationes attributorum transcendentium, vnde omnes sunt entia à se, existentes necessariò, immensæ, æternæ, &c. Et hoc pacto dicuntur ea attributa transcendentia, non verò quia in vltimis omnium perfectionum differentiis, omnimoda identitate cum illis, imbibita sint.

Quo pacto attributa propria esse dicantur transcendentia.

47. Obiicies primò, omnis diuina perfectio necessaria habet propriam repugnantiam, vt sit ab alio tanquam à causa; similiter vt sit merè possibilis, futura, aut præterita; pariter vt non sit omni tempore, & loco: ergo omnis diuina perfectio habet propriam esseitatem à se, necessitatem existendi, æternitatem, & immensitatem. Probaturs consequentia, nam repugnantia essendi ab alio tanquam à causa, se ipsa reddit impossibilem omnem sui causam, in quo stat esseitas à se, & repugnantia ad meram possibilitatem, futuritionem, & præteritionem, se ipsa reddit illas impossibiles, in quo stat necessitas existendi; & repugnantia non coëxistendi alicui loco, aut tempori, se ipsa est potentia coëxistendi omni loco, & tempori, in quo stat immensitas, & æternitas: ergo cum quælibet diuina perfectio habeat repugnantiam propriam ad ea omnia ratione suæ differentia, habebit etiam attributa illa transcendentia sibi propria.

Prima obiectio ex repugnantiâ diuinæ perfectionibus in genita.

48. Respondeo, omnem perfectionem diuinam necessariam habere quidem repugnantiam illam, non tamen immediatam, & ratione sui; hæc enim propria est so-

Ea repugnantia qualis in singulis perfectionibus residet.

lius essentiae, sed mediatam, & ratione essentiae, cui realiter identificantur omnes. Quod satis non est, ut multiplicentur in singulis perfectionibus diuinis ea attributa transcendentia; ad id enim ultra opus est, ut immediatè, & ratione sui redderent impossibilem omnem sui causam, meram possibilitatem, futuritionem, & præteritionem, &c. ad quod asserendum nulla cogit ineuitabilis necessitas, nec compellit ratio; sine qua multiplicitas diuinorum prædicatorum admittenda non est, iuxta superius dicta.

Secunda obiectio ex maiori attributorum perfectione soluta.

49. Obiicies secundò, maior est perfectio attributorum, & relationum, si formaliter, & ratione sui immediatam habeant repugnantiam, reddentem immediatè impossibilem omnem sui causam, futuritionem, meram possibilitatem, præteritionem, &c. quàm si id mediatè tantum habeant, ratione identitatis realis cum essentia; sicut ea immediata repugnantia maior est perfectio essentiae: constitutio autem diuinorum attributorum, & relationum maiori perfectione possibili, ineuitabile est: ergo. *Respondeo*, negans maiorem, maior enim est perfectio attributorum, & relationum simplicitas diuinorum prædicatorum, quàm multiplicitas, nisi hæc aliunde ineuitabilis, ut patet in simplicitate Deitatis, Omnipotentiae, &c. Cum autem multiplicitas eorum prædicatorum aliunde euitabilis sit, ut constat ex dictis, inde simplicitas eorum maior est attributorum relationumque perfectio, sicut simplicitas Deitatis, Omnipotentiae, &c.

Tertia obiectio à perfectione simpliciter infinita in suo genere desumpta.

50. Obiicies tertio, si aliquod attributum transcendens multiplicaretur in singulis perfectionibus diuinis, nulla istarum esset infinita simpliciter in ratione talis attributi, v. g. in ratione existentiae, infinitatis, &c. id falsum est: ergo nullum attributum transcendens multiplicari potest in singulis perfectionibus diuinis. Maior probatur, nam perfectio simpliciter infinita, in aliquo genere continere debet omnem perfectionem talis generis, ita ut extra se nullam aliam eiusdem generis patiatur, sic intellectio, omnipotentia, volitio, &c. simpliciter infinita.

infinita sunt, vnaquæque in suo genere, quia continet omnem sui generis perfectionem, quin extra se ullam aliam sui generis permittat: volitio autem, aut Paternitas non contineret infinitatem intellectionis, aut Filiationis: ergo simpliciter infinita non esset in ratione infinitatis. Idemque est de ratione existentia, & cuiusvis alterius prædicati, quod in singulis perfectionibus diuinis multiplicetur.

51. Nec satisfacies dicens, volitionem, Paternitatem, &c. esse simpliciter infinitas, tum in ratione propria infinitatis, scilicet volendi, quæ complectitur omnem volitionem, & Paternitatis quæ continet omnem illius perfectionem; tum etiam in ratione infinitatis vt sic, quia hæc complectitur omnem infinitatem, cum sit ratio præcisa ab omnibus. Non inquam satisfacies; nam hoc pacto etiam si darentur in Deo plures volitiones eiusdem rationis, & obiecti, plures similiter virtutes productiuae eiusdem effectus, plures essentia, aut Paternitates, &c. omnes eo fundamento defendi possent simpliciter infinitæ in ratione volitionis, virtutis productiuae, essentia, Paternitatis, &c. Nam vna volitio simpliciter infinita esset in ratione propria volitionis, cum contineret omnem perfectionem propriae differentia; & etiam in ratione volitionis vt sic, cum ista contineret omnem volitionem, vtpote ratio ab omnibus præcisa. Quod idem in cæteris aliis meditari licet.

Solutio aliquorum Recentium insufficientis.

52. Respondeo igitur, non esse de ratione perfectionis diuinæ, quod sit simpliciter infinita formaliter in omni genere sibi cum aliis communi, sed in proprio tantum. Sic Paternitas in ratione relationis non est simpliciter infinita formaliter, cum non sit formaliter omnis relatio; est autem simpliciter infinita formaliter in ratione Paternitatis, quia continet formaliter omnem perfectionem Paternitatis sine imperfectione. Quod idem dicendum est in casu ob-

Satisfacies obiecti, & infinitas simpliciter declaratur.

iectionis.

448 Tract. I. De *Essentia & Attributis Dei.*

iectionis ; videlicet , de ratione diuinæ volitionis non esse , quod simpliciter infinita sit formaliter in ratione existentiae , infinitatis , &c. sed tantum in proprio genere. Dixi *formaliter* , quia æquiuvalenter , saltem realiter , cum quodlibet prædicatum diuinum sit omnia prædicata , facile illius infinitas simpliciter , defendi potest. Et hæc satis de priori tractatu de *Essentia* , & *Attributis Dei.*



TRACTATVS



TRACTATUS SECUNDVS, DE VISIONE BEATA.

DISPUTATIO XIII.

De constitutiuo entis supernaturalis.

1. **T**ANTA est visionis beatæ dignitas, vt caducam ex luto fragili naturam ad inopinatum euehat fastigium gloriæ. Tanta in vno Deo congesta felicitas, vt merito conclamarit Paulus 1. Corint. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, qua preparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Tanta pulchritudo, immarcessa semper iuuenili floreat ætate, & nulla vnquam temporum diuturnitate fenescat. Hæc visio, hæc gloria, hæc felicitas, meta est tractatus huius secundi curriculo pertingenda. Illius supernatilitas opportuna fuit Doctoribus occasio, inquirendi satis arduam, & difficilem supernaturalis entis quidditatem. Quorum nos vestigiis inhæ-

rentes, hanc disputationem futuris præmittemus. Adiungemus insuper illi cognoscibilitatem eiusdem entis à potentia naturali; duplicique disputatione colligemus, quæ per diuersos tract. sparsa vagantur.

S E C T I O I.

Status questionis, & sententia proponitur.

Prima usur-
pacio naturæ
pro essentia,
seu consti-
tutiuo rei.

2. **V**ariæ acceptiones naturæ, quàm superare debeat ens supernum hanc controuersiam difficilem reddiderunt. Primò ergo usurpatur natura pro essentia, seu constitutiuo rei. Huiusmodi autem usurpationem locum non habere in præsentem fatentur omnes; nam ens supernum suam habet naturam sumptam pro essentia, seu constitutiuo: ergo non debet superare naturam hoc modo acceptam; aliter se ipsam superare deberet.

Secunda ac-
ceptio na-
turæ pro
principio
motus &
quietis, &c.

3. Secundò minus latè usurpari solet natura: principium motus & quietis, &c. qua ratione soli competit materiæ, & formæ, ut ostendi in Physicis, & neque hæc usurpacio locum habet in præsentem, quia supernaturale non solum est supra materiam & formam & compositum ex illis, sed etiam supra Angelum incompositum.

Tertia pro
substantia
propria sub-
sistentia ter-
minabili.

4. Tertiò, & strictius ad præsens institutum sumitur natura pro substantia terminabili propria subsistentia, & à qua tanquam à principio physicè oriuntur operationes suppositi, qua ratione subsistentia dicitur terminus, seu complementum naturæ, & Verbum Diuinum naturam humanam assumpsisse: similiter dicitur ens naturale, quod continet naturam propria subsistentia terminabilem.

Quarta usur-
pacio P. Ri-
paldæ.

5. Quartam acceptionem addit Ripalda tomo primo de ente superno disp. 1. sect. 1. num. 9 iuxta quam natura sumitur pro aggregato earum rerum, quæ à toto ordine supernaturali diuiduntur; si autem inquiras, quænam sint res
istæ

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. I. 45 1

istæ à toto ordine supernaturali diuisæ? Respondet Ripalda disp. 3. sect. 2. esse collectionem omnium substantiarum existentium, & possibilium, quibus existentes connecti possunt. 6. Controversia nobis non est de ente supernaturali increato, quale est Deus, & dici solet ens supernaturale excellentiæ, perfectionis, & dignitatis, qua infinitè superat omne creatum. Nec differitur de ente supernaturali, creato, & increato communi, quamvis ex dicendis colligi poterit quid sit in hac parte dicendum; solum ergo ens supernaturale creatum est integra præsentis disputationis materia. Inquiritur ergo, in quo eius supernaturalitas consistat, siue quid sit illud, ratione cuius totam superat naturam, ratio enim superantis naturam communiter supponitur ab omnibus conceptus secundarius supponens alterum primarium; hunc igitur inquirimus qualis sit?

7. Prima sententia docet primarium supernaturalis entis constitutum assignari non posse. Quia conceptus secundarius, respectu scilicet ad naturam, oritur in singulis entibus supernaturalibus, à propria uniuscuiusque differentia. Quare illud explicat, per conceptum secundarium superandi naturam. Ita docti Recentiores, quibus addi potest Arriaga disp. 3. sect. 4. subsect. 3.

Sententia tenens assignabile non esse conceptum primarium entis superni.

8. Secunda sententia ex Doctoribus primarium conceptum explicare tentantibus, asserit, ens supernaturale constitui respectu ad Deum ut trinum; ens verò naturale respectu ad eundem Deum, ut unum. Ita Zumel 1. 2. quæst. 101. artic. 4. disp. 5. part. 2. Displicet tamen communiter, & merito. Primò, quia plures actus supernaturales respiciunt Deum ut unum, & videlicet actus fidei, quibus credimus Deum esse unum, omnipotentem, sapientem, &c. Et actus dilectionis Dei, quibus eundem fide creditum diligimus: Nec prædicti actus respiciunt Deum ut trinum, quatenus effectus sunt; ut sic enim omnes superni effectus sunt à Deo, ut vno; cum sint per omnipotentiam, sicut effectus naturales.

Sententia Zumelis constituentis ens supernum per ordinem ad Deum, ut trinum.

9. Secundò quia plura supernaturalia præter hunc ordinem,

nem, nullo alio respectu feruntur in Deum, nisi ut vnum, tanquam obiectum, ut liquet in virtutibus infusis moralibus, eorumque actibus, ut auxiliis istos præuenientibus. Insuper in caractere, speciebus impressis supernis circa obiecta naturalia, & plura entia supernaturalia, quæ omnia neque respiciunt Deum ut trinum, neque ut vnum, tanquam obiectum: ergo respectus ad Deum ut vnum, vel trinum non est de ratione entis superni. Tertio, quia visio attingens Deum ut vnum tantum, esset superna absque ullo respectu ad Deum, ut trinum: ergo respectus iste non est de constitutio omnis entis superni. Addunt aliqui respectum ad Deum, ut trinum, conuenire pluribus entibus naturalibus, verbi gratia Fidei naturali, & humanæ, quia credere quis potest Trinitatem, tunc propter authoritatem tot eam attestantium, tum propter rationes quibus illam communiter defendimus.

Sententia
Ripaldæ cō
stituentis il
lud per con
nexionem
intrinsicam
gratia san
ctificante.

10. Tertia sententia ens supernaturalē explicat, per connexionem intrinsicam gratiæ sanctificantis, siue physicam, siue intentionalem, siue mediatam, siue immediatam, ita Ripalda tomo 1. de ente superno. disp. 4. sect. 3. Displicet etiam primò, quia plura dantur supernaturalia cum gratia sanctificante nullatenus intrinsicè connexa: ergo, &c. Antecedens probatur. Nam actio supernaturalis caloris in frigus, & similiter creatio accidentium materialium, quas possibiles admittit Ripalda, nullam habent intrinsicam connexionem cum gratia sanctificante.

Responsio
Authoris
expuncta.

11. Respondet ea entia habere connexionem cum gratia sanctificante, quia cognoscibilia sunt quidditatiuè per cognitionem soli gratiæ sanctificanti debitam. Contra primò quia cognoscibilitas illa est conceptus valdè secundarius, ad supernaturalitatem subsequutus; etenim à priori. Ideò ens supernum, est quidditatiuè cognoscibile per cognitionem soli gratiæ sanctificanti debitam, quia in se supernaturale est; inde superat cognitionem naturalem quidditatiuam, sicuti ens naturale ideò est quidditatiuè à natura cognoscibile, quia in se naturale est: ergo ea explicatio à priori non est, sed à posteriori, & assumptunt

non.

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. I. 453

non explicat per conceptum primarium. *Confirmatur*, finitè explicatur ens supernaturalè, cognoscibile quidditatiuè à sola gratia: ex nullo alio capite, nisi quia esset explicatio à posteriori: ergo. Maior probatur, quia cognoscibile à sola gratia, idem valet, ac cognoscibile, à gratia, & non à natura; huiusmodi autem explicatio sinistra est, & à posteriori; nihil enim aliud sonat quàm superare naturam: ergo.

12. *Contra* secundò, quia cõnexio cum gratia, quatenus exposita à Ripalda, re ipsa non est cõnexio; nam quod soli gratiæ debita sit cognitio quidditatiua habitus Fidei; Spei, & donorum gratiæ auxiliantis, non obstat, quominus ea omnia separabilia sint à gratia sanctificante, vt est certum; inter separabilia autem, nulla est cõnexio. Quod si dicas inter separabilia nullam stare cõnexionem vnus eum alio existente; benè verò possibili. Id verum est inter ea, quorum vnum connaturalem, & absolutam habet alterius exigentiam. Cæterum constituere rem aliquam per non repugnantiam, vt cognoscatur cognitione alteri debita, res videtur nullo fundamento composita; nam cognoscibilitas constituit quidem rem in esse cognoscibilis, non verò in esse supernaturalis, ex qua radice ortum trahit cognoscibilitas respectiuè ad cognitionem soli gratiæ debitam. Et confirmatur nam cognoscibilitas in omni ente supponit radicale prædicatum vnde illa oriatur, & quo res primario constituatur: ergo idem erit de cognoscibilitate per cognitionem soli gratiæ debitam.

13. *Displicet* secunda ea sententia, quia non explicat cur gratia sanctificans supernaturalis sit. Quod si dicas, idè esse, quia eum se ipsa connectitur. *Contra* primò, quia vt cõnexio gratiæ cum se ipsa intelligatur supernaturalis, debet præintelligi gratiam esse supernaturalem; si enim naturalis esset, nec cõnexio cum ipsa supernaturalitatem argueret: ergo ante cõnexionem præintelligi debet gratia supernaturalis: ergo & constitutum supernaturalitatis. *Confirmatur*. Differentia gratiæ connectitur formaliter cum se ipsa; nec tamen formaliter est supernaturalis: non ex

Connexio
exposita à P.
Ripalda re
ipsa non est
cõnexio.

Nec explicat
cur gratia
sanctificans
superna sit.

alio capite, nisi quia differentia gratiæ non præintelligitur formaliter supernaturalis: ergo vt connexio gratiæ cum se ipsa supernaturalis intelligatur præintelligi debet gratia supernaturalis in se. Ipsa insuper, differentia gratiæ etiam connectitur formaliter cum gratia, nec tamen est formaliter supernaturalis: ergo ea connexio non constituit formaliter supernaturalitatem.

14. Displicet tertia, quia non est maior ratio, cur ens supernum constituatur potius connexionem cum gratia, quàm cum gloria; imò si ea connexio sufficiens esset superni entis explicatio, potiori titulo referenda esset ad gloriam, cum hæc sit vltimus terminus totius superni ordinis, quàm ad gratiam quæ ex natura sua ordinatur ad gloriam, cuius est pignus. Quod si dicas specialem in gratia titulum relucere, quia in ordine superno, se habet instar naturæ. Non satisfacis, nam gloria se habet in ordine superno tanquam vltimo illius finis, ad quem cætera omnia ordinis superni, & etiam ipsa gratia, referuntur: ergo priori titulo ens supernum constituendum esset per connexionem cum gloria, quàm cum gratia.

15. Displicet quarta, quia ens naturale non constituitur primario per connexionem cum aliquo intra ordinem naturalem contento: ergo neque ens supernum primario constituendum est per connexionem cum gratia intra ordinem supernum contenta; par enim videtur esse vtriusque ratio. Antecedens probatur. Tum quia nullum est assignabile ens naturale, quod præ aliis esset regula, & mensura connexionis. Cæterum tum etiam quia connexio cum ente naturali communis etiam est enti superno; innumera enim existunt cum naturalibus entibus connexa, & quis fastidiat possibile plura entia superna connexa cum eo ente naturali, quod esset regula cæterorum.

Sententia Antonij Perez declarantis ens supernum, quod spectat ad ordinem diuinum.

16. Quarta sententia ens supernaturale explicat; quod spectat ad ordinem diuinum, seu quod participat illum. Ita Antonius Perez in Laurea Salmantina. Certamine 4. Scholastico à num. 48. Hæc tamen explicatio maiori indiget explicatione, quàm ipsum ens supernum. Quod si nomine ordinis,

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. I. 455

ordinis intelligatur supernus res confunditur, nam spectare ad ordinem diuinum idem esset, ac spectare ad ordinem supernum, quo inexplicatus manet ordo supernus, cuius quidditas inquiritur.

19. Idcirco Doctus Recentior rem altius meditatus est. Considerat enim in Deo tria prædicatorum genera. Primum est eorum, quæ communia sunt Deo, & substantiis creatis. Secundum est eorum prædicatorum, quæ propria sunt solius Dei, & nulli creaturæ communia, verbi gratia, esse trinum, & vnum, esse cognoscentem omne cognoscibile, & omni modo cognoscibili, esse æternum, immensum, à se, &c. & hæc prædicata à nulla creatura participari possunt. Tertium est eorum prædicatorum, quæ conueniunt Deo quatenus distincto à substantiis creatis; & participationem istorum prædicatorum ait esse conceptum primum, & absolutum entis superni; quæ autem sint ea prædicata, hoc opus, hic labor.

18. Displicet etiam meditatio ista. Primò, quia plura sunt entia naturalia, quæ participant prædicata Diuina, quibus Deus distinguitur à substantiis creatis: ergo id nec primum, nec secundario, nec proximè, nec remotè, nec vllò pacto ens supernaturale constituit. Consequentia clara est. Antecedens probatur. Nam virtutes naturales morales, verbi gratia fortitudo, misericordia, iustitia, & cætera (idemque de virtutibus intellectus) participant prædicata diuina earum virtutum; per huiusmodi autem prædicata distinguitur Deus ab omnibus substantiis creatis: ergo plura sunt entia naturalia, quæ participant prædicata diuina, quibus Deus distinguitur à substantiis creatis. Maior certissima est. Nam vt creatura participet aliquod prædicatum diuinum opus, non est quod participetur differentia diuina, aliter nihil Dei esset participabile, contra illum Recentio-rem, sed satis est, quod prædicatum diuinum participetur secundum rationem communem ipsi Deo, vt creaturæ participantis; qua ratione ait ipse, prædicata diuina viuientis, intelligentis, & volentis participari à creaturis: ergo cum in Deo existant prædicata fortitudinis, iustitiæ,

Sententia docti Recentioris expensa.

Præcedens entis superni declaratio minimè sufficiens.



iustitiæ, & misericordiæ, hæc participabuntur à fortitudine, iustitia, & misericordia naturalibus; sicuti prædicata uiuentis, intelligentis, & uolentis, quæ sunt in Deo, participantur, à creaturis naturalibus; uiuentibus, intelligentibus, & uolentibus. Minor ergo illa probatur apertè, quia nulla substantia creata, est fortitudo, iustitia nec misericordia: ergo Deus per prædicata fortitudinis, iustitiæ, & misericordiæ distinguitur ab omnibus substantiis creatis.

Effugium,
quod tentari
posset, præ-
cluditur.

19. Quod si dicas, eas virtutes, non participare prædicatum diuinum supernaturale sed naturale, ideoque naturales esse, & non supernas. Contra: ergo ad ens supernaturale, non satis est participare prædicatum, quo Deus distinguitur à substantiis creatis, ut dicebatur, sed ulterius opus est participare prædicatum supernaturale, atque adeo ens supernaturale erit quod participat prædicatum Dei supernaturale, quo tota præsens controuersia ridicula redderetur. Etenim si quis interrogatus, quod sit homo, responderet, quod participat prædicatum hominis, ridiculè explicaret, hoc enim pacto facillimum esset, etiam rustico, abstrusissimas quorumcumque entium naturas definire, nam si ab eo inquiras, quid sit uiuens, facillimum erit respondere, uiuens esse, quod participat prædicatum uiuentis, idemque est de cæteris: ergo dicere ens supernaturale, esse quod participat prædicatum Dei supernaturale, insufficiens erit explicatio, sicut insufficienter explicaret uiuens creatum, qui diceret, esse id, quod participat prædicatum Dei uiuens.

Præcedens
sententia
vnde displi-
ceat.

20. Displicet secunda, quia plura sunt entia supernaturalia, quæ participatione diuini prædicati constitui non possunt: ergo, &c. Antecedens probatur, quia plura sunt entia supernaturalia, quæ Deo prorsus repugnant, scilicet habitus, species impressæ, assensus Fidei obscurus, & cætera: ergo constitui non possunt participatione diuini prædicati. Dices repugnaret quidem Deo habitus, species impressas, & assensus fidei obscuros; hoc tamen non obstare, quominus ea omnia conueniant in aliquo prædicato cum Deo, cuius participatione supernaturales constituentur,
sic

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. I. 457

hic habitus, & species impressæ conueniunt cum Deo in ratione principij ineffabilis à vero, & bono; assensus fidei in ratione certitudinis infallibilis, cum nullus fidei assensus falsus esse possit, aut dubiæ veritatis, vt est certum. Contra, nam habitus scientiæ, & virtutes naturales, eorumque similes species, conueniunt cum Deo in ratione principij indefectibilis à vero, & bono; nec tamen ea participatione supernaturales sunt: similiter scientia naturalis conuenit cum Deo in ratione certitudinis ineffabilis, nec tamen est supernaturalis: ergo ea præcisa participatio entis superni constitutiua non est.

21. Displicet tertia, nam vel prædicatum diuinum quo distinguitur à substantia creata, & cuius participatione res creata supernaturalis euadit, debet esse naturale, vel sufficit naturale, aut præscindens ab utroque, naturali scilicet, & superno. Secundum dici non potest, nam res creata, prædicato naturali, nequit fieri superna. Insuper inde omnes cognitiones, & volitiones creatæ essent supernæ, cum participent prædicatum diuinæ cognitionis, & volitionis, quo distinguitur Deus à substantiis creatis. Nec dici potest tertium ob eandem rationem; Etenim prædicato præscindenti à naturali, & superno nequit res fieri superna; aliter res omnes naturales illud prædicatum, vt potè à naturali, & superno præscindens, participant, supernaturales essent: ergo dicendum est primum illud videlicet esse ens naturale, quod prædicatum diuinum naturale participat, quo res inexplicata manet.

22. Confirmatur nam dotibus gloriosis, quas posse esse supernaturales non negat Recentior ille, non correspondet prædicatum diuinum, cuius participatione supernaturales constitui possint: ergo. Antecedens probatur, nam agilitati non correspondet ex parte Dei motus localis, cuius agilitas sit participatio. Insuper claritati non correspondet prædicatum diuinum, cuius claritas sit participatio, nam si recursus fiat ad claritatem diuinæ cognitionis, eam potiori iure participat cognitio naturalis euadens. Præterea

nec correspondet penetrabilitati, nam si recursus fiat ad penetrabilitatem Dei cum creaturis, hæc participatur naturaliter ab Angelo. Nec denique impassibilitati correspondet, nam si recursus fiat ad impassibilitatem Dei, eam similiter naturaliter participat Angelus.

Responsio
eiusdē Au-
thoris libra-
ta.

23. Nec satisfacit respondens pro agilitate, quàm solum sibi obiicit, esse videlicet participationem, non motus localis diuini, qui impossibilis Deo est, sed capacitatis occupandi quamcumque creaturam, & si de nouo productam, illique coëxistendi. Non inquam satisfacit, quia agilitas non potest participare prædicatum occupandi omnem creaturam, illique coëxistendi præsentialiter simul, & in eodem instanti, sed tantum successiuè velociter, id autem, naturaliter participatur ab Angelo: ergo non potest ens supernaturale constituere. Idem quisque in aliis entibus supernis meditari poterit, quæ nos omittimus breuitatis causa.

Sententia
Albertini
Quod spe-
ctat ad Deū
vt actum pu-
rum.

24. Vltima denique sententia, vt alias leuioris ponderis omittam ens supernaturale explicat; quod spectat ad Deum vt actum purum. Ita Albertus 1. principio Physicorum quæst. 2. num. 4. Displicet etiam *primò*, quia maiori indiget explicatione definitio, quàm definitum. *Secundò*, quia Deus non minus est actus purus respectu ordinis naturalis, quàm superni: ergo respicere, seu spectare ad Deum vt actum purum, quid proprium non est entis superni. Antecedens est certum, quia Deus non minus excludit imperfectionem potentialitatis respectu ordinis naturalis, quàm supernaturalis: ergo non minus est actus purus respectu ordinis naturalis, quàm superni.

S E C T I O II.

Vera sententia pro constitutivo primario, & absoluto entis supernaturalis creati.

25. **A**Sfero ergo ens supernaturale creatum consistere in intrinseca, & absoluta proportione cum Deo; quatenus potente in se ipso à creatura possideri. Propria sententia circa constitutiū entis supernaturalis creati. Nomine possessionis Dei in se, intelligo tam physicam per unionem hypostaticam, quàm intentionalem per visionem, & amorem beatum. Nomine verò intrinsecæ proportionis cum Deo, non intelligo respectum ad Deum vt obiectum, vt sic enim actu naturali probabili potest Deus cognosci, etiam quatenus potens in se ipso à creatura possideri. Intelligo igitur proportionem extrinsecis prædicatis, siue effectus ad causam, siue medij ad finem, siue accidentis connaturalis statui possessionis. Nomine verò absoluta intelligo proportionem quæ conditionata non sit. Dixi cum Deo quatenus potente à creatura possideri, quia respectus, seu proportio physica non connectitur cum actuali Dei possessione, sed ab ea connexionem præcindit.

26. Quod autem omnia entia supernaturalia intrinseca, & absoluta proportione ferantur in Deum, quatenus potentem in se ipso à creatura possideri. Proposito cū Deo propria entis supernaturalis declaratur. Ostenditur quia finis ordinis superni est Deus, quatenus à creatura in se ipso possideri valeat: ergo omnia entia supernaturalia ea proportione feruntur in Deum vt valentem, finem, quem natura sua appetunt, constituere; sicut omnia entia naturalia absolutè ordinantur ad Deum quatenus potentem abstractiue cognosci, & amari à creatura rationali, tanquam ad finem sibi proportionatum; nec ordinatio ista, qua Deus in eum finem omnia naturalia direxit, ita est extrinseca, vt non supponat in entibus naturalibus innatam, & intrinsecam proportionem cum illo, cum nulla sit creatura, quæ

ex intrinsicis prædicatis, non sit absolutè manifestatiua Dei, ergo pariter proportio ordinis supernaturalis in finem gloriæ non ita erit extrinseca, vt excludat intrinsecam, innatam, & absolutam proportionem cum illo.

Nullum ens naturale eam proportionem habere ostenditur.

27. Nihil autem naturale creatum, eam proportionem habere posse cum Deo, quatenus potente à creatura in se ipso possideri, res videtur indubitata. Nam ex improportionem rei naturalis creatæ cum fine gloriæ, statutum est in Conciliis cõtra Pelagianos eorumque reliquias, nullis actibus naturalibus posse nos quidquam gloriæ, aut gratiæ mereri, nec ad illam merendam disponi. Similiter docent, totam naturam improportionatam esse ad finem gloriæ. Unde stabilitur necessitas gratiæ supernaturalis naturam improportionatam eleuantis: ergo nullum ens naturale intrinsecam, & absolutam proportionem habere potest cum fine gloriæ, & consequenter neque cum Deo quatenus à creatura potente in se ipso possideri.

P. Herize.
P. Fasolus.
P. Ribaz.
Mendoza.

28. Ab hac nostra sententia parum, aut nihil distant Herize disp. 48. cap. 3. Fasolus 1. part. quæst. 12. art. 4. num. 22. Ribaz disp. 2. capite 1. & Mendoza apud Ripaldam tom. 1. disp. 4. sect. 2. num. 18. Probatur ergo conclusio. Quia conceptus entis superni à nobis expositus in primis competit soli enti superno; cum nullum ens naturale possit esse intrinseca & absoluta proportio cum Deo quatenus potente è creatura in se ipso possideri, vt supra iam expendimus. Insuper conuenit omni supernaturali. Nam vnio hypostatica, visio & amor beatus, eum sint possessio Dei in se, intrinsecam, & absolutam proportionem habent cum Deo quatenus potente in se ipso à creatura possideri; quid enim magis proportionatum cum Deo, vt potente possideri, quàm ipsa possessio. Insuper omnes habitus infusi, & species supernaturales, eam proportionem habent, cum naturam ex se imbecillem, & improportionatam eleuent ad finem gloriæ consequendum.

29. Similiter actus, tam intellectus, quàm voluntatis, supernaturales, & characteres Sacramentorum eam proportionem habent, cum omnia illa sint ex natura sua medium ad:

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. II. 461

ad finem hunc consequendum. Præterea dotes gloriose titulo proprietatis, vel accidentium statui beatifico conaturalium, similiter diriguntur in Deum ut potentem à creatura statu beatifico possideri. Rursus ubi Eucharisticum, si intrinsecè supernaturale sit, etiam natura sua ordinatur ad gloriam, quia natura sua ordinatur ad gratiam sacramento conferendam. Denique omnia accidentia materialia superna respiciunt Deum ut potentem à creatura possideri, ut patebit ex argumentorum solutione. Nec aptior apparet conceptus, aut prior, vel nobilior, quo ens supernaturale primario constitui possit, ut ostendimus contra sententias hæcenus excogitatas: ergo iste erit primarius, & absolutus conceptus entis supernaturalis.

30. Obiicies primò, amor Dei naturalis est possessio Dei in se: ergo & habens proportionem intrinsecam, & absolutam cum Deo quatenus potente à creatura in se ipso possideri. Antecedens probatur quia amor naturalis Dei, est immediata cum Deo coniunctio: ergo est possessio Dei in se. Consequentia probatur. Idè visio beata est possessio Dei in se, quia est immediata cum Deo coniunctio: talis autem est amor Dei naturalis: ergo est possessio Dei in se. Minor probatur, quia amor Dei naturalis non coniungitur medio aliquo cum Deo. *Respondeo* negans antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: est immediata coniunctio pendēs natura sua à cognitione abstractiua Dei, cōcedo; ab intuitiua, nego: & nego consequentiam. Ad cuius probationem distinguo maiorem: idè visio beata est possessio Dei in se, quia est immediata coniunctio cum Deo independenter natura sua ab omni specie abstractiua, concedo, dependenter nego; amor autem naturalis Dei, natura sua pender à cognitione abstractiua Dei, ideoque possessio Dei in se non est, sed in creaturis, ex quarum cognitione ortum trahit.

31. Obiicies secundò, plura sunt entia supernaturalia, quæ non respiciunt Deum ut potentem in se ipso à creatura possideri: ergo nostra explicatio nulla est. Antecedens probatur. Nam possibilis est actio supernaturalis caloris, in frigus,

Quare amor
Dei natura-
lis non fit
possessio
Dei in se.

Aliquorum
entiu super-
naturalitas
declarata.

eductio animæ rationalis ab angelo, & creatio accidentium à substantia: huiusmodi autem actiones nullum dicunt respectum, aut proportionem cum Deo, quatenus potente in se à creatura possideri: ergo, &c. Minor probatur, quia nec frigus, nec natura irrationalis possunt videre Deum: ergo neque actio supernaturalis frigoris, neque accidentia superna naturæ irrationalis, possunt respicere, aut proportionem habere cum Deo. Valdè mihi dubiæ sunt possibilitates huiusmodi entium supernorum; illis tamen permittis. Respondeo negans antecedens. Ad cuius probationem nego etiam antecedens. Ad alteram probationem, concessio antecedenti distinguo consequens. Non possunt respicere Deum, vt potentem possideri à creatura irrationali visione beata, concedo; vt potentem possideri à creatura rationali, nego; ad ens autem supernaturale sufficit hoc secundo modo respicere Deum.

Qualè proportionem cum Deo in se possidendo habere possint entia naturalia.

32. Obiicies tertio, plura sunt entia naturalia, quæ habent intrinsecam proportionem cum Deo, quatenus in se ipso possidendo: ergo nostra explicatio nulla est. Antecedens probatur. Nam humanitas Christi Domini intrinsecam proportionem habet cum vnione hypostatica, quæ possessio Dei in se est. Insuper intellectus similem habet proportionem cum visione beata: ergo. Antecedens probatur. Quia vnio essentialiter est extremorum vnibilium, & visio essentialiter est actus potentiaæ capacis per eam videnti: ergo in humanitate est intrinseca proportio ad terminandam vnionem hypostaticam, & in intellectu ad videndum per vnionem beatam. *Respondeo*, distinguens antecedens, plura sunt entia naturalia, quæ habent intrinsecam proportionem conditionatam cum Deo, quatenus in se possidendo, concedo; absolutam nego. Humanitas autem Christi Domini solum habet proportionem intrinsecam conditionatam cum vnione hypostatica, si videlicet ista possibilis sit, idemque est de intellectu respectu visionis beatae.

33. Instabis: ergo posita possibilitate vnionis hypostaticæ, & visionis beatae, erit in humanitate Christi Domini proportio

portio intrinseca, & absoluta cum Deo quatenus potente physicè possideri, & in intellectu proportio intrinseca, & absoluta cum Deo, quatenus potente intentionaliter possideri: ergo eo proportio constituere non potest ens supernum. Prima consequentia probatur. Quia proportio conditionata fit absoluta positione conditionis: ergo proportio intrinseca conditionata humanitatis cum Deo, quatenus potente in se ipso possideri, fiet proportio intrinseca absoluta, posita conditione possibilitatis vnionis hypostaticæ; idemque erit de proportionem intellectus posita possibilitate visionis; ea autem conditio posita est: ergo stat in humanitate intrinseca, & absoluta proportio cum Deo, quatenus potente physicè possideri, idemque erit de intellectu.

34. Respondeo negans vtramque consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: proportio conditionata fit absoluta positione conditionis constituentis proportionem in esse absolutæ, concedo; non constituentis, nego. Et similiter distinguo consequens, proportio intrinseca conditionata humanitatis, fit proportio intrinsecè absoluta, posita conditione possibilitatis vnionis constituentis eam proportionem in esse absolutæ, concedo, non constituentis, nego; & concessa minori; distinguo consequens: stat in humanitate intrinseca, & absoluta proportio adæquatè identificata cum intrinsecis prædicatis solius humanitatis, nego, identificata partim cum illa, & partim cum possibilitate visionis concedo. Nos autem non constituimus ens supernaturale proportionem intrinseca, & absoluta sumpta posteriori modo, sed priori; ita vt res illa, quæ supernaturalis est, ex solis intrinsecis prædicatis eam proportionem intrinsecam, & absolutam habeat.

35. Obiicies quartò, visio beata est supernaturalis, non autem eam proportionem habet cum Deo: ergo ea proportio cum Deo entis superni constitutiua non est. Minor probatur. Quia ea proportio cum Deo, est intrinseca, & absoluta exigentia, seu connexio cum illo quatenus potente in se ipso à creatura possideri: visio autem beata eam

Duplex proportio absoluta, & quænam constituat ens supernum.

Proportio visionis beate cum Deo.

connexio

connexionem habere non potest: ergo. Minor probatur quia nulla res potest eam connexionem cum Deo habere quin saltem indirectè connectatur cum possessione Dei in se ipso, saltem possibili; visio autem non connectitur cum ea possessione Dei, cum sit ipsamet possessio: ergo.

36. Hoc argumentum nullum est, & multiplici exemplo retorqueri potest. Primò, quia stante connexionem Dei cum possibilibus; creatura connectitur cum eminentia ipsius productiua: hæc vt talis connectitur cum creatura: ergo, & creatura cum se ipsa, saltem indirectè. Præterea scientia diuina necessaria connectitur cum amore necessario; hic connectitur cum scientia: ergo scientia cum se ipsa. Insuper Paternitas connectitur cum Filiatione, hæc cum Paternitate: ergo Paternitas cum se ipsa. Denique spiratio actiua connectitur cum passiuæ; hæc connectitur cum actiua: ergo actiua cum se ipsa. Sicut ergo hoc nullum est inconueniens: idem nos dicimus de connexionem visionis cum se ipsa.

Visio non
constituitur
superna per
connexionem
cum se ipsa.

37. Instabis: ergo nos constituimus visionem supernam per connexionem cum se ipsa, quod displicuit in Ripalda constituente gratiam supernam per connexionem cum se ipsa. *Respondeo* negans consequentiam; non enim constituimus visionem supernaturalem præcisè per connexionem cum se ipsa quod displicet, sed per connexionem cum Deo quatenus potente possideri in se ipso. In quo etiamsi imbibatur connexio visionis cum se ipsa, non tamen sola, & præcisa, vt patet.

Difficilis ob-
iectio ex
identitate
virtuali di-
uinarum per-
fectionum.

38. Obiicies quinto, Deus quatenus potens in se ipso creatura possideri, seu potentia vt possideatur in se ipso, non distinguitur adhuc virtualiter à potentia, vt à creatura cognitione naturali abstractiua, similique amore possideatur: ens autem naturale intrinsecam, & absolutam proportionem habet cum Deo, quatenus potente à creatura possideri cognitione naturali abstractiua, similique amore: ergo eandem proportionem habebit cum Deo quatenus potente in se ipso possideri. Maior est certa. Nam eadem
essentia

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. II. 465

essentia diuina, quæ potest terminare visionem intuitiuam, eademmet potest etiam cognitionem naturalem abstractiuam, secundum eandem omnino formalitatem, terminare: potentia autem terminandi, est ipsa res potens terminare: ergo si res potens terminare visionem intuitiuam, & cognitionem naturalem abstractiuam, sit omnino eadem indiuisibilis adhuc virtualiter, eadem quoque virtualiter erit potentia terminandi visionem intuitiuam, & cognitionem naturalem abstractiuam; aliter non idem posset esse obiectum cognitionis intuitiue, & abstractiue, Consequentia ergo prioris syllogissimi probatur. Minor enim indubitata est. Nam si duplex potentia terminandi, sit eadem indiuisibilis virtualitas, impossibile omnino est, rem aliquam habere proportionem intrinsecam, & absolutam cum vna, & eandem rem non habere intrinsecam, & absolutam proportionem cum altera; hoc enim ipso illæ potentie fundant prædicata contradictoria, scilicet terminandi, & non terminandi eandem proportionem, quo virtualiter distingui necesse est: ergo si ens naturale intrinsecam, & absolutam proportionem habet cum Deo, quatenus potente cognitione naturali abstractiua possideri, eandem proportionem habebit cum Deo, quatenus potente in se possideri.

39. Hæc tamen obiectio ab omnibus soluenda est. Nam eadem virtualitas diuinæ essentiae est potentia terminandi cognitionem naturalem euidens abstractiuam, & simul potentia, vt triplici personalitate diuina terminetur, cum eadē virtualitas essentiae sit, quæ terminat cognitionem naturalem euidens abstractiuam, & quæ terminatur triplici personalitate diuina, & tamen cognitio euidens abstractiua, etiam si proportionem habeat cum essentia diuina quatenus potente illam terminare; non tamen proportionem habere potest cum eadem essentia, quatenus potente triplici personalitate terminari; aliter cognitio euidens naturalis connexa esse posset cum mysterio Trinitatis. Insuper in sententia non distinguente virtualiter inter eminentias diuinæ omnipotentiae; eminentia productiua leonis,

Præcedens
obiectio ab
omnibus sol-
uenda.

& gratiæ, vnica est, & omnino eadem; & tamen licet leo connectatur cum omnipotentia quatenus productiua ipsius, non tamen connectitur cum illa quatenus productiua gratiæ.

Argumenti
propositi so-
lutio.

40. Respondeo igitur Deum quatenus potentem in se ipso possideri à creatura importare duo, vnum scilicet in recto, nempe Deum, & aliud in obliquo videlicet possibilem Dei possessionem in se. Similiter Deus quatenus potens à creatura cognitione naturali abstractiua possideri, duo dicit, vnum in recto, nempe Deum, aliud in obliquo videlicet possibilem cognitionem naturalem abstractiuam. Dicimus ergo ens naturale intrinsecam, & absolutam proportionem habere cum Deo; non verò cum possibili Dei possessione in re dicta in obliquo. Ideoque intrinsecam, & absolutam proportionem non habere cum Deo, quatenus potente in se ipso possideri; benè verò cum Deo, quatenus potente cognitione naturali abstractiua possideri, quia intrinsecam, & absolutam proportionem habet cum huiusmodi possessione possibili Dei, dicta in obliquo; non verò cum possessione Dei in se.

41. Obiicies sextò, Deus quatenus potens in se ipso possideri à creatura, non connectitur cum possessione in re possibili adhuc in obliquo: ergo proportio intrinseca, & absoluta cum Deo quatenus potente in se ipso possideri, non dicit connexionem cum ea possessione in re possibili, adhuc in obliquo; atque adeo ens supernaturale constitui non potest connexionem cum ea possessione in re possibili, adhuc in obliquo. Consequentia bona est, nam intrinseca, & absoluta proportio cum Deo, quatenus in se ipso à creatura possideri potente, alia ratione dicere non potest connexionem, cum possessione possibili in obliquo, nisi Deus, quatenus potens in se ipso possideri, similem connexionem dicat. Antecedens probatur, quia potentia terminandi visionem beatam, & vnionem hypostaticam, in quibus consistit possessio Dei in se, est in Deo mera non repugnantia, vt physicè vniri possit creaturæ, aut vis terminandi intuitiuam cognitionem absque vlla exigentia ex parte Dei;

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. II. 467

Dei; mera autem non repugnantia non connectitur cum termino re ipsa possibili, adhuc in obliquo: ergo neque Deus quatenus potens in se ipso possideri dicit connexionem cum possessione in re possibili adhuc in obliquo.

42. Stante connexionione Dei cum possibilibus, facile eludi possit obiectio, quia tamen potentia ut Deus uniatur creaturæ; aut illa intuitivè cognoscatur, potius videtur pura non repugnantia Dei, quàm exigentia. Iudico de illis eodem modo discurrendum in Deo, quo solitum discurre de omnipotentia in sententia negante connexionem Dei cum possibilibus; sicut ergo in Deo duplex distinguitur virtus; vna quoad sufficientiam, seu conditionata; alia verò quoad efficaciam seu absoluta; vtraque intrinseca Deo, iuxta dicta disp. 8. sect. 7. sed non eodem pacto necessaria. Prior enim simpliciter & absolutè necessaria est, & independens à possibilitate creaturæ in re: Posterior verò necessaria tantum est propria possibilitate creaturæ in re; illique connexa. Similiter duplex datur potentia terminandi unionem, aut visionem beatam in Deo. Vna quoad sufficientiam, seu conditionata, alia quoad efficaciam, seu absoluta; vtraque intrinseca Deo, sed non eodem pacto necessaria. Prior enim simpliciter, & absolutè, necessaria Deo est, & independens, seu inconnexa cum visione, aut unione in re possibili; Posterior necessaria tantum est, posita possibilitate unionis, aut visionis in re, cum eaque connexa. Hinc,

43. Respondeo, ens supernaturale non constitui à nobis intrinseca proportionem cum Deo, quatenus potente in se ipso conditionatè, seu quoad sufficientiam possideri, scilicet, si possessio possibilis sit, sed per intrinsecam proportionem cum Deo, quatenus potente in se ipso quoad efficaciam, & absolutè possideri, quo pacto connexus est cum possessione in re possibili.

44. Obiicies septimò, Reduplicatio illa; Deus quatenus potens in se ipso absolutè possideri, nihil dicit creatum: ergo solum dicit potentiam absolutam diuinam, ut in se ipso possideatur. Ens autem naturale intrinsecam, & absolutam

Qualis sit potentia Dei ut à creatura possideatur in se, cui ens supernaturale connectitur.

Quid dicat reduplicatio ista, videlicet Deus quatenus potens in

se ipso abso-
lutè à crea-
tura posside-
ri.

proportionem habet cum ea potentia : ergo & cum Deo quatenus potente absolutè in se ipso possideri. Antecedens probatur. Nam reduplicatio cadit supra potentiam absolutam, quàm habet Deus vt in se ipso possideatur : huiusmodi potentia nihil dicit creatum, cum sit adæquatè idem cum solo Deo : ergo neque reduplicatio Dei quatenus potentis absolutè in se ipso possideri dicit aliquid creatum, sed solum diuinum, atque adeo ens naturale intrinsecam habebit, & absolutam proportionem cum illo. *Respondeo*, distinguens antecedens nihil dicit creatum de constitutiuo illius, concedo, de connotato, nego. Et distinguo minorem. Ens naturale intrinsecam, & absolutam proportionem habet cum ea potentia quatenus est potentia, vt Deus in se ipso possideri posset, nego ; quatenus est potentia, vt Deus cognitione naturali abstractiua posset cognosci, concedo ; & nego consequentiam. Nam vt ens naturale proportionem intrinsecam haberet cum Deo, quatenus potente in se ipso absolutè possideri ; deberet habere similem proportionem cum possibili possessione Dei in se, quàm ea potentia dicit de connotato ; cumque ens naturale eam proportionem non habeat, nec illam habere potest cum Deo, quatenus potente in se ipso absolutè possideri.

Cui diuinè
connectatur
proportio
entis natu-
ralis.

46. Instabis : ergo ens naturale ex parte obiecti intrinsecam, & absolutam proportionem habet cum Deo secundum omnia, quæ de constitutiuo ipsius potentia dicit, vt posset in se ipso à creatura possideri, cum ex parte obiecti potentia absoluta diuina vtriusque entis naturalis, & superni indiuisibilis sit : ergo dicit etiam eandem proportionem cum connotato illius saltem indirectè : atque adeo cum possessione Dei in se. Probatur hæc consequentia. Primò quia, impossibile prorsus est, rem aliquam proportionem intrinsecam habere cum constitutiuo alicuius potentia, & eam non habere cum illius connotato. Secundò quia ens naturale, & supernum proportionantur illi potentia absolutæ secundum omnia, quæ dicit in constitutiuo ipsius : ergo etiã proportionantur inter se. Patet hæc consequentia, nam quæ proportionantur cum tertio, etiam proportionantur inter se.

47. *Respondeo*,

47.
sec
lux
len
fals
am
rea
cum
tran
cess
fals
rati
prin
nan
non
qua
qua
tium
tum
48.
fup
Dec
resta
lis s
natu
quia
tera
con
abso
non
lis s
49.
go
prop
enti
fup
nem

Disp. XIII. De Ente supernaturali. Sect. II. 469

47. Respondeo, concessa prima consequentia, negans secundam: Ad cuius probationem nego antecedens, nam lux, & tenebræ proportionem habent cum potentia valente eas inducere; non verò inter se. Insuper veritas, & falsitas habent proportionem cum intellectu, idemque de amore, & odio cum voluntate; non verò inter se. Præterea, forma viuens, & cadauerica proportionem habent cum materia, & non inter se; idemque est de formis contrariis, & contradictoriis. Ad secundam probationem concessa antecedente, nego consequentiam, cuius probatio falsa est, ut patet in mille exemplis adhibitis, & mille rationibus quæ cuique occurrant. Addo quamuis illud principium; quæ proportionantur cum tertio, proportionantur inter se; subsisteret, quando tertium est creatum, non valere quando increatum est. Sicut principium illud: quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, non valet, quando tertium est diuinum. In nostro autem casu, tertium cui ens naturale, & supernum proportionantur, creatum non est, sed diuinum.

Quæ proportionantur cum tertio, non semper proportionantur inter se.

48. Obiicies vltimò, quia nos tandem constituimus ens supernaturalis per proportionem intrinsecam, non cum Deo, sed cum possibili possessione Dei in se; vnde nullarestat ratio, cur possibilis possessio Dei in se supernaturalis sit: ergo nostra explicatio deficit in explicanda supernaturalitate potissimi entis superni. Antecedens probatur quia dempta, seu præcisa possibili Dei possessione in se cætera omnia communia sunt enti naturali: ergo vltimum constitutum entis superni, erit proportio intrinseca, & absoluta cum possibili Dei possessione in se, atque adeo non explicatur cur hæc possibilis possessio supernaturalis sit.

49. Respondeo negans antecedens, ad probationem nego etiam antecedens. Nam intrinsecam, & absolutam proportionem habere cum Deo, licet quid commune sit enti naturali, & superno, quo non constituitur à nobis ens supernum: intrinsecam tamen, & absolutam proportionem habere cum Deo quatenus potente absolute in se ipso

possideri, non est quid commune enti naturali, sed proprium entis supernaturalis, quod indiuisibiliter dicit proportionem cum Deo, quatenus dicente in obliquo possibilem sui possessionem, quod non est excludere connexionem cum Deo, sed speciali cum Deo connexionem constitui, ut talis, quæ non posset ad Deum terminari directè, quin ex vi huius terminationis reflectat indirectè in possessionem illius in se ipso, sicuti creaturam pendere à Deo potente illam producere, non excludit dependentiam à Deo, sed explicat specialem modum dependentiæ ab illo, talem, qui non possit terminari ad Deum, quin ex vi huius terminationis indirectè reflectat in se ipsam. Possibilis autem possessio Dei in se illum conceptum participat, quia nihil magis proportionatur cum Deo, quatenus potente in se ipso possideri, quàm ipsamet possibilis possessio Dei in se, & inde superna.

Vnde possessio Dei in se superna sit.

50. Hæc dicta sunt de ente superno, quo ad substantiam, nam cum ens supernaturale quoad modum, non sit simpliciter supernum, sed in substantia naturale, de illo non controuertitur in præfenti.

SECTIO III.

De conceptu respectiuo entis superni ad naturam, quem alij vocant secundarium.

Conceptus respectiuus entis supernaturalis declaratus.

51. **C**onceptus respectiuus entis supernaturalis, est relatio superantis naturam. Tria ergo dirimenda sunt, quibus ille conceptus clarius apprehendatur. Primum est, quid veniat nomine naturæ, quam ens supernum debeat superare. Secundum, an debeat superare, non solum vires actiuas, & passiuas, sed etiam intentionales. Tertium, quas vires intentionales superare debeat: quæ omnia sequentibus exponentur.

52. Circa

Disp. XIII. De Ente supernatur. Sect. III. 471

52. Circa primum, scilicet quid veniat nomine naturæ, immensum esset Authorum sententias ex professo librare. Præcipuas breuiter expendo. Pater Coninck prima 2. disp. 4. num. 9. Docere videtur, naturam quatenus ab ente supernaturali distinctam, aliud non esse quàm collectionem substantiarum nunc existentium, & accidentium illis connaturalium.

Sententia P. Coninck circa intelligentiam naturæ.

53. Displicet communiter, & merito, nam possibilis est angelus supra omnes substantias existentes, earumque accidentia illis connaturalia, & consequenter supra ceteras omnes substantias infra angelos: huiusmodi autem angelus est ens naturale: ergo superare eo modo naturam non est entis supernaturalis. Minor probatur. Quia si angelus ille productus esset à Deo compleret ordinem naturæ; sicut de facto id præstat angelus supremus: ergo esset ens naturale, sicut nunc est Angelus supremus. Idem argumentum fieri potest de qualibet alia creatura supra omnes existentes. *Confirmatur.* Angelus supremus nunc existens, etiam si non fuisset à Deo productus, esset naturale ens, quantumuis superaret omnes substantias nunc existentes, earumque accidentia connaturalia: ergo quamuis ille angelus supremus possibilis superaret omnes substantias de facto existentes, earumque accidentia connaturalia, naturalis esset.

54. Secundò P. Alarcon tract. 1. disp. 2. num. 1. existimat naturam sumi, pro collectione omnium substantiarum, aliarumque causarum, quæ in prima mundi conditione fuerunt à Deo productæ, & quæ vel ab illis processerunt, vel cum illis complent eundem ordinem, siue sint substantiæ, siue accidentia.

Sententia P. Alarcon idè declarantis.

55. Displicet etiam vsurpatione ista naturæ. *Primò*, quia possibilis est substantia supra omnes de facto existentes, earumque accidentia, vt contra Coninck in angelo supremo expendamus. *Secundò*, quia in prima mundi conditione producta fuerunt plura supernaturalia, nempe gratia, & virtutum habitus illam comitantes: ergo nomine naturæ intelligi non potest collectio omnium, quæ in prima mundi conditione

conditione producta fuerunt. *Tertiò*, quia ultra ea omnia, quæ initio mundi creata fuerunt, plura improducta remanserunt, quæ naturalia sine dubio sunt, quæque ens supernum superare debet. *Quartò*, quia non explicat ex entibus possibilibus, quænam eundem ordinem constituent cum existentibus in prima mundi conditione, & quænam diuersum.

Sententia P. Ripaldæ circa naturæ explanationem, eiusque fundamentum.

56. *Tertiò* P. Ripalda tomo 1. de ente superno disput. 1. sect. 1. num. 9. nomine naturæ intelligit collectionem earum rerum, quæ à toto ordine supernaturali diuiduntur. Si autem inquiras, quænam sint illæ res à toto ordine supernaturali diuisæ? Respondet disp. 3. sect. 2. esse collectionem substantiarum existentium & possibilium, quibus existentes connecti possunt. Displicet etiam, quia hæc naturæ acceptio inuenta est, vt locus daretur illi controuersæ. An sit possibilis substantia supernaturalis, qui omnino præcluditur in nostra sententia. Hæc autem naturæ usurpatio, etiamsi illi controuersæ locum det, alteri tamen additum præcludit; scilicet, sitne possibilis cognitio naturalis cum ente superno connexa, atque adèò vitium quod exprobrat, incurrit. Minor probatur, quia natura in ea usurpatione, est, omne illud, cui substantiæ existentes connecti possunt, siue physicè, siue intentionaliter cognitione certa: ergo non manet locus inquirendi, an sit possibilis substantia naturalis cognitione certa cum ente supernaturali connexa, hoc enim ipso, tale ens supernaturale non esset.

Quid veniat nomine creaturæ, quàm superare debeat ens supernum.

57. Afferendum ergo est primò, ens supernum debere superare naturam in tertia acceptione à nobis tradita sect. 1. quatenus videlicet est; substantia terminabilis propria subsistentia, vna cum omnibus operationibus & accidentibus connaturalibus. Moueor quia ex triplici usurpatione naturæ ibidem tradita, hæc est strictior inter Philosophos, & Theologos; nec est vnde in nouis usurpationibus naturæ inueniendis frustra laboremus: ergo in hac usurpatione superari debet natura ab ente supernaturali; vnde idem erit superare naturam, ac superare omnem substantiam propria subsistentia terminabilem, ipsiusque operationes, & accidentia

accidentia connaturalia. Dixi connaturalia, quia accidentia superna, cum sint ipsum ens supernum, superari non debent. *Confirmatur*, nam legitima vsurpatio naturæ, quàm ens supernum superare debeat, eruenda est ex Patribus, & Conciliis; Patres autem, & Concilia, non aliam, nisi traditam à nobis agnouerunt; naturam enim vocabant substantiam illam, quæ cum alioqui completa esset ad naturaliter operandum, insufficiens adhuc erat, & prorsus impotens, ad supernas operationes pertingendas; ad quam impotentiam eleuandam stabilita est necessitas diuinæ gratiæ: ergo Patres, & Concilia nomine naturæ supponebant substantiam completam, seu propria subsistentia terminabilem, & consequenter omnes connaturales operationes, & accidentia illius.

58. Obiicies primò, fieri ex nostra sententia, Deum esse ens naturale, cum sit substantia propria subsistentia terminabilis; id autem implicat: ergo. Minor probatur, quia Deus non esset ens supernaturale; hoc enim debet superare omnem substantiam propria substantia terminabilem: ergo. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem. Ad probationem distinguo antecedens, non esset ens supernaturale excellentia dignitatis, & perfectionis, nego; id enim compossibile est cum ente naturali increato, etiamsi repugnet creato. Non esset ens supernaturale excellentia virtutis, & connexionis, id est, quatenus superare debet omnem connexionem totius naturæ creatæ, subdistinguo: vt vnus, concedo, vt trinus, nego, quia vt sic superat totius naturæ creatæ connexionem.

59. Obiicies secundò, ex Ripalda, nostram naturæ vsurpationem, non dare locum celebri illi controuersæ; Sitne possibilis substantia supernaturalis creata, vel ridiculam reddi; ridiculum enim esset, quærere an possibilis esset substantia creata superans se ipsam. Prima antecedentis pars ostenditur, nam eo ipso, quod omnis substantia sit natura, locus non est disputandi, an sit possibilis aliqua, quæ natura non sit, sed supra naturam. Non premit argumentum istud. *Primò*, quia, vt nouis controuersis detur locus, mouendi

Qua ratione Deus sit ens naturale, & supernum.

non sunt Theologici, & Philosophici cardines à Conciliis & Patribus firmati, quorum vnus est nostræ naturæ vsurpationis. *Secundò*, quia, illæ disputationes sunt inter se connexæ; vnde nihil mirum, quod vtraque cuiusvis resolutione dirimatur, quod idem contingere in sententia Ripaldæ ostendimus supra num. 56.

Ens supernū
superare de-
bet vires
actiuas abso-
lutas totius
naturæ, se-
cus condi-
tionatas.

60. Affero secundò, ens supernaturale superare debet vires actiuas absolutas totius naturæ, ratio clara est, nam quod eas vires non superat, est connaturalis naturæ operatio, istaque illi proportionata, atque non potest esse supra naturam, aliter omnes proprietates, & operationes naturæ supernaturales essent, quod absurdissimum esse, quis ambigat: ergo ens supernum superare debet vires actiuas absolutas totius naturæ creatæ, ita vt nullus effectus supernus possit ab illa solis suis viribus relicta prodire. Dixi vires actiuas absolutas, quia conditionatas, videlicet producendi ens supernum, si possibile sit, superare non debet, nec potest, ens supernum. Tum quia huiusmodi virtutes conditionatæ connexæ non sunt cum ente superno in re possibili. Tum etiam quia, si ens supernum eas vires superare deberet, non posset à Deo eleuari creatura ad supernos producendos effectus, nam huiusmodi eleuatio, supponit essentialiter in natura virtutem conditionatam producendi effectum supernum, si possibile ipsi sit talis productio, cum eleuatione diuina: ergo ens supernum non potest superare vires actiuas naturæ conditionatas.

61. Dices à virtute conditionatè productiua oriri non potest effectus supernaturalis: ergo iste superat illam. Consequentia probatur. Ideò ens supernum superat virtutem absolute productiuam naturæ, quia ab illa non potest connaturaliter oriri, sed neque potest connaturaliter oriri à virtute conditionatè productiua: ergo ens supernum superat illam. *Respondeo*, distinguens antecedens, à virtute conditionatè productiua oriri non potest connaturaliter effectus supernus absolute, id est, tanquam à virtute absolute productiua, concedo; conditionatè, id est, tanquam à virtute conditionatè productiua, nego, & nego consequentiam.

Ad

Ad probationem dicimus, idèd ens supernum superare virtutem absolutè productiuam totius naturæ, quia ab illa non potest connaturaliter absolutè oriri, id est, tanquam à virtute absolutè productiua; cum autem possit ens supernum conditionatè à natura oriri, id est, tanquam à virtute conditionatè productiua, inde eam virtutem, nec superare potest, nec debet.

62. Affero tertio. Ad ens supernum non stat esse, superare vires actiuas absolutas totius naturæ. Probat, nam creatio angeli eas vires superat, nec tamen supernaturalis est. Idemque est de operibus miraculosis in substantia naturalibus, & quoad modum tantum supernis, verbi gratia, fuscitatio mortui, restitutio visus, &c. Dixi naturæ creatæ, quia ad ens supernum, nec opus est, nec possibile, quod superet vires actiuas naturæ increatæ, seu diuinæ, aliter ens supernum esset supra Deum, vnde iste non posset esse causa efficiens principalis illius, quod dici non potest.

Ad ens supernum non stat esse superare vires actiuas absolutas totius naturæ,

63. Affero quarto, ens supernum superare debere, non solum vires actiuas absolutas totius naturæ creatæ, sed etiam passiuas. Probat, quia passio, seu receptio formæ supernæ non minus est superna, quàm actio: actio autem superare debet virtutem actiuam absolutam totius naturæ creatæ: ergo & passio virtutem passiuam absolutam. *Confirmat.* Si ens supernum non esset supra virtutem passiuam absolutam naturæ, ista connecteretur cum ente superno re ipsa possibili: id falsum est: ergo. Sequela probatur, nam virtus absoluta, & conditionata, hoc differunt, quod conditionata non connectitur cum termino in re possibili; benè verò absoluta: ergo si ens supernum non superaret virtutem passiuam absolutam naturæ, ista cum illo connexa esset.

Opus est, vires etiam passiuas superare,

64. Affero quinto, ens supernum non solum debere superare totius naturæ vires, tam actiuas, quàm passiuas absolutas, sed etiam omnem naturæ connexionem. Connexionem voco dependentiam essentialem ab ente superno, siue tanquam à causa, siue tanquam ab effectu, aut

Ens supernum superare debet omnem totius naturæ connexionem.

termino re ipsa possibili, vel existente, aut futuro; ita ut deficiente ente superno, etiam connexio illa naturæ destrueda foret. Ratio est, quia ad ens supernum satis non est, superare totius vires actiuas, & passiuas naturæ, nam angelus eas superat: ergo ulterius, tota naturæ connexio superanda est.

Quomodo
totius natu-
ræ connexio
superanda
sit.

65. Quomodo totius naturæ connexio superanda sit ab ente superno in dubium reuocat Doctus Recentior, duplicem conceptum distinguens in realitate substantiæ creatæ, vnus est conceptus naturæ, qualis est in aqua virtus humectandi, alter potentia obedientialis, qualis est in eadem aqua virtus productiua gratiæ. At ergo ens supernum, superare deberet totius naturæ connexionem sumpta natura, non secundum omnem conceptum imbibitum in realitate ipsius naturæ, sed secundum conceptum formalem naturæ. Mouetur quia conceptus potentia obedientialis, verbi gratia in aqua, virtus productiua gratiæ, est connexus essentialiter cum gratia possibili, ens autem supernum superare non debet potentiam obedientialem imbibitam, & identificatam cum realitate naturæ: ergo neque superare debet naturam, secundum omnem conceptum imbibitum in realitate ipsius, sed solum debet superare naturam secundum formalem naturæ conceptum.

Virtus obe-
dientialis
adaquatè in-
trinseca na-
turæ cum ef-
fectu super-
na connexi
esse non po-
test.

66. Displicet cogitatio ista. Primò quia, si in realitate aquæ reperiretur virtus productiua gratiæ connexa cum gratia: hoc ipso gratia esset naturalis, & virtus productiua illius esset formaliter natura: id dici non potest: ergo. Maior probatur, quia omnis conceptus repertus in realitate substantiæ naturalis productiuus alicuius effectus, & cum illo connexus, est formaliter natura, quatenus vincenda ab ente supernaturali, & effectus est naturalis; virtus autem obedientialis, verbi gratia in aqua virtus productiua gratiæ, esset conceptus repertus in realitate substantiæ naturalis, scilicet aquæ, productiuus gratiæ, & cum illa connexus: ergo virtus productiua gratiæ esset formaliter natura, & ipsa gratia ens naturale. Minor est Aduersarij, & consequentia legitima. Probatur maior, nam idè virtus humectandi

Disp. XIII. De Ente supernatur. Sect. III. 477

humectandi in aqua, est formaliter natura, & humectatio naturalis, quia est virtus reperta in realitate substantiæ aquæ naturalis, productiua humiditatis, & connexa cum illa. Similiter in homine, & bruto virtus productiua sensationis, impulsus, aliorumque effectuum; ideò est formaliter natura, & illi effectus naturales, quia est virtus reperta in realitate substantiæ naturalis hominis, productiua eorum effectuum, & cum illis connexa, idemque est de cæteris, vna dempta quæstione: ergo omnis conceptus repertus in realitate substantiæ naturalis productiuus alicuius effectus, & cum illo connexus, est formaliter natura, eiusque effectus naturalis.

67. Displicet secundò, quia virtus obedientialis, est virtus conditionatè productiua effectus, si in re possibilis sit; virtus autem conditionata, non connectitur cum positione conditionis: ergo neque virtus obedientialis connexa erit cum possibilitate in re, quæ est illius conditio. Maior non negatur ab Aduersario, imò contendit virtutem conditionatam connecti cum possibilitate gratiæ in re, idque probare conatur. Minor ostenditur, quia nulla res conditionata connectitur cum positione conditionis: ergo neque virtus conditionata. Antecedens probatur manifestissimis exemplis, nam promissio conditionata centum, si navis appulerit, non connectitur cum positione conditionis. Similiter scientia diuina conditionata, verbi gratia, si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes Bethsaiditarum, pœnitentiam egissent, connexa non est cum positione earum virtutum apud Tyrios, cum positæ non fuerint. Pariter propositum conditionatum vocandi medicum, si contigerit infirmitas, non connectitur cum infirmitate, idemque est de cæteris: ergo neque virtus conditionata productiua gratiæ, si in re possibilis sit, connectitur cum possibilitate gratiæ in re.

68. Displicet tertio, quia virtus obedientialis productiua entis superni, naturalis est, & non superna, vt fatentur Aduersarij contra Recentiores aliquos citatos à Ripalda disp. 5. sect. 1. asserentes esse supernam: non autem esset natu-

Virtus obedientialis, vt potè conditionata, inconnexa cum possibilitate effectus superni

Si virtus obedientialis connexa foret cum ente superno, superna, quæque esset.

ralis, sed superna, si cum ente supernaturali re ipsa possibili, vel existente connecteretur: ergo non connectitur. Minor probatur, quia, de supra quaestione omne connexum cum ente superno, hoc ipso supernaturale est, & non naturale: ergo si virtus obedientialis connexa esset cum ente superno, hoc ipso naturalis non esset, sed superna. Dices virtuti obedientiali repugnare supernaturalitatem, quia est de conceptu realitatis naturæ. Contra quia, conceptui, cui repugnat supernaturalitas, repugnat etiam connexio cum ente superno, si quaestionem præscindas: ergo si conceptui, qui est de realitate naturæ, repugnat supernaturalitas, pariter etiam connexio repugnabit.

Superna
principia
etiam vt
possibilia de
bita esse non
possunt rei
naturali.

69. Displicet quartò, quia rei naturali debita esse non possunt principia superna: essent autem, si virtus obedientialis naturalis esset, & connexa cum effectu superno: ergo talis non est. Maior conceditur ab Aduersario, & videtur certa, nam donatio eorum principiorum gratuita est, & gratia, talisque non esset, si debita ea dona essent rei naturali. Minor ostenditur, quia rei connexæ cum aliquo effectu debita sunt principia talis effectus: ergo si virtus obedientialis connexa esset cum effectu superno, debita illi essent principia superna talis effectus. Respondet Aduersarius comprincipia superna debita esse virtuti obedientiali naturali, non secundum eorum existentiam, sed tantum quoad possibilitatem, nam virtus obedientialis, etiam quatenus existens, non connectitur cum effectu superno existente, sed tantum possibili, vnde comprincipia supernaturalia, quoad actualement existentiam, indebita sunt rei naturali, & consequenter dona gratuita, & gratia. Contra quia, eo pacto, quo principium aliquod debitum est rei naturali, supernaturale non est: ergo si principia superna, quatenus possibilia, debita essent rei naturali, hoc ipso eorum possibilitas superna non esset, sicut supernaturalis non esset ipsorum existentia, si debita esset rei naturali.

70. Displicet quintò, quia virtus productiua actus probabilis asserentis gratiam esse re ipsa possibilem, est formaliter natura, vt concedunt Aduersarij, & tamen connectitur cum

cum
deb
eun
rum
nec
duc
illu
lem
tiali
Cor
quo
mo
obie
actu
que
71.
re d
fecu
fit,
in re
nun

72.

ente
dici
tura
nex
nen
ent
73.

cum gratia : ergo non saluatur ab illis, ens supernaturale debere superare omnem naturæ connexionem, etiam secundum conceptum naturæ. Minor probatur, quia in eorum sententia virtus productiua illius actus probabilis connectitur cum actu, & actus cum obiecto : ergo virtus productiua illius actus connectitur cum gratia. Dices actum illum probabilem non attingere gratiam re ipsa possibilem, sed gratiam possibilem secundum prædicata essentialia possibilitatis, seu quatenus occurrentia intellectui. Contra quia, actus ille probabilis id attingit quod asserit; quod autem asserit, est, gratiam esse re ipsa possibilem ex motiuis illud probabiliter suadentibus; quod enim illud obiectum occurrat intellectui euidentissimum est : ergo actus ille probabilis attingit gratiam re ipsa possibilem; atque adeo illi connectitur.

71. Asserendum est igitur vltimò, ens supernum superare debere omnem totius naturæ connexionem, non solum secundum conceptum formalem naturæ, quicumque ille sit, sed etiam secundum omnem conceptum imbibitum in realitate naturæ. Constat ex dictis, nam aliter, ens supernum, naturale esset, vt futè ostensum est.

Ens super-
num supera-
re debet om-
nem totius
naturæ con-
nexionem.

SECTIO IV.

Soluntur argumenta contraria.

72. **O**biiciès primò. Natura substantialis dicit connexionem cum omnipotentia; hæc autem cum ente supernaturali possibili : ergo & natura substantialis dicit connexionem saltem mediatam cum ente supernaturali possibili. *Confirmatur* : Natura dicit formaliter connexionem cum eminentia sui productiua; hæc autem eminentia dicit virtualiter connexionem cum alia eminentia entis supernaturalis productiua : ergo & natura.

Prima obie-
ctio sumpta
à connexio-
ne naturæ cū
Omnipoten-
tia, & Omni-
potentiæ cū
ente. super-
no.

73. In huius argumenti non leui difficultate soluenda

variis

uarij sunt Doctores connexionem possibilium cum Deo, & Dei cum possibilibus admittentes, maximè si eadem virtualitas in omnipotentia respectus sit ad vtrumq; ordinem naturalem, & supernum, nam imperceptibile videtur respectum physicum naturæ connecti cum eadem formalitate secundum vnum respectum, & non connecti cum eadem secundum alterum; cum tamen vnus, & alter sint omnino idem, & quid indiuisibile virtualiter: ergo cum natura connectatur cum tota virtute, seu eminentia productiua, non minus connexa cum ente naturali, quàm superno; cum isto etiam connectenda erit; nec ab hoc nodo soluendo liberi sunt negantes nobiscum connexionem omnipotentia cum possibilibus creatis, quia licet omnipotentia quoad sufficientiam inconnexa sit cum possibilibus, quoad efficaciam tamen connexa est: ergo cum natura connexa sit cum omnipotentia quoad efficaciam, & ista cum ente superno, natura quoque cum illa connexa erit.

Ab hoc argumentone-
gantes con-
nexionē Dei
cum possibi-
libus mini-
me liberan-
tur.

74. Propter hoc argumentum placuit aliquibus distinguere virtualiter in omnipotentia eminentiam productiuam ordinis naturalis ab eminentia productiua ordinis superni, cæterum nulla apparet necessitas huiusmodi distinctionis, ideoque inhærendo his, quæ pro simili obiectione soluenda diximus sectione secunda. Respondeo, distinguens maiorem natura substantiali, dicit connexionem cum omnipotentia, quatenus ipsam potente producere, concedo; quatenus ens supernaturale potente producere, nego. Concessa minori, nego consequentiam. Quia vt natura substantialis connecteretur mediatè cum ente superno, non fat est, connecti cum omnipotentia, quatenus productiua naturæ, sed vltèrius opus esset, connecti cum illa quatenus productiua ordinis superni, quid autem sit connecti cum omnipotentia, quatenus productiua naturæ, quid connecti cum ipsa, quatenus productiua entis superni, loco citato explicatum est, & instantiæ, quas patitur responsio, solutæ; videas ibi dicta, & huc applica.

Modus quo
natura sub-
stantialis cõ-
nectitur
Omnipoten-
tiæ.

Instância dif-
ficilior pro
mediata cõ-
nexionē na-
turæ cum
ente super-
no.

75. Sed instabis, tunc vnum mediatè alteri connectitur, quando isto deficiente, illud mediatè deficere necesse est: deficiente

Disp. XIII. De Ente supernatur. Sect. IV. 481

deficiente autem ente superno, naturam substantialem mediatè deficere necesse est: ergo natura substantialis mediatè connectitur cum ente superno. Maior certa videtur, nam connexio mediata hoc distinguitur ab immediata, quod illa mediatè deficit, deficiente termino, hæc verò immediatè. Minor ostenditur, nam deficiente possibilitate entis superni, nec esse est deficere potentiam diuinam absolutam, utpotè cum illa immediatè connexam: deficiente autem potentia diuina absoluta, necesse est, deficere naturam substantialem, utpotè cum ea potentia diuina immediatè connexam: ergo deficiente ente superno, necesse est mediatè deficere naturam substantialem.

76. Hæc instantia ab omnibus soluenda est, quia cognitio naturalis euidens abstractiua connectitur immediatè cum vnitate Dei; vnitas Dei cum Trinitate personarum: ergo cognitio naturalis euidens abstractiua connectitur mediatè cum Trinitate personarum, nam deficiente ista deficeret vnitas, & deficiente vnitate deficeret cognitio naturalis euidens abstractiua, vnde fieret posse nos viribus naturæ euidenter mediatè Trinitatis mysterium demonstrare, idemque est de natura substantiali connexa cum omnipotentia, & ista cum Trinitate personarum: deficiente ergo Trinitate Personarum, mediatè deficeret natura substantialis. *Respondeo* igitur distinguens maiorem: tunc vnum mediatè alteri connectitur, quando isto deficiente, illud mediatè deficere necesse est, ex præciso defectu ipsius termini mediati, concedo, aliter nego. Et distinguo minorem: deficiente ente superno naturam substantialem deficere necesse est, ex præciso defectu entis superni, nego; eo quod deficiente ente superno, deficeret potentia diuina absoluta, concedo; & nego consequentiam. Ad probationem concessis præmissis, nego consequentiam. Nam si per impossibile deficiente ente superno staret potentia diuina absoluta, staret quoque ens naturale.

77. Vnde nulla est connexio naturæ cum ente superno adhuc mediatè, quia ad id opus est, quod si per impossibile maneret potentia diuina absoluta, & non maneret ens

Instantia ab omnibus soluenda, eiusque solutio.

Quid opus sit connexioni mediatae vnus cum altero.

superum, ex præciso defectu istius, redderetur impossibilis natura. Quod fiet clarius exemplo cognitionis attingentis directè Paternitatē, & indirectè Filiationem: hæc enim cognitio non ideò connectitur indirectè cum Filiatione, quia ista deficiente deficeret Paternitas, & deficiente Paternitate deficeret cognitio, sed quia deficiente præcisa Filiatione indirectè cognita, etiam si per impossibile maneret Paternitas, ea cognitio indirectè periret. Inde dicimus in ente naturali non esse connexionem cum ente superno, adhuc indirectam, etiam si connexio sit directa cum diuina potentia absoluta, quia si deficiente ente superno, per impossibile ea potentia maneret, quoque persisteret ens naturale. Ad connexionem ergo indirectam non sufficit connexio directa cum vno connexo cum altero, sed vltterius opus est connexio directa cum illo, quatenus connexo cum altero, siue quatenus dicente alterum in obliquo, quid hoc sit, explicatum satis est à nobis sectione secunda in simili obiectione.

Secunda obiectione sumpta à connexionem potentia obedientialis cum suo termino.

78. Obiicies secundò, virtus obedientialis connectitur cum suo effectu saltem possibili: ergo virtus obedientialis productiua entis superni connectitur cum ente superno saltem possibili: est autem naturalis: ergo ens naturale connectitur cum ente superno, atque adeo istud superare non debet totius naturæ connexionem, Antecedens probatur, nam virtus obedientialis, etiam si sit virtus conditionatè productiua, verbi gratia, gratiæ, si possibilis sit; non tamen est productiua gratiæ, si impossibilis sit cum ad impossibile non detur posse adhuc conditionatum: ergo si gratia fieret impossibilis, nulla staret adhuc virtus conditionatè productiua illius: ergo hæc pendet essentialiter à possibilitate gratiæ, atque adeo illi connectitur. *Confirmatur.* Virtus conditionatè productiua in hoc distinguitur ab absolute productiua, quod illa pendens est à conditione, non verò ista: ergo virtus conditionatè productiua gratiæ, si possibilis sit, pendet à conditione, conditio autem est possibilitas gratiæ: ergo pendet à possibilitate gratiæ, atque adeo illi connectitur.

Disp. XIII. De Ente supernatur. Sect. III. 483

79. Hæc obiectio facile eludi posset, si diceret, quod nobis aliquando placuit videlicet virtutem obedientialem non esse adæquatè intrinsecè identificatam cum sola natura, sed esse conjunctum ex natura in recto, & possibilitate principij in obliquo. Caterum nulla videtur vrgere necessitas huiusrei, atque adeo concessa virtute obedientiali adæquatè soli naturæ identificata. Respondeo negans antecedens, ad probationem concessis præmissis, distinguo consequens: virtus conditionata pendet à possibilitate gratiæ per modum conditionis, concedo, à possibilitate gratiæ in re, nego. Vnde solum connectitur cum possibilitate gratiæ per modum conditionis; hoc autem stare posset etiam, si per impossibile gratia possibilis non esset.

Virtus conditionata productiva gratiæ si possibilis sit, non pendet à possibilitate illius in re, sed tantum per modum conditionis.

80. Quid autem sit possibilitas gratiæ per modum conditionis, res est omnibus explicanda, tum nostris in scientia conditionata, verbi gratia, si virtutes Bethsaiditarum factæ essent Tyriis, isti pœnitentiam egissent, quæ scientia pendet essentialiter à virtutibus illis existentibus apud Tyrios, non in re, sed existentibus per modum conditionis: tum Thomistis in decreto conditionatè prædeterminatiuo, verbi gratia: volo Tyrios prædeterminare ad pœnitentiam, si apud illos existant virtutes Bethsaiditarum, quod decretum pendet ab existentia earum virtutum apud Tyrios, non in re, sed per modum conditionis. Tum omnibus, in promissionibus, & contractibus conditionatis, qui pendent essentialiter à conditione, non in re, sed per modum conditionis, siue conditionatè vt quo. Sicut ergo scientia, decretum & promissio conditionata, etiam si dependant ab existentia rei per modum conditionis, non pendunt ab illa in re existente. Idem nos dicimus de possibilitate per modum conditionis.

Quid sit possibilitas per modum conditionis.

81. Sed instabis; si potentia obedientialis esset virtus conditionata, esset virtus nugatoria: ergo talis non est, sed absoluta, & consequenter connexa cum effectu superno. Antecedens probatur, quia possibilitas entis superni est ipsum ens supernum: ergo virtus productiva entis superni, si possibile sit, idem valebit, ac virtus entis superni,

Instantia est tendens virtutem conditionatam futuram nugatoriam.

si ens supernum sit, quæ est manifestissima nugatio. Hoc argumentum, quod magni æstimant Recentiores cum Arriaga, & Ouiedo contra decretum Diuinum conditionatum applicans immediatè omnipotentiam ad nostros actus liberos, nunc soluendum est ab ipsis, nec quid respondere possunt, quod ipsos manifestissimè non arguat inconsequentia: Nam sicut concursus Dei, & determinatio voluntatis idem sunt ita gratia, eiusque possibilitas; possibilis autem est virtus conditionata productiua gratiæ, si possibilis sit sine vlla nugatione: ergo & decretum conditionatum concurrendi cum voluntate creata, verbi gratia ad amorem, si ad illum determinauerit creata voluntas.

Ad vitandã
nugatoriam
repetitionẽ
quid suffi-
ciat?

32. Respondeo ergo negans antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: possibilitas entis superni est ipsum ens supernum intrinsecè, & ex parte objecti, concedo: nostro concipiendi modo, nego; & nego consequentiam, quia ad vitandam nugationem re ipsa sufficit diuersus attingendi modus idem objectum; aliter dicens, aut gaudens hominem esse rationalem nugatoriè loqueretur, aut gauderet, quia solum diuerso modo attingit idem omnino objectum; & Deus cognoscens, & gaudens, se necessario existere, nugatoriè, cognosceret, & complaceret, cum ipse, & necessario existere, idem sint. Insuper Deus ipse cognoscens, quod si Petrus existeret, nihil implicaret, nugatoriè cognosceret, eum Petrum existere, & nihil implicare, sint omnino idem. Denique conclusio attingens suum objectum dependenter à præmissis objectiuis nugatoria esset, quia objectum conclusionis, idem est cum objecto præmissarum. Id, quod cuique facillimum erit mille instantiis passim occurrentibus communire. Ad vitandam ergo nugationem satis est, diuersus modus attingendi idem objectum, vt patet in eis actibus tam intellectus, quam voluntatis quorum objecta materialia, & formalia indistincta sunt: huiusmodi autem actus sua objecta materialia attingunt dependenter à formali absque vlla nugatione, & tamen objectum formale indistinctum est à materiali; sicut ergo in his vitatur nugatoria repetitio, propter diuersum attingen

attingendi modum idem omnino ob cum; idem nos dicimus de potentia obedientiali, sub conditione possibilitatis, effectus superni productiua.

83. Objicies 3. naturæ debita est carentia gloriæ, vnionis hypostaticæ, aliorumque supernorum donorum, cum ea omnia dona sint indebita naturæ: huiusmodi autem carentia naturalis est, & connexa cum suo termino in re possibili: ergo natura, & aliquid naturale connexum est cum ente supernaturali in re possibili. Minor probatur quia carentia illa est priuatio; priuatio autem est essentialiter termini re ipsa possibilis: ergo carentia illa essentialiter pendet à termino in re possibili. Hoc argumentum morosius liberabitur disputatione sequenti. Interim Respondeo, concessa maiori, negans minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: carentiæ gratiæ, vnionis hypostaticæ, aliorumque donorum supernorum, sunt priuatio intrinsecè, nego; conditionatè, siue extrinsecè à negatione impossibilitatis termini, vel ab ipsa possibilitate, concedo, & concessa minori, nego consequentiam, quia carentia illa, debita naturæ non est secundum conceptum priuationis, sed præcisè, quatenus carentiæ est, siue non esse gratiæ.

Tertia obiectio sumpta à priuatione donorum supernorum.



DISPUTATIO XIV.

De cognoscibilitate entis supernaturalis.

I. **H**anc Disputationem annecto præcedenti, qua facilius deprehendatur entis supernaturalis excellentia supra totius naturæ connexionem. Disputari solita est à Doctoribus Controuersia ista tractatu de Trinitate, &

de Incarnatione. Hic tamen pro omni ente superno sententiam opportunè feremus, & quamvis ex dictis facilis pateat resolutio, propter multiplicem tamen objectionem integrè instruetur Disputatio.

S E C T I O I

*An possit ens supernaturale viribus naturæ
evidenter cognosci?*

2. **B**ifariam potest ens supernaturale viribus naturæ evidenter cognosci. Primò quidditatiuè, & immediatè in seipso. Secundò abstractiuè in alio, tanquam in medio prius cognito, vel ex alio, scilicet, noticia per discursum acquisita: hoc supposito,

Nullum ens
supernū po-
test actu
naturali, cer-
to, aut evi-
denter cog-
nosci.

3. Affero cum sententia communi, nullum ens supernaturale posse quidditatiuè, & immediatè in seipso, vel abstractiuè in alio, actu naturali certo, & evidenti cognosci; id est, actu essentialiter connexo cum ente superno reipso absolutè possibili, existente, vel futuro. Hæc conclusio constat ex dictis, nam ens supernum superare debet absolutam totius naturæ creatæ connexionem; si autem posset actu naturali certo, aut evidenti cognosci, non superaret absolutam totius naturæ creatæ connexionem, esset enim intra connexionem actus naturalis: ergo. Hinc colliges falsam esse sententiam Scoti, Gabrielis, & aliorum apud Ripaldam tomo 1. disp. 20. sect. 1. num. 4. afferente posse visionem beatam actu naturali evidenter attingi. Confir. Nam effectus postulans determinatè causam efficientem supernam, supernus est, quælibet autem cognitio certa, vel evidens entis superni, postulat determinatè causam efficientem supernam, maximè quidditativa, & immediata: ergo est supernaturalis. Minor probatur, nam quælibet cognitio certa postulat oriri determinatè à suo
objecto,

Disp. XIV. *Cognoscib. entis superni.* Sect. I. 487

obiecto, saltem immediatè, vel à specie impressa obiecti concursum supplente: concursus autem obiecti superni in cognitionem supernus esset: ergo & concursus speciei, atque adeo effectus exigens huiusmodi concursum supernaturalis erit.

4. Dices neque obiectum, neque illius speciem impressam præstare concursum efficientem in cognitionem, sed tantum esse approximationem, seu applicationem obiecti ad potentiam ad concipiendam cognitionem. *Contra*, quia licet doctrina ista probabilis sit, & mihi vera, ea tamen non satisfacit in præsentia, nam effectus postulans applicationem supernam, non minus supernaturalis est, quàm postulans causam supernaturalem; tanta enim est dependentia effectus ab approximatione, & applicatione causæ ad effectum, quàm ab ipsa causa, cum sine utraque virtus actiua impedita sit, & impotens efficere quidquam: quælibet autem cognitio certa, aut euidens de obiecto superno postulat applicationem supernaturalem: ergo supernaturalis est. Minor probatur, nam quælibet cognitio postulat applicationem obiecti sibi proportionatam; cognitioni autem certæ, & infallibili, connaturalis est applicatio obiecti certa, & infallibilis: hæc autem connexa est cum obiecto superno, in re possibili, vel existente, iuxta naturam cognitionis: ergo cognitio certa, & infallibilis postulat applicationem supernam, quo distinguitur ab actu probabili, qui solum postulat applicationem obiecti apprehensi, inconnexam cum possibilitate obiecti in re, aut cum existentia.

5. Confirmari solet secundò, quia, si visio, quantumvis supernaturalis, posset actu naturali euidenter attingi, similiter posset Trinitas, per illam repræsentata, saltem indirectè cognosci: id falsum est: ergo, &c. Sequela probatur, quia repræsentat Trinitatem, cum eaque connectitur: ergo actus naturalis euidenter, & immediatè exprimens visionem mediatè saltem, & indirectè attingere posset Trinitatem; si enim supernaturalitas visionis patitur eam actu naturali euidenter cognosci, cur supernaturalitas Trinitatis id non patietur.

Cognitio
certa aut eui-
dens de ob-
iecto super-
no postulat
causam su-
pernam, vel
saltem appli-
cationem.

6. Obiicies

Prima obie-
ctio sumpta
à præmissa
naturali Syl-
logismi
Theologici.

6. Obiicies primo. Possibilis est conclusio Theologica circa obiectum supernaturale deducta ex vna præmissa naturali euidenti, & alia de fide: ergo possibilis est actus naturalis cum ente supernaturali essentialiter connexus. Antecedens commune est. Consequentia probatur, quia præmissa naturalis euidens attingit obiectum conclusionis, vt in sequenti Syllogismo: *Omne quod existit non implicat existere: visio autem beata existit, quia Deus dicit: ergo non implicat existere*, vbi maior vniuersalis, saltem confuse, dicit visionem existere; sicut omnis homo existit, dicit Petrum, Paulum, & cæteros existere: id autem non dicit probabiliter: ergo. Tum etiam quia, maius extremum, quod prædicatur in maiori, est saltem inadæquatè idem cum prædicato conclusionis, aliter Syllogismus non concluderet vi formæ; essent enim quatuor termini: prædicatum autem conclusionis est supernaturale; est enim non implicantiã identificata realiter cum visione: ergo etiam prædicatum maioris erit supernaturale: attingitur autem actu euidenti: ergo.

Solutio ali-
quorum re-
centium ex-
puncta.

7. Dices cum aliquibus, in ente superno reperiri aliquos conceptus communes cum ente naturali, verbi gratia, netis realis, possibilis, existentis, & cætera, qui formaliter supernaturales non sunt, ideoque posse actu naturali certo, & cum illis connexo cognosci, tales autem esse, qui à propositione illa naturali; scilicet, omne existens non implicat existere, attinguntur.

8. Displicet responsio. Primò quia præmissa illa: *omne existens non implicat existere*, attingit formaliter, licet confuse differentiam visionis existentis, sicut hæc altera; *omnis homo est animal*, attingit formaliter differentiam Petri, Pauli, & cætera: ergo præmissa illa non solum attingit cõceptum communem, sed etiam differentiam visionis, in ordine ad connotatum conceptus communis, imò non minus clarè attingitur, quàm ipsa ratio communis. *Secundò*, quia non implicantiã; vtpotè transcendens in communi sententia, non præscinditur obiectiue à differentiis, sicut neque ens: ille autem actus attingit non implicantiã communem
differentiæ

Disp. XIV. Cognoscib. entis superni. Sect. I. 489

differentiæ visionis : ergo & debet attingere visionis differentiam, non minus quàm non implicantiã.

9. Displicet tertio, quia ab ente naturali, & superno præscindi non potest ratio entis naturalis : præscinderetur autem ; si conceptus vtrique communis posset euidenter actu naturali cognosci : ergo. Maior patet, quia ab ente naturali, & supernaturali, siue non naturali, nequit præscindi ratio entis naturalis, sicut ab ente rationali, & irrationali præscindi non potest ratio entis naturalis. Minor ostenditur quia, eo ipso quod aliquis conceptus attingi possit aliquo actu naturali certo, aut euidenti, est naturalis, cum non superet naturæ connexionem ; conceptus autem ille præcisus attingeretur actu euidenti naturali : ergo esset ens naturale ; vnde fieret visionem beatam esse ens naturale, & supernaturale secundum diuersos conceptus, quod non minus implicat, quàm hominem esse rationalem secundum diuersos conceptus. Ratio omnium est, quia conceptui communi conuenire non posset prædicatum intrinsecum, quod essentialiter repugnet differentiæ.

10. Displicet quarto, quia si conceptus enti naturali, est supernaturali communis attingi possit actu naturali certo, & euidenti cum illo connexo : omnes isti actus possint esse naturales certi, & euidentes : gratia est ens, est possibilis, est existens, est accidens, qualitas, & cætera, cum in illis, quod de gratia asseritur, sit prædicatum commune enti naturali, & superno, quod prædicatum non superat certitudinem, & euidentiam actus naturalis ; id autem ridiculum esset, ex vno scilicet capite docere, ens supernum superare totius naturæ connexionem, & ex alio concedere eos actus certos, & euidentes posse esse naturales ; quorum vnus asserit gratiam esse possibilem, alter existentem, qui sine dubio connectuntur cum existentia, & possibilitate gratiæ in re.

11. Respondeo igitur, concesso antecedente, negans consequentiã. Ad probationem distinguo maiorem : præmissa naturalis euidens attingit obiectum conclusionis asserendo absolute illud esse possibile, vel existens, nego,

Explicatio
præmissæ
vniuersalis,
& argumen-
ti solutio.

affirmando ex suppositione, quod existat, non implicare existere, concedo; & nego consequentiam; nam actus naturalis euidens affirmans, omne existens non implicat existere, connexus non est cum existentia in re alicuius obiecti saltem superni, nam etiamsi nullum obiectum supernum existeret, veritas illius actus inconcussa maneret, videlicet, omne existens non implicat existere, quia sensus non est, aliquod obiectum existere, cum nullius affirmetur existentia, sed sensus est: quidquid existit, ex suppositione quod existat, non implicat existere. Præmissa ergo illa naturalis euidens solum connectitur cum non implicanti existendi, supposita existentia, nam ex suppositione, quod aliquid existat, quidquid illud sit, siue Trinitas, siue gratia & cætera, euidensissimum est lumine naturæ, non implicare existere; an autem re ipsa existat aliquid, vel non; præscinditur quoad superna ab eo actu, vnde nulla est in illo absoluta connexio cum alicuius existentia in re, nec cum conceptu aliquo communi illius, cum nihil tale ab eo actu affirmetur absolutè, sed tantum ex suppositione, sicut hic actus: *Petrus ex suppositione quod currat, mouetur*, non connectitur absolutè cum cursu Petri, nec cum motu illius, sed tantum cum motu ex suppositione quod currat. Videas, quæ diximus disp. 1. sect. 3.

12. Instabis: ergo actus naturalis connecti potest ex suppositione cum ente superno, atque adeo istud non superabit totius naturæ connexionem ex suppositione. *Respondeo*, concedens consequentiam, de actibus illis, ex quibus nec possibilitas obiecti in re, nec existentia inferri potest, vt patet in his; si ens supernum existat non implicabit existere, si visio sit possibilis, nihil implicabit, si gratia sit futura aliquando existet, &c. Hinc colliges solutionem plurimum obiectionum, quæ in simili adaptari possunt: verbi gratia, *omne quod non repugnat existere possibile est; visio autem beata non repugnat existere, quia Deus dicit: ergo possibilis est*; his enim, & aliis eodem modo respondendum est, quoad præmissam illam vniuersalem euidens. Vnde nunc sumitur argumentum.

Disp. XIV. *Cognoscib. entis superni.* Sect. I. 49 I

13. Obijcies 2. potest Deus vt Author naturæ reuelare, vel promittere angelo, se illi per horam manifestaturum omnia entia naturalia, elapso iam horæ termino, potest angelus euidenter cognoscere hominem asserentem visionem, Incarnationem, Trinitatem, aut gratiam esse entia naturalia. Tunc angelus posset contra illum viribus naturæ disputare actibus certis, & euidentibus; ita Deus mihi manifestauit omnia entia naturalia; non autem manifestauit visionem, Incarnationem, Trinitatem aut gratiam: ergo ista naturalia non sunt. Hæc autem conclusio est de objecto superno, & naturali: ergo.

Secunda obiectio sumpta à reuelatione diuina omnis entis naturalis.

14. Respondeo permissio toto illo angeli discursu, negans eam conclusionem naturalem connecti cum possibilitate, aut existentia visionis, Incarnationis &c. in re, quia neutra affirmatur absolutè, sed sola distinctio visionis, Incarnationis &c. absente naturali, ex suppositione quod visio, Incarnatio, & cætera possibles sint, aut existentes; & quamuis affirmetur distinctio, id nihil conuincit, nam plura sunt entia ficta, quæ naturalia non sunt, vt constabit infra; vnde licet angelus cognosceret euidenter visionem, Incarnationem &c. non esse naturales, adhuc non cognosceret euidenter, eas esse possibles, aut existentes.

15. Instabis, ergo si Deus euidenter manifestaret angelo omnia entia naturalia, & simul ficta: tunc angelus posset euidenter inferre non solum visionem, Incarnationem &c. non esse naturales, verum etiam esse reipsa possibles. *Respondeo*, Deum non posse actu naturali euidenter manifestare angelo omnia entia ficta, quia plura reducuntur ad ordinem supernum propter inferius dicenda.

16. Obijcies 3. Angelus euidenter cognoscit accidentia Eucharistica, aliunde euidenter cognoscit non existere in subjecto, quia talis existentia esset illi euidenter nota: ergo ex illis præmissis euidenter inferre posset: esse extra subjectum: existentia autem accidentium extra subjectum est intrinsecè supernaturalis: ergo supernaturale potest vi naturali euidenter penetrari. Hoc argumentum non pre-

Tertia obiectio ab accidentibus Eucharisticis petita.

mit docentes existentiam accidentium extra subjectum non esse intrinsecè supernaturalem, sed tantum quoad modum, sicut mortui resurrectio. Si autem supernaturalis sit, quoad substantiam, respondeo, angelum vel mansurum suspensum, vel pariturum conclusionem tantum probabilem, quia altera à præmissis naturalibus causari non potest.

Quarta ob-
jectio à cõ-
municatione
Dei perfecta
deprompta.

17. Objicies 4. Euidens est lumine naturæ, summo bono, qualis est Deus, possibilem esse perfectam communicationem: talis autem est visio beata, & vnio hypostatica: ergo sunt lumine naturæ euidenter possibile. Respondeo, distinguens maiorem, erit euidens lumine naturæ summo bono possibilem esse perfectam communicationem intra ordinem naturæ per cognitionem, & amorem abstractiuum, & alia dona entitatiuè naturalia, concedo; supra ordinem naturæ per cognitionem, & amorem beatum, & alia dona entitatiuè superna, nego, & concessa minori nego consequentiam.

SECTIONO II.

Alia argumenta diluuntur.

Quinta ob-
jectio ex ca-
rentia vnio-
nis hyposta-
ticæ visio-
nis, aut gra-
tiæ, eruta.

18. **O**bjicies 5. Carentia vnionis hypostaticæ, visionis, aut gratiæ existens in Petro est naturalis: ergo poterit ab angelo actu naturali cognosci euidenter existens: ergo & poterit angelus in ea carentia euidenter cognita, euidenter quoque cognoscere vnionem hypostaticam, visionem, aut gratiam, cum nullatenus cognosci valeat carentia, quin terminus cuius est carentia cognoscatur. Antecedens probatur, quia carentia vnionis hypostaticæ connaturalis est, & debita, cuilibet subsistenti naturali, cum sit vnio ad subsistentiam alienam. Insuper carentia vnionis, aut gratiæ, ita ingenita est substantiæ naturali, ut ista nulla egeat eleuatione ad habendam carentiam

Disp. XIV. *Cognoscib. entis superni.* Sect. II 493

etiam illam, imo ad eam non habendam indiget principiis supernis eius imbecillitatem eleuantibus ad recipiendam formam, cujus aduentu recedat carentia illa: nihil autem ingenitum naturæ substantiali potest esse supernum: ergo nec carentia vnionis hypostaticæ, visionis, aut gratiæ superna erit, sed naturalis.

19. Hujus argumenti solutio Doctores in discrepantes sensus abire coëgit. Primò aliqui videntur asserere, eam carentiam esse supernam, docentes, non posse viribus naturæ certo, aut euidenter cognosci. Cæterum responsio hæc argumentum non soluit; nihil enim supernum potest esse debitum, & connaturale enti naturali: carentia autem vnionis hypostaticæ connaturalis est, & debita cui-libet subsistenti naturali: ergo non potest esse supernaturalis. Addo ex hac Doctrina manifestè sequi, puram omissionem actus supernaturalis præcepti futuram supernaturalem, & peccatum simul, quod absurdum est. Cur enim carentia vnionis hypostaticæ, visionis, aut gratiæ supernaturalis erit, & talis non erit carentia amoris supernaturalis præcepti, cum vtraque carentia sit termini supernaturalis.

Eam carentiam supernam non esse ostenditur contra affirmantes aliquos.

20. Secundò alij admittentes esse naturalem, negant posse cognosci actu naturali, quia debet cognosci per species termini superni, cum nulla detur species carentiæ in seipsa. Non placet, nam si semel statuatur carentiam entis superni esse naturalem, nulla potest assignari implicancia, cur possibilis non sit species impressa carentiæ in seipsa, qua semel à Deo infusa, posset homo, vel angelus eam carentiam euidenter cognoscere existentem. Quod autem species illa viribus naturæ haberi non posset, quod certum non est, non probat esse supernam in substantia, quia nec resurrectio mortui viribus naturæ comparari potest; cum tamen naturalis sit in substantia. Similiter loquutio, qua Deus vt naturæ Author manifestaret carentiam illam, naturalis esset propter eandem rationem: ergo in illa euidenter cognita, posset homo, vel angelus carentiam illam cognoscere euidenter existentem. Addo solutionem istam.

Posse viribus naturæ euidenter cognosci, firmatur contra alios.

inuentam esse, ne ex carentiis termini supernaturales innotescerent: id autem impediri, etiam si euidenter cognoscerentur existentes constabit infra.

Aliorum iudicium circa cognitionem termini in eius carentia.

21. Tertio. Alij, admittentes carentiam illam esse naturalem, & viribus naturæ euidenter cognoscibilem, negant in illa posse cognosci terminum esse re ipsa possibilem, vel existentem, quamuis apprehensione suspensua cognoscatur, quin ex illa possit intellectus ferre sententiam, an re ipsa terminus sit possibilis, aut existens. Sic in carentia Incarnationis apprehenditur Incarnatio cum suspensione, an sit possibilis re ipsa, vel non; & in carentia Trinitatis apprehenditur Trinitas, quin iudicari possit esse re ipsa possibilem, vel existentem. Mouentur, quia carentia, quamuis dicat ordinem transcendentalem ad suum terminum, non tamen dicit connexionem, quæ necessaria est, vt ex medio infallibiliter inferatur possibilitas, aut existentia termini.

22. Hæc tamen Doctrina quamuis veritati propinquior, sine vltiori explicatione non placet, quia carentia Incarnationis aut gratiæ in homine non est negatio, sed priuatio: priuatio autem quamuis non connectatur cum termino, quo subiectum priuat, connectitur tamen cum possibilitate illius, nam deficiente possibilitate, periret priuatio, & tantum esset negatio, cum nulla possit esse capacitas ad habendum, quod implicat: ergo si carentia vnionis, aut gratiæ posset euidenter cognosci, & posset inferri possibilitas vnionis, aut gratiæ. Quod si dicas eam carentiam non posse cognosci quoad conceptum priuationis: ergo iste conceptus supernus erit, & consequenter carentia; nam vt aliquod ens, supernum sit, opus non est, vt omnes illius conceptus formaliter sint superni; vel si eo ipso, quod aliquis conceptus sit supernus, debent esse omnes: ergo cum in illa carentia, conceptus priuationis sit supernus, cæteri omnes superni erunt.

Nulla carentia connectitur cum suo termino, & quæ ingeni- ta est naturæ intrinsicè naturalis est,

23. Respondeo igitur nullam carentiam cum suo termino connecti, quia nulla est compossibilis cum illo. Vnde censeo, quamlibet carentiam ingentam naturæ esse intrinsicè

secè

Disp. XIV. *Cognoscib. entis superni.* Sect. II. 495

secè naturalem, & consequenter viribus naturæ euidenter cognoscibilem, siue terminus naturalis, siue supernus sit, siue creatus, vel increatus: sic priuatio gratiæ cōnaturalis est peccato, & carentia amoris odio, & carentia vnionis hypostaticæ cuiuslibet subsistenti naturali, nego tamen ex illa carentia posse inferri possibilitatem aut existentiam negatam: aliter ex carentia existentia visionis in damnatis possit inferri existentia visionis in illis.

24. An autem ex conceptu priuationis inferri debeat termini possibilitas? Distinctione opus est. Si enim carentia vnionis hypostaticæ, aut gratiæ, admittatur in homine intrinsecè, & absolute priuatio, admittenda quoque erit intrinsecè connexa cum possibilitate termini, quo subiectum priuat, quia impossibili termino periret priuatio, ex præciso defectu illius, cum supponat essentialiter capacitatem absolutam ad habendum terminum cum ipsius possibilitate connexam, quo distinguitur capacitas absoluta à conditionata: vnde priuatio termini superni deberet esse superna; cum autem id falsum sit, quia inde fieret, puram omissionem amoris Dei supernaturalis præcepti esse intrinsecè priuationem, & consequenter peccatum, & supernam simul, quod est absurdum. Idcirco existimo carentias entium supernorum entibus naturalibus ingenitas non esse intrinsecè priuationes absolutas, sed extrinsecè à capacitate absoluta subiecti, vnde ea capacitate subiecti deficiente, carentia quæ modo est absoluta priuatio, transfret in negationem absolutam.

An ex conceptu priuationis inferri valeat termini possibilitas.

25. An autem carentia vnionis hypostaticæ, aut gratiæ ingenita naturæ, sit intrinsecè priuatio conditionata, à respectu, & connexionem intrinsecam cum capacitate conditionata naturæ ad habendas eas formas, si posibles sint? Affirmatiuam partem iudico veram, nam prædictæ carentiæ, etiam si sint intrinsecè priuationes conditionatæ, nullam dicunt absolutam connexionem cum aliquo superno, sed solum conditionatam iuxta capacitatem, quam natura habet ad formas supernas continendas, quæ solum conditionata, nec superat spheram entis naturalis, nec suffi-

Intrinseca priuatio cōditionata termini superni naturalis est.

cients

ciens est medium, ut in illa terminus supernus reipsa possibilis cognosci valeat: ergo nihil obstat, quominus prædictæ carentiæ sint intrinsecè priuationes conditionatæ.

Ad inferendam termini supernaturalis possibilitatem, aut existentiam, carentia naturalis insufficientis.

Terminus in sui carentia apprehensione tantum suspensiva cognoscitur.

26. Inde colligo primò. Cognita carentia termini superni, quoad intrinseca illius prædicata, nullam cognosci entitativam connexionem cum termino superno possibili, aut actuali, & consequenter perinde se habere ad inferendam possibilitatem, aut existentiam, ac si non esset; quia ex vi illius non valet penetrari conceptus priuationis absolutæ, qui solus manuducere posset in cognitionem possibilitatis termini; nam conceptus priuationis conditionatæ, ad id præstandum, est prorsus insufficientis. Colligo secundò. Notitiam termini genitam ex cognitione carentiæ, esse puram apprehensionem suspensivam, & indifferentem ad assensum, & dissensum possibilitatis illius. Imò si hæc appareat ex aliquo principio falsa, non retardabitur intellectus ea apprehensione ad dissensum, sicut apprehensio existentie termini genita ex notitia evidentis carentiæ, semper determinat ad dissensum existentie ex illo principio; idem non potest simul esse, & non esse.

Sexta obiectio ex impossibilitate carentie Trinitatis euidenter cognoscibili.

27. Obijcies sextò, carentia Trinitatis potest lumine naturæ cognosci euidenter impossibilis: ergo Trinitas possibilis. Patet consequentia, quia vel debet esse possibilis terminus, vel eius carentia, cum contradictoriè opponantur: ergo si carentia Trinitatis sit euidenter impossibilis, Trinitas erit euidenter possibilis: hæc est ens supernaturale: ergo potest ens supernaturale euidenter cognosci actu naturali. Antecedens probatur, quia carentia Trinitatis, quippe implicans existere, est ens rationis; ergo, & ens naturale, cum nullum ens supernaturale sit falsum, & fictum, sed bonum, integrum, & perfectum, scilicet pertinens ad ordinem gratiæ, & genus perfectissimum entis.

Communis Recentiorum solutio trinitata.

28. Respondere posset aliquis, impossibilitatem carentiæ Trinitatis, quantumvis naturalem, non posse cognosci, nisi per species termini, qui cum supernaturalis sit, etiam cognitio illum exigens, debet esse supernaturalis. Hæc tamen responsio reiecta iam est ex dictis, ubi ostendimus, possibilem

Disp. XIV. *Cognoscib. entis superni.* Sect. II. 497

possibilem speciem impressam carentiæ existentiae Incarnationis in se, & possibilem naturalem Dei locutionem illam manifestantem. Cur ergo pariter possibilis non erit species impossibilitatis carentiæ Trinitatis in se ipsa, & locutio Dei naturalis illam manifestans, si ea impossibilitas intrinsecè naturalis sit; si autem dicas illam carentiam esse fictam, ideoque implicare propriam illius speciem, non solues argumentum, quia non contendit obiectio speciem illam producendam esse ab obiecto, vnde implicare posset, sed à Deo infundendam, sicut possint alia species, quæ ab obiecto minimè producuntur, & saltem locutio Dei naturalis non impeditur impossibilitate obiecti, sicut nec cognitio: ergo poterit illam Deus creaturæ manifestare; sicut posset alia obiecta naturalia, in quo nulla assignabilis videtur implicantia. Nec video vnde implicet cognitio, & species entis ficti in se, cum Deus illam cognitionem habeat in communi Philosophia: ergo si ens sit naturale, non implicat species, & cognitio naturalis; si autem implicat species, & cognitio naturalis, eo ipso supernaturalis erit, eiusque cognoscibilitas superabit naturæ totius connexionem.

29. Respondeo igitur, negans antecedens. Ad probationem dicito, impossibilitatem carentiæ Trinitatis simpliciter, & absolutè, neque esse ens naturale, neque supernaturale, cum nihil sit, neque esse possit; cum autem id non obstet quominus cognosci possit. Respondeo, eam cognoscibilitatem reduci ad ens supernaturale, & superare naturæ totius connexionem, quia superat naturæ totius principia, maximè, illud: *quæ sunt eadem vni tertio, &c.* cuius oppositum euidenter infertur ex impossibilitate carentiæ Trinitatis euidenter penetrata.

30. Obijcies septimò, potest dari cognitio naturalis probabilis de obiecto superno re ipsa possibili, aut existente, vt constabit infra: ergo veritas huiusmodi cognitionis naturalis poterit actu naturali euidenter cognosci, & similiter falsitas actus oppositi; cognita autem euidenter veritate, aut falsitate actus naturalis de obiecto superno, euidenter

Cognoscibilitas impossibilitatis carentiæ Trinitatis ad ens supernum referenda.

Septima obiectio sumpta à cognitione probabili de obiecto superno, eiusque veritate.

denter cognoscendum quoque est ens supernum re ipsa possibile, vel existens: ergo &c. Minor probatur. Tum quia veritas cuiusvis actus, etiam naturalis, verbi gratia, visio, Trinitas, aut gratia est possibilis, vel existens, connectitur cum possibilitate in re, aut existentia visionis, Trinitatis, aut gratiæ. Tum etiam quia ut veritas, aut falsitas cuiusvis actus naturalis evidenter cognoscatur, evidenter quoque cognoscendum est, utrum objectum ita in re sit, vel non sit, ac asseritur ab actu, quamdiu enim id lateat, veritas quoque actus, & similiter falsitas latebit: ergo ut veritas cognitionis probabilis de possibilitate aut existentia objecti superni evidenter cognoscatur, evidenter possibilitas, aut existentia objecti in re cognoscenda est, idemque erit de falsitate actus oppositi.

Nec veritas, nec falsitas actus naturalis de objecto superno, potest actu naturali evidenter cognosci.

31. Respondeo concedens antecedens, & negans consequentiam. Ratio est quia tam veritas actus probabilis asserentis, visio, aut gratia existit, quam falsitas actus negantis existere; connectitur, aut includit aliquid supernum, scilicet objectum in re possibile, aut existens, quod cum superet totius naturæ connexionem, eam quoque ratione illius superant, tam veritas, quam falsitas. Idemque dicendum de libertate actus naturalis voluntatis, si includat aliquid supernum, quod definire, non est præsentis instituti.

SECTIO III.

Singularibus pro visione objectionibus satisfi.

32. **D**ari posse naturalem demonstrationem possibilitatis visionis; imo de facto existere tuentur Scotus, Vasquez, & Arrubal apud Ripaldam disp. 10. sect. 1. num. 4. Diversis tamen in eundem scopum trahuntur fundamentis. Quare opportunum duxi objectionibus, inferere propriam uniuscuiusque demonstrationem.

33. Obijcies

Disp. XIV. Cognoscib. entis superni. Sect. III. 499

33. Obijcies ergo 8. pro Scoto : Deus continetur intra objectum adæquatum intellectus creati : intellectus autem creatus cognoscere potest objectum, ditione, aut Sphera sua contentum cognitione perfecta, eumque fatiante: ergo visione beata, cuius est intellectum vsque ad satietatem explere : hic autem discursus est demonstratio : ergo. Minor probatur, Quia in primis major est evidens ; deinde etiam minor, nam si intellectus creatus non posset cognoscere obiectum intra suam spheram contentum cognitione perfecta, eumque fatiante ; neque esset perfectus in intelligendo : est autem perfectus : ergo.

Octava ob-
jectio Scoti,
quam demō-
strationem
esse conten-
dit.

34. Respondeo hunc Scoti discursum longè positum esse à legibus demonstrationis. Minor enim illius evidens non est, sed ad summum probabilis, etenim si nomine cognitionis perfectæ, & intellectum satiantis, veniat visio beata, cum hæc supernaturalis sit, quoque esse debet supra omnem naturæ connexionem, & consequenter supra omnem cognitionem naturalem certam, & evidentem, utpote cum objecto connexam. Neque probatio intentum euincit, quia evidens non est, stando viribus naturæ intellectum creatum tantæ esse perfectionis, ut generare possit cognitionem integrè explentem illius capacitatem; hæc enim veritas tantum probabiliter inter actus naturales circumfertur.

Scoti funda-
mentum in
quo deficiat
à legibus de-
monstratio-
nis.

35. Instabis, reliquæ potentia inferiores possunt intueri suum objectum, idque est evidens : ergo similiter intellectus poterit intueri Deum, idque erit evidens. Retorqueo; potentia inferiores possunt intueri sua objecta actu naturali : ergo & intellectus poterit intueri Deum actu naturali, id autem dici non potest, ut constabit infra: paritas ergo illa segura non est. Hinc prompta nobis est disparitas, etenim actus intuitiui potentiarum inferiorum sunt naturales, ideóque non superant naturalem euidenciam ; si autem inquiras, cur possibilis non sit naturalis intuitio Dei; cum tamen possibilis sit potentiis inferioribus intuitio naturalis sui objecti, infra disp. 4. sect. 2. Controversia agitanda est, & dirimenda.

Instantia po-
tentiarum
inferiorum
sua objecta
intueri va-
lentium.

36. Obijcies 9. pro Vasquio illud cuius desiderium insitum est naturæ rationali, est possibile: insitum est naturæ rationali desiderium videndi Deum: ergo visio Dei est possibilis. Huius autem discursus vtraque præmissa est naturalis evidens: ergo & conclusio. Minor probatur, quia natura nihil frustraneum, aut impossibile desiderat: ergo illud cuius desiderium insitum est naturæ, est euidenter possibile. Tum etiam quia homo, visis effectibus naturalibus, naturaliter desiderat intueri causam: ergo evidens est insitum esse naturæ rationali desiderium videndi Deum.

37. Respondeo, neque hunc Vasquij discursum, quantumuis probabilem, pertingere demonstrationis metas; etenim sicut desiderium naturale videndi Deum non pendet à cognitione euidentis possibilitatis visionis, aliter antecedenter ad illud innotesceret euidenter possibilitas visionis, sed tantum pendet à cognitione probabili; ita dicimus, ipsummet desiderium non pendere nec connecti cum visione reipsa possibili, sed tantum cum illa quatenus possibili probabiliter apprehensa, vnde ex eo desiderio naturali inferri non potest visio reipsa euidenter possibilis, sed tantum possibilis apprehensa.

38. Obijcies decimò: pro Arrubal, quod ex nullo capite apparet impossibile, est euidenter possibile: visio autem Dei ex nullo capite apparet impossibilis: ergo est euidenter possibilis. Maior est evidens: quia illud est possibile, quod ex nullo capite repugnat. Minor probatur, quia si ex aliquo capite visio appareret impossibilis, maximè quia obiectum infinitum reddere deberet visionem ipsius infinitam, id autem falsum est, nam amor Dei in se ipso attingit immediatè obiectum infinitum, nec tamen infinitus est: ergo.

39. Respondeo, discursum istum demonstrationem non esse. Nam in primis maior dubia est, & fortè falsa; licet enim res ex nullo capite nobis appareat impossibilis, potest tamen reipsa impossibilis esse; sicut è contra, stando luminaturæ, Mysterium Trinitatis ex nullo capite appareret possibile;

Nona obiectio ex insitum naturali desiderio videndi Deum.

Qualiter ex tali desiderio inferatur possibilitas visionis.

Decima obiectio P. Arrubalis, eo quod visio non appareat impossibilis.

Disp. XIV. *Cognoscib. entis superni.* Sect. III. 501

possibile; nec tamen re ipsa esset impossibile. Ex eo igitur quod res aliqua ex nullo capite nobis appareat impossibilis, solum infertur, negandam non esse illius possibilitatem; non autem sequitur, esse euidenter possibilem; ad id enim opus est, vt euidenter constet rem illam ex nullo capite implicare: actibus autem naturalibus constare non potest euidenter, visionem ex nullo capite implicare. Vnde minor illius discursus, si naturalis sit, euidens esse non poterit, sed tantum probabilis. Nec paritas illa amoris Dei firma est, nam si sermo sit de amore beato, eadem est de illo, & de visione, difficultas; si autem sermo sit, non de beato, sed de amore in via, cum imperfectus sit, & genitus ex notitia abstractiua Dei in creaturis naturalis erit; ideoque intra naturalem euidenciam. Visio autem, & amor beatus intuitiui, superni sunt, & per consequens supra omnem naturam totius euidenciam.

40. Instabis, quod non est euidenter impossibile, est euidenter possibile; visio autem beata non est euidenter impossibilis; ergo est euidenter possibilis. Non est momenti instantia. Nam Trinitas, stando lumini naturæ, non est euidenter impossibilis, cum re ipsa sit possibilis, nec tamen est euidenter possibilis. Insuper obiectum probabiliter tantum possibile, nec est euidenter possibile, nec impossibile. Maior ergo illa falsa est.

41. Obijcies vndecimò, pro eodem Arrubal. Euidens est, posse Deum producere aliqua, quæ superarent totam naturam connexionem: ergo euidens quoque est, posse intellectum creatum ad visionem agendam eleuare. *Respondeo*, negans antecedens, tantum enim est probabile actibus naturalibus.

Vndecima obiectio eiusdem Arrubalis.

42. Obijcies vltimò, euidens est posse Deum condonare hominum offensas, sicut possunt alij legislatores: condonatio autem inuoluit aliquid supernum, videlicet infusionem gratiæ: ergo poterit ens supernaturale intra euidenciam naturalem contineri: ergo etiam visio. *Respondeo*, maiorem veram esse de condonatione extrinseca, in qua nihil supernum inuoluitur, ex suppositione quod illa sit

Vltima obiectio ex condonatione peccati.

SECTIO IV.

An possit ens supernaturale probabiliter ante reuelationem cognosci?

Quid veniat
nomine re-
uelationis in
præsenti.

43. **N**omine reuelationis intelligitur, non sola diuina loquutio, sed principia etiam, & media superna ad notitiam entis superni conducentia. Difficultas ergo est, an ante reuelationem possibilis sit saltem de potentia absoluta, iudicium probabile naturale de obiecto superno, idest innixum motiuis illius possibilitatem, vel existentiam probabiliter suadentibus; & quidem post reuelationem possibile esse, etiam circa Mysterium Trinitatis, tenent communiter Doctores, nam ab extrinseco autoritas Conciliorum, Patrum, & tot Doctissimorum virorum superabundans est motiuum, & ab intrinseco signa credibilitatis, & omnia argumenta tota hac disputatione præmissa sufficiens sunt fundamentum ad notitiam probabilem generandam: Querimus ergo, an etiam possibile sit tale iudicium, nullo præexistente vel possibili medio, aut principio superno.

44. Communis sententia negat tale iudicium esse possibile ante reuelationem circa Mysterium Trinitatis. An idem consequenter dicendum sit de Incarnatione prout de facto, & quolibet alio ente superno non explicat.

Possibile est
ante reuelationem
iudicium naturale
probabile de ente
superno.

45. Affero tamen, possibile esse tale iudicium ante reuelationem, etiam circa Mysterium Trinitatis, Incarnationis, & consequenter circa quodlibet ens supernum. Probatum efficaciter, quia assensus probabilis, etiam Mysterij Trinitatis, haberi potest post reuelationem: ergo & ante illam. Antecedens est Aduersariorum. Consequentia probatur, nam assensus probabilis, etiam Mysterij Trinitatis, post

post reuelationem, & signa credibilitatis habitus, non pendet essentialiter à reuelatione reipsa possibili, aut existente, neque tanquam à principio, neque tanquam ab obiecto, aliter superna esset, vt abundè constat ex dictis: ergo potest existere independenter à reuelatione reipsa possibili, vel existente, res enim sine illo, à quo non dependet, existere valet, vt est omnibus indubitatum. *Confirmatur.* Virtus productiua assensus probabilis, & post reuelationem possibilis, potest euidenter cognosci ab angelo, cum naturalis sit, sicut ipse assensus, vel Deo infundente speciem naturalem, vel vt Authore naturæ virtutem illam reuelante: ergo in ea euidenter posset angelus cognoscere possibilem assensum probabilem: nihil autem istorum pendet essentialiter à reuelatione reipsa possibili, aut existente: ergo possunt omnia ante reuelationem existere: id est, etiamsi non esset existens, aut possibilis reuelatio.

46. Respondent aliqui assensum probabilem circa Trinitatis Mysterium pendere à reuelatione, tanquam remouente prohibens, quamuis non dependeat ab illa reipsa possibili, vel existente, tanquam à principio, aut obiecto.

Contra: vel assensus probabilis de Mysterio Trinitatis, aut cuiusuis alterius pendet essentialiter à reuelatione reipsa possibili aut existente, tanquam remouente prohibens, vel non? Si primum: ergo connectitur essentialiter cum reuelatione reipsa possibili, aut existente; atque adeo supernuserit, cum nihil naturale eam connexionem habere possit, vt ex dictis constat. Si secundum: ergo potest de potentia absoluta existere assensus probabilis de Mysterio Trinitatis, & cuiusuis, absque reuelatione reipsa possibili; aut existente, etiam quatenus remouente prohibens. Nec video, cur essentialis connexio cum reuelatione reipsa possibili, aut existente, tanquam cum obiecto, aut principio arguere debeat supernaturalitatem in ente conexo, & non illam debeat arguere connexio cum eadem reuelatione quatenus remouente prohibens.

47. Obijcies. Implicat actus naturalis attingens obiectum supernaturale: ergo & assensus probabilis de obiecto super-
perno.

Responso
ostenditur
insufficiens.

perno. Antecedens probatur, nam actus connectitur cum suo obiecto, ab eoque essentialiter dependet, cum penitus implicet actus sine obiecto: ergo qui repræsentat obiectum supernaturale necessariò cum illo connecti debet, & consequenter supernaturalis futurus est: ergo implicat actus naturalis attingens obiectum supernaturale. Confirmatur, quilibet actus dicit ordinem transcendentalem ad suum obiectum: ordo autem transcendentalis est connexio: ergo dicit connexionem.

Non implicat actus naturalis attingens obiectum supernaturale.

48. Respondeo negans antecedens. Ad illius probationem distinguo antecedens: actus certus, & evidens connectitur cum obiecto re ipsa tali, quale repræsentatur ab actu, concedo: actus probabilis, subdistinguo, connectitur cum suo obiecto, vt apprehenso, concedo; re ipsa tali, quale repræsentatur ab actu, nego; & nego consequentiam. Ad confirmationem, ne vocibus discrepemus, si ordo transcendentalis sit medium infallibile inferendi terminum, esse re ipsa, modo quo repræsentatur ab actu, nego maiorem: si verò tantum sit medium cognoscendi præcisè terminum vera erit maior, sed falsa minor, & consequentia. Plura videas tract. de Trinit. disp. 1. sect. 4.



DISPUTATIO XV.

An, & quo pacto Deus à creatura videri possit?

Quid intelligatur nomine visionis.

I. **N**OMINE visionis intellige notitiam evidentem, adeo clarè, & distinctè penetrantem, quid sit Deus in se ipso, vt longè superet claritate visionem ocularem, qua lyncei oculi colores meridiana luce perfusos exprimunt, & distinguunt. Tria hac disputatione comprehendo.

Disp. XV. *Possibilitas visionis Dei.* Sect. I. 505
prehendo. Primum, an possit creatura rationalis videre Deum visione intellectuali. Secundum, an possit visione corporca. Tertium, an possit per scientiam in creatam ipsi vnitam.

S E C T I O I.

An sit possibilis creatura rationali intellectualis visio Dei?

2. **E**Rror fuit Armenorum somniantium Deum à creatura in se ipso videri non posse, sed in similitudine, aut splendore à diuinitate manante. Sicut sol videri dicitur in luce ab alto demissa. Hic tamen error multis Pontificum, & Conciliorum definitionibus castigatus est. Primò Euaristus Papa Epist. 1. apertè statuit Dei substantiam à beatis intueri, & in extrauaganti Benedictus, asserit de animabus iustorum: *videbunt diuinam essentiam immediatè.* Insuper Francofordiense: Epist. ad Episcopos Hispaniæ *predicemus* inquit: *Christum vnum Deum, & verum, & verè Filium, vt ad eius beatissimam visionem peruenire mereamur, in quo est aterna beatitudo.* Denique Florentinum sessione vlt. in decreto Eugenij docet, beatas animas clarè intueri Deum trinum; & vnum sicuti est.

Possibilitas visionis contra hereticos stabilita.

Euaristus Papa, Conciliū Francofordiense, & Florentinum.

3. Asserendum ergo est cum Catholicis, possibilem esse intellectualem Dei visionem, & de facto existentem. Probatum primò ex sacris litteris. Nam Matthæi. 5. dicitur: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* & cap. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris.* Paulus 1. Corinth. 13. *videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Eadem veritas ex scripturis firmata.

4. Secundò ratione probatur, quia in possibilitate talis visionis, nulla apparet implicancia, vt obiectorum solutione firmabitur: ergo admittenda est possibilis. Aliunde ex

Ratione eadem veritas munita.

facris litteris colligitur existens: ergo visio beata possibilis est, & etiam existens. Confirmant aliqui à paritate, quia inter animam rationalem, & verbum diuinum, non obstante infinita eorum distantia, stat sufficiens proportio, vt anima rationalis possit illi physica vnione coniungi: ergo similiter erit sufficiens proportio, vt anima rationalis possit verbo diuino intentionaliter vniri per visionem eius intellectualem, non obstante infinita eorum distantia.

5. Hæc tamen paritas, cui tranquillo animo fidunt Recentiores mihi secura non est, nam si ex proportione ad physicam vnionem cum Deo legitimè deduci posset proportio ad visionem eiusdem Dei: igitur ex proportione naturæ irrationalis cum Deo ad physicam vnionem, quàm possibilem admittit communis Theologia, deduci posset proportio eiusdem naturæ irrationalis ad videndum Deum, quod merito ab omnibus repudiatur: ergo proportio ad physicam vnionem cum Deo, sufficiens non est ad inferendam proportionem ad eiusdem Dei visionem. Specialis ergo ratio seorsim à proportione ad physicam vnionem pro capacitate videndi Deum statuenda est; quænam autem ista sit, constabit, tum ex solutione argumentorum, tum etiam ex repugnantia visionis materialis Dei infra subiicienda.

Patrum, &
Scripturæ te-
stimonia de-
clarata.

6. Obijcies primò, aliquæ Scripturæ, & Patrum testimonia, in quibus dicitur Deus inuisibilis à creatura. Prima ad Timotheum 1. dicitur. *Regi autem seculorum immortalis, inuisibilis, & cap. 6. qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus homo vidit, sed nec videre potest.* Respondeo hæc, & alia testimonia intelligenda esse, vel de visione corporea, vel de comprehensiuâ, aut de lege ordinaria in statu viatoris.

Proportio
inter poten-
tiam, & ob-
iectum obie-
cta.

7. Obijcies secundò, inter potentiam, & obiectum debet intercedere proportio: nulla autem reperitur proportio inter Deum, & intellectum creatum: ergo iste incapax est videndi Deum. Minor ostenditur, nam inter Deum, & intellectum creatum interiacet infinita distantia: ergo nulla datur proportio. *Confirmatur*, maior distantia stat inter Deum,

Disp. XV. *Possibilitas visionis Dei*. Sect. I. 507

Deum, & intellectum creatum, quàm inter sonum, & potentiam visiuam; distantia autem inter sonum, & potentiam visiuam arguit improportionem inter utrumque: ergo potiori titulo infinita distantia inter Deum, & intellectum creatum, arguet improportionem istius ad videndum Deum. Hoc tamen argumentum nimis probat, non enim solum conuinceret impossibilem esse visionem Dei creatam, sed etiam quamcumque cognitionem, & amorem Dei.

8. Respondeo igitur distinguens maiorem, inter potentiam, & obiectum debet intercedere proportio in perfectione entitativa, seu physica, nego, in habitudine, & capacitate potentiae cognoscitivae, & obiecti cognoscibilis, concedo. Similiter distinguo minorem inter Deum, & intellectum creatum, nulla est proportio in perfectione entitativa, aut esse physico, concedo; in habitudine, & capacitate potentiae cognoscitivae, & obiecti cognoscibilis, nego; & nego consequentiam. Ad probationem concessio antecedente, nego consequentiam, quia distantia infinita inter Deum, & intellectum creatum, sicut non impedit proportionem, & conuenientiam in ratione entis, ita nec proportionem potentiae intellectivae, & obiecti cognoscibilis, seu intelligibilis, ad quam sufficit conuenientia in ratione entis, quam transcendit verum, quae est ratio formalis intellectus, aliter enim Deus non solum inuisibilis esset à creatura, verum etiam à nullo cognoscibilis.

Declaratur
proportio
necessaria
inter potentiam & obiectum.

9. Hinc patet dispar confirmationis ratio, nam visivae potentiae formalis ratio solus est color, & lux; sonus autem neque est color, neque lux, ideoque incapax ut videatur, at Deus est ens, & consequenter verum, ideoque cognoscibile ab intellectu creato, cuius ratio formalis est omne verum, sicut omnis color est obiectum potentiae visivae, & omnis sonus auditivae.

10. Obijcies tertio, Deus in se videndus est extra obiectum adaequatum intellectus creati: ergo iste incapax est videndi Deum, nulla enim potentia extra obiectum illius adaequatum vagari potest. Respondeo, distinguens anteceden-

Deus in se
videndus, nō
est extra
spheram in-
tellectus su-
pernaturaliter
adiuti.

dens, est extra obiectum adæquatum intellectus creati suis viribus relictus, concedo, supernaturaliter adiuti, nego; & similiter distinguo consequens, est incapax propriis suis viribus relictus, concedo; supernaturaliter adiutus, & eleuatus, nego.

11. Instabis nulla potentia valet etiam supernaturaliter eleuari ad percipiendum obiectum, quod est extra illius adæquatam spheram connaturalem, sic quia sensus est extra spheram adæquatam naturalem potentia visuæ, ista nec supernaturaliter eleuari potest ad videndum sonum; Deus autem in se videndus, est extra spheram adæquatam naturalem intellectus creati: ergo iste nec supernaturaliter eleuari potest ad videndum Deum.

Vnde intellectus eleuari possit ad videndum Deum?

12. Respondeo distinguens maiorem, si tale obiectum sit extra spheram adæquatam naturalem potentia respectu omnis illius actus naturalis, concedo; si tantum sit respectu alicuius, nego; & concessa minori, nego consequentiam; quia licet Deus respectu visionis beatae sit extra spheram adæquatam naturalem intellectus creati, non tamen est extra spheram adæquatam naturalem respectu omnis actus, nam Deus vnus attingitur euidenter abstractiuè à creatura actu naturali, & vt Trinus attingi potest actu probabili, vt supra ostendimus. Sonus autem nullo actu naturali attingitur à potentia visuæ, ideoque neque supernaturaliter ad illum videndum eleuari potest. Ratio omnium est, quia obiectum, quod valet aliquo actu naturali attingi, absolutè non est extra adæquatam illius naturalem spheram, sed intra. Vnde improportio ad aliquem specialem actum suppleri potest. Idcirco, licet Deus, vt videndus, siue respectu visionis, sit extra spheram intellectus creati, quia tamen aliquo actu naturali attingi potest, inde quoque eleuari potest ad visionem beatam, sicut eleuatur ad alios actus supernos.

Cur ex obiecto simpliciter infinito non euadat visio simpliciter infinita,

13. Obijcies quartò, impossibilis est visio creata Dei simpliciter infinita: omne enim creatum finitum est: talis autem esset visio beata, scilicet simpliciter infinita, si possibilis esset: ergo possibilis non est. Minor probatur. *Primò*, quia

Disp. XV. Possibilitas visionis Dei. Sect. I. 309

quia visio illa specificaretur ab obiecto simpliciter infinito. *Secundò*, quia, quò perfectius est obiectum, eò cæteris paribus perfectior est cognitio; obiectum autem visionis beatæ, scilicet Deus, esset simpliciter infinite perfectum: ergo & visio. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem, cuius prior probatio nulla est; actus enim non specificantur intrinsecè ab obiecto, sed à respectus, quem dicunt ad obiectum, sicut ergo cognitio solis, aut substantiæ, sol non est, neque substantia; ita neque cognitio obiecti simpliciter infiniti, simpliciter infinita erit. Et ratio est, quia creata differentia ab intrinseco limitationem importat. Neque secunda probatio calculatoria, quamuis semper molesta, robustior est. Nam vt aliqua cognitio euadat simpliciter infinita in ordine ad obiectum, opus est, vt ex parte potentiæ minimè limitetur, finitas enim, vel infinitas obiecti, nec est sufficiens, nec necessaria; tam enim infinita est scientia diuina obiecti finiti, quàm infiniti; quia ex parte potentiæ nulla est limitatio; ex parte autem intellectus creati stat limitatio, vtpotè finiti; ideoque nullus illius partus, etiam circa obiectum simpliciter infinitum, prodire valet simpliciter infinitus.

14. Instabis, visio beata superaret perfectione infinitas species cognitionum substantialiter inæqualium, quarum vna esset perfectior alia, & alia ista, & sic sine termino: ergo visio beata vtpotè superans infinitas cognitiones, alias aliis meliores, infinita esset. *Respondeo*, concessa antecedente, negans consequentiam. Nam vt aliquod ens simpliciter infinitum sit, satis non est, superare alia infinita entia substantialiter inæqualia; sed necessarium est, modo infinito superare, aliter homo, & angelus superantes infinitas species inæquales infra se contentas, infiniti in perfectione essent.

15. Sed instabis iterum, cognitio superans perfectione, aliam cognitionem, est perfectior illa; quod si cognitio superata sit perfecta vt vnum, cognitio superans perfecta debet esse saltem vt duo: Insuper superans perfectione cognitionem perfectam vt duo, debet esse perfecta saltem vt tria,

Superare infinitas species cognitionum inæqualium non facit est, vt visio euadat infinita.

Eiusdem calculationis instantia robustior.

& sic de aliis: ergo cognitio superans perfectione cognitiones infinitas inæquales, debet esse infinite perfecta; visio autem superat cognitiones infinitas inæquales infra se possibiles: ergo erit infinite perfecta. Hoc argumentum fallax est, utpotè probans, quamlibet cognitionem, imò, & creaturam infinitam esse, cum nulla sit, quæ infra se non contineat infinitas species inæquales in perfectione. Nam, ut ostendi in Physicis, possibilis non est creatura omnium summa, vel infima in perfectione substantiali.

16. Respondeo igitur, concessio antecedente, negans consequentiam. Ratio est nam omnia creata, quamuis intentione, extensione, & numero possint esse infinita; non verò in perfectione substantiali; hæc enim finita est in omnibus, tam collectivè, quàm divisiuè, quia creata sunt. Inde ut series aliqua infinita rerum inæqualium superetur, necessaria non est perfectio infinita, sed sufficit finita melior, qua ratione visio superat infinitas cognitiones inæquales infra se contentas, sicut angelus, & homo superant infinitas species inæquales sub se contentas; sicut ergo angelus & homo infiniti inde non sunt, ita nec visio.

S E C T I O II.

An possibile sit creaturam videre Deum per scientiam increatam?

17. **T**Ota huius controverſiæ resolutio petenda est ex his, quæ in libris de anima pro actu vitali statuta sunt: Suppono ergo ex ibi traditis, actum vitalem esse perfectionem ab intrinseco essentialiter ad communicandum suum effectum formalem fieri, & intrinsecè manere in principio à quo fit. Dixi ad communicandum suum effectum formalem, quia ad præcisè existendum à parte rei, vel in subiecto aliquo, necessarium non est fieri, & recipi in illo, inde expuli à ratione actus vitalis nutritionem, quia vnio materiae

Statui questionis necessaria præmittuntur.

Disp. XV. Possibilitas vnionis Dei. Sect. II. 511

materiae alimenti cum materia praesistente, in quo stat nutritio, eadem persisteret, si ab extrinseco agente, nempe Deo, vel angelo, materia alimenti applicaretur praesistenti, cum ad existentiam vnionis ex parte extremorum sola indistantia requiratur. Idcirco solas tendentias intentionales docui esse actus vitales.

18. Difficultas est. An possibile sit creaturam rationalem, verbi gratia angelum, vel hominem videre Deum per scientiam increatam illi vnitam, sicut possibile est naturam angelicam, vel humanam subsistere per subsistentiam increatam illi vnitam. Dixi *possibile* nam de facto nullum beatum videre Deum per scientiam increatam ipsi vnitam, adeo certum est, vt oppositum iudicent aliqui haereticum, alij temerarium, & improbable alteri. Nec instruitur controuersia circa possibilitatem vnionis scientiae diuinae cum intellectu creato; haec enim pugna alterius est palaestrae. Quare vt nostrae disputationi detur locus, permittenda est possibilis.

Punctum controuersiae declaratum.

19. Prior ergo sententia affirmat possibile esse, beatum videre Deum per scientiam increatam sibi vnitam. Tenent hanc aliqui Recentiores. Imò Ioannes de Neapoli, Ioannes de Ripa teste Capreolo in 3. distinct. 14. quaestio. 1. Hugo de Sancto Victore opusculo de anima, & eius scientia, existimant, de facto humanitatem Christi videre Deum per scientiam increatam. Negantque Ripa, & Hugo humanitati creatam scientiam, vt ostendit Aldrete de Incarnatione disp. 61. sect. 1. *Secunda*, & communis ferè omnium sententia negat possibile, beatum videre Deum per scientiam increatam. Ita Soarius tomo primo in tertiam partem, disput. 24. sect. 2. quem sequuntur communiter Recentiores, quamuis tamen omnium negantium vna sit mens, non tamen eadem ratio.

Sententiae Doctorum, & qui negauerunt humanitati Christi scientiam creatam.

20. Assero primò, secundam sententiam esse veram. Probant aliqui primò. Quia cognitio diuina, quidquid sit de creata, essentialiter est alligata, non solum suo obiecto, quod exprimit, sed etiam proprio suo intellectui diuino, qui obiectum repraesentat: ergo sicuti cognitio diuina semel

Creatura videre Deum non potest per scientiam increatam.

unicum.

vnicum tantum obiectum representans, non valet imposterum illud, & aliud representare; ita nec semel vni intellectui representans, poterit illi, & alteri representare.

Ostenditur
non obstare
alligationē
cognitionis
ad potentiā
suam.

21. Sollidum mihi non est fundamentum istud; etenim non minus ligatur substantia increata naturæ diuinæ, quàm scientia increata intellectui diuino, vtraque enim ligatur per identitatem: id tamen non obstat quominus substantiæ increata semel complens naturam, vltterius vniatur naturæ creatæ, eamq; reddat completam, & subsistentem: ergo neque determinatio scientiæ increatæ ad intellectū diuinū obstabit, quominus scientia increata vniatur intellectui creato, eumque denominet cognoscentem. Nec paritas sumpta ab obiecto ad potentiam est momenti. Tum quia in creatis inuariabilibus obiectis, potest eadem cognitio variare potentias. Tum etiam quia quælibet cognitio per se ipsam est obiecti expressio, vnde vel semper, vel nunquam debet obiectum representare; At per se ipsam non denominat intellectum creatum cognoscentem, sed media vnione physica, vnde si ista de nouo producat, poterit etiam de nouo consurgere denominatio cognoscentis.

Neque ob-
stat scientiā
diuinam nō
esse formam.

22. Probant aliqui secundò, quia intellectus creatus non potest denominari cognoscens, nisi à cognitione, quæ sit forma: intellectio autem diuina non potest esse forma: ergo neque ab illa poterit intellectus creatus intelligens denominari. Infirmum etiam est fundamentum istud, nam increatis sicut est forma cognitio, ita etiam substantia, & tamen natura creata potest denominari subsistens à subsistentia increata, quin ista sit forma: ergo à scientia increata poterit intellectus creatus denominari cognoscens, etiam si forma non sit scientia diuina, si nulla aliunde suboriatur implicancia.

23. Probant alij tertio, quia si beatus Deum intuitiue cognosceret per increatam Dei scientiam sibi vnitam, comprehenderet Deum, sicut Deus se ipsum per eam scientiam comprehendit: id autem repugnat creaturæ: ergo, &c. Sequela probatur, quia scientia Dei increata est comprehensio ipsius Dei: ergo vnita beato, sicut redderet

deret illum videntem, & cognoscentem Deum, ita & comprehendentem.

24. Efficax non est fundamentum istud. *Primo*, quia, si-
cut scientia diuina est cognitio, & comprehensio Dei, ita Neque fieret beatorum Deum, quamuis scientia diuina comprehensio sit. personalitas Verbi est relatio, & subsistentia; & tamen vnita humanitati denominat illam subsistentem, quin denominet relatum: ergo pariter scientia diuina vnita intellectui creato posset illum denominare cognoscentem, quin denominaret comprehendentem; tam incapax enim est intellectus creatus effectus comprehendi Deum, quam humanitas effectus relatæ; & ad communicationem effectus formalis capacitas subiecti necessaria est. *Secundo*, quia, licet subsistentia Verbi sit sanctitas simpliciter infinita, tamen vnita humanitati, non denominat illam simpliciter infinite sanctam, vt ostendi de Incarnatione, & fatentur præcedentis fundamenti Patroni. Insuper licet eadem subsistentia Verbi sit valoris simpliciter infiniti, non tamen denominat Christi merita valoris simpliciter infiniti, vt tenet Aduersarius: ergo licet scientia diuina sit Dei comprehensio, non ideo denominabit intellectum creatum comprehendentem, quia applicatio creata illius scientiæ improporcionata est; sicut applicatio verbi respectu meriti humanitatis est etiam improporcionata, & insufficientis ad tribuendam humanitati denominationem simpliciter infinite sanctæ.

25. Dices, beatos per eam scientiam videre omnia, quæ videret Deus, & tanta claritate, quanta Deus ipse: ergo comprehenderet Deum. Permissio antecedente, nego consequentiam, quia non viderent tanta perfectione, quanta Deus, Deus enim videret per scientiam magis sibi intrinsecam, vtpotè identificatam, quam intellectus creatus, qui tantum videret per scientiam sibi vnione distincta coniunctam. Insuper Deus videret per scientiam sibi connaturalissimam; intellectus verò creatus per scientiam sibi indubitam, eiusque capacitatem etiam in genere intellectiuo simpliciter infinite superantem. Denique videret Deus per scientiam increatam absque vlla limitatione ex parte intellectus,

tellektus, secus verò creatura. Idcirco Deus cognosceret obiectum quanta perfectione cognoscibile est, in quo stat comprehensio, secus verò intellectus creatus. Dixi permissio antecedente, quia fortè intima applicatio auget cognoscenti claritatem, sicut, maiori applicatione lucis, clarior obiecti visio generatur.

Vnde reputet creaturam videre Deum per scientiam in creatam?

26. Probanda est ergo conclusio communi, & solido fundamento, quia nullum intelligens potest percipere obiectum nisi per intellectionem, quam habeat ab intrinseco; intellectus autem creatus non potest habere ab intrinseco cognitionem increatam: ergo neque intelligere per illam. Maior certa videtur, nam intelligere est vivere, vivere autem est habere perfectionem ab intrinseco, id est exigentem essentialiter, ad communicandum effectum formalem, produci, & recipi in eodem principio. Minor etiam est certa, nam cognitio diuina, nec produci potest, nec recipi in intellectu creato: ergo neque potest esse ab intrinseco respectu illius.

Scientia diuina non potest esse ab intrinseco respectu intellectus creati.

27. Obijcies primò, forma communicata subiecto apto tribuit illi suum effectum formalem: scientia autem diuina potest per vnionem intellectui creato communicari, & hic aliunde est capax ad intelligendum: ergo denominaretur intelligens per scientiam increatam. *Respondeo*, concessa maiori distinguens secundam minoris partem: intellectus creatus est capax ad intelligendum per intellectionem, quæ sit ab intrinseco, concedo; quæ non ita sit nego. Et nego consequentiam, quia scientia diuina non potest esse ab intrinseco respectu intellectus creati.

28. Obijcies secundò, essentia diuina potest vniri intellectui creato, eique communicare effectum speciei impressæ: ergo etiam expressæ. *Confirmatur*. Personalitas verbi vnita humanitati communicat illi effectum subsistenti; ergo etiam intellectio communicabit effectum intelligendi. Concesso argumenti, & confirmationis antecedente, nego vtriusque consequentiam. Disparitas est, quia effectus speciei impressæ, & subsistentiæ, non sunt vitales, vnde nec opus est, quod sint ab intrinseco; effectus verò intelligentis,

Di
inte
trin
inte

A

29.

tas.
mat
den
possi
spiri
sibile
nitur

30.
Doct
bius
& 2.
tenti
sect.

diuin
men
le, n
lius i
poter
const

31.
etiam
visio
ram
rialis

Disp. XV. *Possibilitas visionis Dei.* Sect. III. 515
intelligentis, utpotè vitalis, necessariò debet esse ab in-
trinseco, qualis esse non potest diuina scientia respectu
intellectus creati.

SECTIO III.

*An possibile sit creaturam videre Deum poten-
tia, aut visione materiali?*

29. **N**omine potentiaë materialis intelligo tam inter-
nas, quàm externas, tam humanas, quàm bru-
tas. Dico igitur differo. Primum, an possibilis sit potentia
materialis, quæ de potentia absoluta eleuari potest ad vi-
dendum Deum visione corporea. Secundum, an saltem sit
possibilis, quæ eleuari posset ad videndum Deum visione
spirituali. Dixi, *de potentia absoluta*: quia naturaliter id pos-
sibile non esset, tanquam tertium ab omnibus supponi-
tur.

30. *Prior* sententia absolutè affirmat, quam tenent aliqui Sententiæ
Doctorum,
S. Augustin.
P. Soarius,
P. Arriaga.
Doctores, quibus fauere videtur in hoc puncto valde du-
bibus Augustinus, præcipuè tertio contra Maximinum, c. 26.
& 2. de Trinitate, cap. 8. *Posterior* tamen, & communis sen-
tentia negat. Ita P. Soarius hîc lib. 2. cap. 6. P. Arriaga disp. 6.
sect. 1. docens potentias materiales de factò existentes, nec
diuinitus posse percipere obiectum spirituale; possibilem ta-
men esse aliquam valentem percipere obiectum spiritua-
le, nullam tamen potentem cognoscere Deum propter il-
lius infinitam perfectionem longissimè positam à termino
potentiaë materialis. *Quanti* autem momenti sit additio ista
constabit ex dicendis.

31. *Affero* primò, nullam potentiam materialem posse Nulla potè-
tia materia-
lis eleuari
potest ad vi-
dendū Deum
visione spi-
rituali.
etiam de potentia absoluta eleuari ad videndum Deum
visione spirituali. Probat^r primò, quia Deus est extra spheram
naturalem adæquatam cuiuscumque potentiaë mate-
rialis, cum per nullum actum sibi naturaliter possibilem

possit illum attingere: nulla autem potentia vitalis eleuari potest etiam diuinitus ad percipiendum obiectum extra illius adæquatam spheram naturalem constitutum: ergo neque potentia materialis eleuari poterit ad videndum Deum. Maior perspicua est ex terminis: minor autem mihi certissima, nam si semel potentia vitales eleuari possint ad aliarum obiecta percipienda, nulla maneret ratio, cur non posset eleuari visus ad videndum suum, vel illum audiendum, &c. quod ab omnibus reiicitur. Consequencia autem bona est.

Ab absurdo
ostenditur
impossibili-
tas prædictæ
elevationis.

32. Probaturs secunda nostra conclusio. Potentia materiales eleuari non possunt ad percipiendum obiectum spirituale cognitione similiter spirituali: ergo neque ad videndum Deum visione spirituali. Antecedens probatur, quia si aliqua potentia materialis posset diuinitus eleuari ad percipiendum obiectum spirituale, cognitione etiam spirituali, etiam posset eleuari ad cognoscendam honestatem, & tupidinem obiecti actu spirituali, vnde ea cognita posset appetitus eleuari ad amandum liberè obiectum honestum, amore libero, & spirituali; vel saltem posset actus virtutum moralium liberè exercere, quando omissio prohibita non esset, quibus posset plura apud Deum brutum mereri: hæc autem absurda sunt: ergo. Sequela probatur, quia si semel vna potentia materialis eleuari potest ad vnum obiectum spirituale, actu etiam spirituali percipiendum, cur ista, vel alia poterit eleuari ad obiecta, & actus earum virtutum cognoscenda, & amplectenda, si semel extra spheram vagari posset.

33. Confirmatur, nam nullus actus vitalis potest communicare suum effectum formalem potentia, quæ non sit ipsi debita, & connaturalis; sic potentia visiva, quia debita non est, & connaturalis auditioni, denominari non potest ab actu auditionis, audiens; potentia autem materialis debita non est, & connaturalis intellectiōni spirituali, vt per se liquet: ergo nec poterit ab ea intelligens denominari.

34. Assero secundò, impossibilem esse potentiam materialem,

rialem, quæ posset videre Deum visione materiali: probanda est hæc conclusio eisdem argumentis, quibus præcedens. Vterius confirmatur. Implicat sensatio connaturaliter attingens obiectum spirituale: si autem potentia materialis eleuari posset ad videndum Deum actu materiali, non implicaret sensatio connaturaliter attingens obiectum spirituale: ergo. Maior certa est, quia sensatio, siue actus materialis, quo potentia sensitiva cognosceret Deum vel quoduis aliud ens spirituale, esset natura sua expressio obiecti spiritualis, imò nullius alterius posset esse repræsentatio. Maior probatur. *Primò*, quia ens spirituale non est naturaliter sensibile: ergo neque erit possibilis sensatio, quæ id naturaliter attingat; cum solum sensibile sit obiectum adæquatum sensus, & sensationis, vt patet. *Secundò*, quia vel illa sensatio esset connaturalis alicui potentie sensitivæ, vel nulli? Si primum: ergo illa potentia materialis, non solum diuinitus, sed connaturaliter posset Deum, & alia obiecta spiritualia percipere sensatione materiali. Si secundum: ergo nulla sensatione sibi connaturaliter possibili posset Deum, aut alia obiecta spiritualia percipere: ergo sicut intellectus eleuari non potest cognitione superna ad percipiendum, quod nullo actu sibi connaturaliter possibili pertingere valet, ita nec potentia materialis eleuari poterit ad percipiendum obiectum, quod actu sibi connaturali possibili pertingere non potest.

35: Obijcies primò. Potentia actiua diuinitus eleuari potest extra spheram adæquatam, sic lapis eleuari potest ad producendum angelum, aqua in baptismo ad producendam gratiam, & intellectus creatus ad producendos actus supernaturales, quos nulla actione sibi connaturaliter possibili, vtpotè cum termino superno connexa, producere valet: ergo similiter potentia sensitiva poterit diuinitus eleuari extra spheram adæquatam naturalem sui obiecti, etiamsi nullo actu sibi connaturaliter possibili possit illud attingere. Idem confirmari potest potentia passiva eleuabili ad formas supernas recipiendas absque vlla inchoatione naturali ad illas.

Potentie materiali impossibile est videre Deum visione materiali.

Obiectio ex potentia actiua eleuabili ad quoscumque effectus.

Restriccio
elevationis
potentiæ
actiue.

36. Scio aliquos molestè ferre laxam illam potentiam obedientialem, tam actiuam, quàm passiuam insitam cui-libet creaturæ ad quoscumque effectus possibiles producendos, & quascumque formas recipiendas. Quare illam restringentes docent, ad illos tantum effectus habere creaturam potentiam obedientialem, qui suaptè natura exigunt produci à tali creatura, vel in illa recipi; esto creatura non exigat illos producere, nec recipere: sic angelus, & homo potentiam habent obedientialem ad agendos, & recipiendos actus supernaturales, quia licet angelus, vel homo eos actus non exigant producere, vel recipere; ipsi tamen actus exigunt natura sua fieri ab angelo, vel homine, in eisque recipi; quidquid tamen de his sit; quibus non facilè explicatur potentia obedientialis ad miracula patrandi, nec potentia obedientialis aquæ ad producendam gratiam, idem est de reliquis sacramentis.

Discrimē in-
ter potentiã
actiuam, &
vitalem in
ordine ad
elevationē.

37. Respondeo permissio antecedente, negans consequentiam. Disparitas est, quia dependentia à sphaera conaturali obiecti contingit potentiis vitalibus, non præcisè ratione virtutis actiuæ, & passiuæ, sed ratione vitalitatis, & virtutis perceptiuæ, quod non competit potentiæ actiuæ, aut passiuæ, præcisè vt tali, vnde nullo cogimur fundamento ad minuendam Dei potentiam, aut dominium, quominus possit vt creatura ad quoscumque effectus sibi placitos.

Possibilis est
cognitio na-
turalis pro-
babilis de
Mysterio
Trinitatis.

38. Obijcies secundò. Intellectus potest eleuari ad videndum Deum vt trinum, & tamen nullo actu sibi conaturaliter possibili potest Trinitatem cognoscere: ergo licet potentia materialis, nullo actu sibi connaturaliter possibili, possit attingere Deum, tamen poterit diuinitus ad illum videndum eleuari. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem: ostendi enim tractatu de Trinitate possibilem esse cognitionem probabilem naturalem Trinitatis: & cognitionem falsam illius naturaliter esse possibilem, conuincunt errores negantium Trinitatem.


39. Obijcies tertio. Nostra potentia visiuua diuinitus eleuari potest ad videndum colorem supernaturalem, & ta-
men

Disp. XVI. *Supernaturalitas visionis. Sect. I.* 519
men nullo actu sibi connaturaliter possibili potest illum attingere : ergo. *Respondeo*, negans maiorem, si minor vera sit. Si verò potentia visiva aliquo actu sibi connaturaliter possibili, quantumvis imperfecto attingere valeat colorem supernum, vera erit maior, sed falsa minor. Omitto alias aliorum obiectiones, quia ex dictis plana erit cuique, & facilis solutio.



DISPUTATIO XVI.

An, & unde omnis visio beata supernaturalis sit?

I.  **S**TATUTA possibilitate visionis beatae, eius supernaturalitas inquirenda est. Tria hac disputatione dirimo. *Primum*; An visio prout de facto sit supernaturalis in substantia. *Secundum*, An sit possibilis de absoluta potentia, visio Dei saltem ut vnius, quæ in substantia naturalis sit. *Tertium*, An sit possibilis substantia, aut potentia intellectiva, cui visio superna connaturalis esse possit, seu ut alij aiunt, an sit possibilis substantia supernaturalis.

SECTIO I.

An visio prout de facto superna sit, & quo pacto?

2. **E**RROR fuit Anomæorum asserentium Deum videri posse sicuti est ab intellectu creato naturaliter, ut refert Nazianzenus oratione 42. In eandem hæresim prolapsi

ERROR ANOMÆORUM DOCTRINÆ DEUM NATURALITER À NOBIS VIDERI POSSE.

lapfi sunt Begardi, & Beguinæ in Germania, qui, vt refert Clementina *ad nostrum* de hæreticis, docuerunt, quamlibet creaturam intellectualem, in se ipsa esse beatam, & ita posse consequi in hac vita beatitudinem, sicut obtinebit in futura.

Visio beata
provt de facto
superna
est de fide.

3. Vera tamen sententia fide est certa, asserens, visionem beatam, provt de facto, esse supernam, & viribus naturæ comparari non posse. Probatur primò ex Scriptura. Nam Paulus 1. ad Timotheum 6. ita scribit de Deo: *qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, id est viribus naturæ: ergo visio Dei superna est, supra totius naturæ vires. Idem inculcat ad Romanos 4. *Gratia autem Dei vita æterna*, vbi vita æterna, in visione Dei consistens, non adscribitur naturæ viribus, sed supernaturali auxilio gratiæ, necessariò ad meritum vitæ æternæ, Scripturis, Patribus, & Conciliis approbantibus. Probatur secundò ex Concilio Viennensi sub Clemente III. In quo, vt habetur in clementina citata, damnantur Begardi, & Beguinæ asserentes, creaturam intellectualem suis visibus posse, & esse beatam; Nostra ergo conclusio certa est ex fide. Firmant Patres vnanimis in hanc veritatem conspirantes, inter quos pulchrè Anselmus in illud Pauli testimonium 1. ad Timotheum 6. *lucem habitat inaccessibilem: Deus inquit inaccessibilis est viribus nostris, acceditur autem ad Deum muneribus suis*.

Ratio tradita à S. Thoma pro asserto præcedenti.

4. Cæterum in reddenda huius asserti Catholici ratione in discrepantes sensus Doctores abiire. Nam primò S. Thom. 4. contra Gentes cap. 52. & 1. 2. quæst. 5. artic. 5. & prima parte quæst. 12. art. 4. assumptum probat. Quia modus cognoscendi est proportionatus modo essendi ipsius cognoscentis, ita vt, cognoscens omnia alia, cognoscat iuxta modum suum: Pariter cognoscibilitas obiecti proportionata est perfectioni entitatiuæ ipsius: ergo quò obiectum est perfectius in entitate, seu gradu essendi, eò est perfectiori modo cognoscibile, & quò cognoscens est similiter imperfectius, eò minus perfectè cognoscit; ac per consequens, ex eo quod natura cognoscens, in modo seu gradu essendi

Disp. XVI. *Supernaturalitas visionis.* Sect. I. 52 1

essendi sit inferior obiecto cognoscibili, rectè infertur non posse tale obiectum cognosci perfectè; prout in se est ab illa natura propriis viribus ratione improportionis: sed modus essendi Dei longè excedit modum essendi cuiuscumque creaturæ intelligentis, cum Deus sit purissimus, & simplicissimus actus, sine vlla admixtione compositionis, & potentia; creatura verò intelligens habeat compositionem aliquam, & potentialitatem admixtam: ergo cognoscibilitas Dei longè superat modum cognoscendi connaturalem cuiusque creaturæ intelligenti: ergo nulla creatura potest formare proprium conceptum Dei, prout est in se, id est, videre illum clarè.

5. Hæc ratio Sancti Thomæ, quàm sequitur, & longè profequitur noster Ribas hîc disp. 2. cap. 2. cum Suario disp. 30. Metaphysicæ sect. 1. num. 13. & lib. 2. de Attributis negatiuis; displicuit Scoto in 1. disp. 3. & in 4. dist. 49. quæst. 11. Vasquez vero 1. part. circa art. 4. quæst. 12. indicare videtur eam rationem efficacem non esse circa angelum, & intellectum. Molina verò circa eundem articulum, licet probabilem censeat rationem illam; non tamen vndequaque firmã; quia si per impossibile daretur intellectus creatus, cui connaturale esset lumen gloriæ, eidem etiam esset naturale, videre Deum; & tamen modus essendi Dei longè superaret modum essendi illius intellectus: ergo excessus obiecti in modo essendi, non est firmum argumentum ad probandum, non posse naturaliter cognosci Deum prout est in se. Confirmari posset, licet modus essendi Dei longè superet modum essendi luminis, tamen istud est connaturalis causa visionis, & idem est de coniuncto ex lumine, & intellectu: ergo excessus ille obiecti non obstat, quominus visio connaturalis esse possit.

6. Dices cum Ribaz, eam proportionem non requiri inter causam efficientem visionis, quale est lumen, & obiectum; sed tantum inter potentiam intelligentem, & obiectum. *Contra*, quia natura angelica longè superat humanam in modo essendi simplici, & incomposito, & tamen potest in se ipsa ab humana potentia videri actu sibi con-

Mens Doctorum circa rationem S. Thomæ.
P. Ribas.
P. Soarius.
Scotus.
P. Vasquez.
P. Molina.

Proportio entitativa inter potentiam, & obiectum minimè necessaria.

naturali; idemque est de angelo superiori respectu inferioris: ergo neque inter potentiam intelligentem, & obiectum videndum ea proportio requiritur. *Secundò*, quia ea proportio intelligentis cum obiecto, requisita, tantum est à Theologis ad comprehensionem, vt saluetur Deus etiam de absoluta potentia à creatura incomprehensibilis: Deus autem de absoluta potentia inuisibilis non est: ergo neque ea proportio ad videndum requisita. *Tertio*, quia coniunctum ex lumine, & intellectu est principium connaturale visionis, quantumuis longè superetur ab entitatiua obiecti perfectione. Quidquid de his tamen sit.

Vnde visio
provt de facto
supernaturalis sit?

7. Probatur conclusio, quia nihil naturale creatum potest immediatè cum Trinitate connecti; imò nec mediatè: visio autem, provt de facto, reipsa cum Trinitate immediatè connectitur, cum sit evidens, intuitiva, & immediata Trinitatis expressio: ergo visio provt de facto supernaturalis est. Confirmatur, quia visio, provt de facto, est finis totius ordinis superni, ad quem obtinendum nulla merita naturalia proportionata esse possunt, sed sola supernaturalia: ergo visio in se supernaturalis est. An autem talis sit, etiam quatenus visio est unitatis Dei, constabit sectione sequenti.

Sententiæ circa modum
supernaturalitatis visionis.

8. Circa modum autem quo visio supernaturalis est, discrepant Doctores; aliqui enim docuerunt visionem esse naturalem quoad substantiam; quoad modum autem à lumine deriuatum supernaturalem. Quam Doctrinam commentitiam appellat Vasquez 1. part. disp. 47. cap. 6. num. 36. & merito, nam ille modus, vtpotè supernaturalis, distinctus esset à visione naturali; vel ergo visio penderet essentialiter ab illo, cum eaque connecteretur, vel non? si primum ergo visio non esset naturalis, sed supernaturalis in substantia, vtpotè cum ente supernaturali connexa. Si secundum: ergo visio posset existere absque illo modo, atque adeo posset haberi viribus naturæ, nam seorsim à modo illo naturalis tota esset, quod damnatum videtur in Concilio Viennensi allegato supra.

9. Nec dicas, modum illum, etiam esse naturalem, & tantum supernum

Disp. XVI. *Supernaturalitas visionis.* Sect. I. 523

supernum quoad modum. Tum quia modus ille exigit causam extrinsecè supernam, scilicet lumen gloriæ. Tum etiam quia inde fieret, visionem esse supernam in eo tantum genere, quo superna mortui suscitatio dicitur, & visus restitutio, quæ simpliciter sunt entia naturalia, & intra naturæ connexionem contenta, quod absurdissimum esset. Tum præterea quia, non est ratio cur lumen sit supernum in substantia non verò visio. Denique displicet modus iste, quia omnino superfluous est; non enim potest communicare visioni maiorem claritatem, aut immediationem in obiectum; hæc enim supponuntur ab illo, tanquam prædicata intrinseca, & inuariabilia visionis.

Visio non tantum superna quoad modum.

10. Alij autem existimarunt esse naturalem secundum conceptum cognitionis, supernaturalem verò secundum conceptum visionis Dei. Isti enim æquiocatione fortè decepti sunt, aliud enim est, conceptus communes visioni, & cognitioni naturali, quales sunt ratio qualitatis, & cognitionis non esse formaliter supernaturales, & id verum est, siue obiectivè præscindas, siue tantum ex parte actus; sicut animalitas præcisa ab homine, & leone, formaliter neque est homo, neque leo. Aliud autem est conceptus illos communes esse entia naturalia, & id falsum. Tum quia visio simul esset naturalis, & superna. Tum etiam quia conceptus communis inadæquatus identificatur realiter cum differentia visionis superna; ista autem exigit ad sui productionem causam supernam: ergo etiam conceptus ille communis eandem exiget, saltem realiter; cum seorsim à differentia produci non possit: ens autem realiter exigens causam supernam non potest esse formaliter naturale: ergo. Tum denique, quia enti naturali creato repugnat identificari conceptus supernaturalis: ergo etiam enti superno conceptus naturalis.

Nec naturalis quoad conceptus communes ipsi, & enti naturali.

11. Affero ergo secundò, visionem beatam esse quoad substantiam supernam. Id probant argumenta primæ conclusionis, & impugnationes præcedentium opinionum. Confirmatur primò, quia effectus postulans naturam suam in substantia supernaturalem, supernaturalis est quoad substantiam:

Visio beata est quoad substantiam supernaturalem.

substantiam: talis autem est visio beata, prout de facto existens: ergo, &c. Minor probatur, quia visio postulat conaturaliter oriri à lumine gloriæ quoad substantiam superno. *Secundò*, quia visio beata est princeps totius ordinis superni cognitio: inferiores autem cognitiones fidei, sunt in substantia supernæ: ergo & visio. *Tertiò*, quia necessitas luminis in substantia superni statuitur ratione visionis ad firmandam imbecillitatem intellectus, nullatenus suis viribus valentis partum adeò nobilem concipere: ergo substantia visionis est supra omnes vires intellectus creati. *Denique*, quia visio est Dei in se perfecta possessio, atque adeò exigens Deum quatenus potentem in se ipso à creatura possideri, in quo stat supernaturalitas in substantia, ut constat ex dictis disp. 13. & firmari potest possessione physica per unionem, quæ in substantia superna est.

S E C T I O II.

An visio Dei, ut vnus est, sit necessariò in substantia supernaturalis?

12. **D**ifficultas est, an sit possibilis naturalis visio Dei ut vnus, id est: immediatè, & in se attingens vnitatem Dei seorsim à Personarum Trinitate. Nec disputo, an possit vnitatem Dei videri, intacta Trinitate Personarum, sed hoc ad controuersiam supposito, inquiri, an visio, quæ solum intueretur vnitatem Dei, eo ipso necessariò supernaturalis futura sit.

13. **A**fferendum est omnem visionem Dei esse in substantia supernaturalem, etiam quæ intueretur Deum ut vnum, intacta Trinitate personarum. Probatur primò ex Scripturæ testimoniis libris sectione præcedente. Nam Paulus ad Romanos 6. nulla facta mentione Trinitatis per visionem exprimendæ ait. *Stipendia enim peccati est mors; gratia autem Dei vita aterna*, vbi omnem visionem Dei adscribit

Visio Dei
etiã vt vnus
superna ne-
cessariò fu-
tura est.

Disp. XVI. *Supernaturalit. visionis.* Sect. II. 525

scribit gratiæ, & vitam æternam comparat eum gratia, sicut peccatum cum morte: omne autem peccatum lethale possibile, est mors: ergo & omnis visio possibilis est gratia. Idem firmat 1. ad Timotheum 6. vbi Deus, qui vnicus, & pro vnitatis Deitatis supponitur, dicitur, habitare lucem inaccessibleem: lux autem supponitur pro natura diuina intelligente, sic habitus ad intellectum pertinentes dicuntur lumen fidei, & lumen gloriæ: ergo diuinitas inaccessibleis est viribus naturæ, est quam nullus videt, sed nec videre potest.

14. Probatur secundò, nam Concilium Viennense absolute damnat asserentes, posse creaturam propriis viribus videre Deum, nec hæretici ea definitione damnati distinguiebant, inter visionem naturalem vnitatis Dei, aut Trinitatis Personarum: ergo, si Concilium vtramque damnare non intenderet, meminisset sine dubio visionis Trinitatis, quam solum damnabat: ergo cum absolute statuat Deum non posse à creatura propriis viribus videri, de quacumque intelligendum est visione. Idem confirmant Patres indiscriminatim omnem beatitudinem inter dona superna referentes.

Concilium
Viennense
pro superna-
turalitate vi-
sionis.

15. Probatur tertio ratione, auulso vnico fundamento, quod huic Catholicæ veritati refragari posset. Si visio Dei, vt vnus est, posset esse naturalis, maximè, quia Deus, vt vnus, non superat immediatam creaturæ connexionem, cum actiones creaturarum immediatè cum Deo connectantur vt vno: id non obstat: ergo. Minor probatur, quia connexio illa creaturarum cum Deo oritur ex indigentia creaturæ ad existendum; cum eaque stare potest odium, & inimicitia ipsius cum Deo: connexio autem visionis cum Deo non oritur ex indigentia creaturæ ad existendum, nec cum ea stare potest peccatum, aut inimicitia cum Deo: imò ipsi debita est gratia sanctificans, & dona superna illam comitantia, & fortè ipsa visio est sanctitas excellentior gratia habituali, titulo immediatæ possessionis Dei: ergo est supernaturalis in substantia.

Supernaturalitas visionis ex gratia illi debita, & repugnantia cum peccato.

16. Confirmatur, quia non obstante connexionem imme-

diata creaturarum cum Deo, vt vno, impossibilis est connexio physica cum Deo naturalis, cui debita sit impeccabilitas, & amicitia cum Deo; idcirco impossibilis est vnio physica Dei, etiam vt vnus, cum natura humana, quæ naturalis sit: ergo similiter non obstante connexione illa immediata creaturarum cum Deo vt vno, impossibilis erit visio beata naturalis, secum trahens omnia illa dona; vnde est perfecta Dei possessio, & inde supernaturalis in substantia, vt constat ex dictis disp. 13.

Item ex altiori ordine cognitionis quæ sit actus fidei supernus.

17. Probatur quartò, quia visio Dei vt vnus est in altiori ordine cognitionis, quàm actus fidei credens, Deum esse vnum, & ad iustificationem disponens, vt non potest esse dubium: actus autem fidei est in substantia supernus: ergo & visio Dei vt vnus. Confirmatur, beatitudo est supra omnia nostra naturalia merita, vt contra Pelagianos, eorumque reliquias, stabilitum est in Conciliis: visio autem Dei, etiam vt vnus, esset perfecta beatitudo: ergo supra omnia nostra merita naturalia: non ex alio capite, nisi quia ea visio esset in substantia superna: ergo.

18. Obijcies primò, si visio Dei vt vnus, esset in substantia superna, maximè, quia esset immediata connexio cum Deo vt vno: id sufficiens non est: ergo. Minor probatur, quia actiones Dei productiuæ creaturarum connectuntur immediatè cum Deo vt vno: nec inde supernæ sunt: ergo neque visio. *Respondeo*, negans maiorem, illa enim visio non ideò præcisè à nobis asseritur superna, quia connectitur immediatè cum Deo vt vno, sed quia est perfecta possessio Dei in se, impossibilis cum eiusdem inimicitia, & cui ex natura rei debita est gratia sanctificans, illamque comitantia dona superna.

Desiderium naturale visionis non illi connectitur.

19. Obijcies secundò, potest dari desiderium naturale videndi Deum: si autem visio aliqua naturalis Dei possibilis non esset, nec possibile esset desiderium naturale videndi Deum: ergo. Minor probatur, quia desiderium naturale essentialiter fertur in rem possibilem naturalem tantum, nam supernaturalis est extra spheram potentia naturalis. *Respondeo*, negans maiorem, & ad probationem antecedens.

Disp. XVII. *Substantia supernatur.* Sect. I. 527
cedens. Ad desiderium enim naturale sufficit probabilis
apprehensio possibilitatis termini; visio autem quantumvis
superna probabilitate potest cognosci possibilis, ex qua ap-
prehensione prodire poterit desiderium naturale videndi
Deum.



DISPUTATIO XVII.

*An sit possibilis substantia, vel potentia intelle-
ctiva creata, cui visio Dei esset
connaturalis?*

I. **N**OMINE substantiæ creatæ non intel- Quid intel-
ligatur no-
mine substã-
tiæ?
ligo modalem, etenim de facto vnioni
hypostaticæ substantiali connaturalis est,
& debita visio beata; sed naturam sub-
stantialem creaturam propria substantiali terminabi-
lem, & principium physicum operationum suppositi.
Tria sub hoc titulo discernuntur. *Primum*, an sit possi-
bilis substantia supernaturalis creata. *Secundum*, an casu,
quo possibilis esset, esset etiam illi connaturalis visio
Dei. *Tertium*, an saltem possibilis sit intellectus super-
nus, cui visio Dei esset connaturalis.

SECTIO I.

An sit possibilis substantia supernaturalis creatæ

I. **P**Rior, & communis Theologorum sententia negat placita Do-
ctorum.
possibilem substantiam supernaturalem cum San-
cto Thoma I. part. qu. 12. art. 5. ad 3. quem sequuntur com- S. Thomas.
muniter

P. Soarius,
P. Molina,
P. Becanus,
P. Herize,
P. Ripalda.

munitur ferè omnes vtriusque Scholæ Doctores, Thomi-
sta, & nostri cum Suario lib. 2. de attributis negatiuis, c. 9.
Posterior sententia dubitat, nec rem omnino audeat definire
pro parte affirmante. Ita Molina 1. part. quæst. 12. artic. 5.
disp. 2. Becanus 1. part. summæ cap. 9. qu. 5. Herize tract. 4.
disp. 48. cap. 4. Ripalda tom. 1. de ente supernò tota disp. 23.
& clarius amputatis scrupulis tom. 2. disp. vltima sect. 11.
Referens Recentiores, qui in academia Salmantina, &
Complutensi hanc sententiam publicis disputationibus
aperto Marte patrocinati sunt. Aliqui tandem Recentio-
res distinguunt asserentes, substantiam supernaturalem
intelligentem impossibilem esse; secus verò, minimè in-
telligentem.

Substãtia su-
pernaturalis
creata im-
possibilis.

3. Afferendum est tamen, impossibilem esse substantiam
supernaturalem creatam. Omitto probationes ab authori-
tate, quia in hac parte libentes dant manus Aduersarij fa-
rentes stando authoritati nostram sententiam præualere;
Ratione ergo probatur primò, impossibile est substantia
naturalis rationalis creata natura sua impeccabilis: talis
autem esset substantia rationalis creata superna: ergo.
Vtraque præmissa probanda est, & vt omnis euasio Aduer-
sariis, nihil intentatum relinquentibus, præcludatur.

Substantia
rationalis
impeccabilis
prorsus re-
pugnat, nec
coniungi po-
test impec-
cabilitas cū
ente ab alio.

4. Maiorem ita probo, quia impeccabilitas in substantia
rationali est attributum proprium Dei, iuxta mentem Pa-
trum, quorum authoritatibus conuictus Ripalda, id nega-
re non audeat, tom. 1. disp. 28. sect. 8. ergo nulli creaturæ ra-
tionali competere potest. *Dices*, indefectibilitatem mora-
lem à se esse propriam Dei, non verò ab alio, quam parti-
ciparet creatura superna rationalis. Hæc tamen Theolo-
gia multis rationibus à nobis exclusæ est de essentia, & at-
tributis. Tum quia confundit attributa diuina cum attri-
butis entis à se. Tum etiam quia similiter dicendum esset,
attributa propria Dei solum esse immensitatem, æter-
nitatem, & omnipotentiam à se: vnde posset creatura
aliqua esse immensa, æterna, & omnipotens ab alio.
Sicut ergo implicat, substantiam aliquam creatam esse
immensam, æternam, aut omnipotentem, & esse ab alio;
ita

Disp. XVII. *Substantia supernatur.* Sect. I. 529

ita contendimus implicare, creaturam aliquam esse impeccabilem, seu moraliter indefectibilem, & esse ab alio.

5. Confirmatur *primò*, quia eo ipso, quod substantia rationalis in esse physico sit ab alio, est defectibilis in esse physico: ergo eo ipso quod in esse morali sit ab alio, erit quoque defectibilis in esse morali. *Secundò*, quia impeccabilitas de facto est accidens sicuti sanctitas, & cognitio: ergo sicut creatura sancta, & intelligens per naturam, id est per seipsam, est prorsus impossibilis, ita & creatura per naturam, siue per seipsam impeccabilis, impossibilis erit.

6. Iam minor illa, scilicet, creaturam illam supernam futuram impeccabilem, quam variis modis contendunt Aduersarij perturbare. Probatur, quia in primis illa creatura non posset peccare actu superno intrinsecè malo, vt fatentur Aduersarij, cum intrinseca malitia, & falsitas enti superno repugnent. Neque posset actu naturali intrinsecè malo, nam actio esset intrinsecè mala, & aliunde supernaturalis, vt potè connexa essentialiter cum principio superno: ergo neque peccare posset actu supernaturali intrinsecè malo, neque naturali similiter intrinsecè malo, cuiusuis enim actio esset intrinsecè mala, & superna. Insuper neque peccare posset actu extrinsecè malo, ex circumstantia, scilicet, loci, temporis, aut præcepti, siue actus sit positivus, siue pura omissio naturalis, aut superna; nam sunt omnes interpretatiua voluntas transgressionis præcepti: ergo superna substantia eo actu denominaretur interpretatiuè volens transgressionem præcepti; vnde posset actu positivo velle formaliter transgressionem præcepti, quod Aduersarij constantes detestantur. Sequela probatur, quia potentia, quæ interpretatiuè potest velle aliquod obiectum, potest etiam positiuè, & formaliter velle illud; obiectum enim interpretatiuum verè est intra spheram potentia, nec quaestione dempta, assignabile est obiectum interpretatiuum voluntatis, quod attingi non possit actu positivo; substantia autem superna posset interpretatiuè velle transgressionem præcepti: ergo & positiuè.

Creatura superna foret vnde quaque impeccabilis.

7. Dices, Deum per voluntatem dandi auxilium præcedentem

Instantia ex
voluntate dā
di auxilium
cū præscien-
tia conditio
nata futuri
consensus.

Nostra con-
clusio ipsa
met instan-
tia fulcitur.

dentem omne liberum exercitium voluntatis creatæ, & habitum cum præscientia conditionata futuri consensus ex tali auxilio, velle interpretatiuè consensum, nec tamen potest velle positiuè, & formaliter seruato iure creatæ libertatis: ergo possibile est obiectum interpretatiuè volitum, quod actu positiuo formaliter intendi non possit.

8. Contra tamen *primò*, quia Deus, non attento iure creatæ libertatis, potest voluntate dandi auxilium velle positiuè, & formaliter consensum: ergo illud obiectum interpretatiuum absolutè potest aliquo actu esse positiuè volitum, quod intendimus. *Secundò*, quia licet Deus ea voluntate non posset velle efficaciter consensum stante creatæ libertate; tamen voluntate in efficaci seu cōditionata, aut sufficiente potest positiuè, & formaliter velle illum: ergo nostra propositio inconcussa semper vera consistit, scilicet, quodcumque obiectum interpretatiuè volitum, posse aliquo actu positiuo formaliter intendi, cum tale obiectum non sit extra spheram potentia, vt supra expendebamus. *Confirmatur*, tota nostræ conclusionis probatio. Nam impossibilis est substantia rationalis creata perfectiori modo impeccabilis, quàm sit humanitas Christi per vnionem hypostaticam: talis autem supernaturalis substantia futura esset: ergo. Minor probatur, quia humanitas Christi redditur impeccabilis per vnionem, tanquam per donum gratuitum realiter ab ipsa distinctum, & simpliciter amissibile: substantia autem superna impeccabilis esset per naturam, impeccabilitate ab ipsa realiter indistincta, & simpliciter inamissibili: ergo perfectiori modo esset per naturam impeccabilis, quàm humanitas Christi Domini per vnionem hypostaticam.

Substantia
superna esset
sanctitas per
naturam.

9. Probatur secundò conclusio. Substantia superna esset sanctitas substantialis per naturam: id autem implicat: ergo. Minor vera est apud omnes. Maior probatur. Nam ideò gratia habitualis est intrinsecè, & natura sua sanctitas, quia est principium totius rectitudinis oppositum peccato; Inde contingit illi diuinæ naturæ participatio, & ius ad hæreditatem gloriæ: substantia autem supernaturalis
esset

Disp. XVII. *Substantia supernatur.* Sect. I. 53 I

esset principium totius rectitudinis per naturam, oppositum peccato: ergo esset sanctitas. Minor est indubitata, quia illa substantia nullam posset producere operationem pravam, vt constat ex dictis, aliunde omnes honestæ prodirent ab illa: ergo.

10. Tertiò, quia licet substantia illa superna sanctitas non esset per naturam, exigeret tamen sanctitatem iure naturali sibi debitam, sicut aquæ debita est frigiditas, quàm natura sua exigit, vt concedit Ripalda: id autem implicat: ergo. Minor probatur, quia substantia illa natura sua exigeret gratiam iustificantem, & quilibet motus gratiæ contrarius esset illi violentus, sicut quilibet motus frigiditati contrarius violentus esset aquæ: ergo motus peccati gratiæ contrarius, substantiæ supernaturali violentus esset, & consequenter impossibilis; quia motus violentus non potest esse ab intrinseco; motus autem peccati vtpotè vitalis essentialiter ab intrinseco debet esse: ergo substantia superna nullo posset peccato graui maculari, imò nec leui, quia eodem pacto exigeret visionem beatam, cui etiam peccatum veniale contrarium est.

vel saltem sanctitas esset illi debita, quod etiam implicat.

11. Confirmatur. Quia substantia illa superna deberet esse Filius Dei naturalis, id implicat: ergo. Minor certa est, quia Filius Dei naturalis eandem habere debet cum Patre naturam: illa autem substantia non haberet, vt per se patet. Maior igitur probatur, quia illa substantia esset Filius Dei: non adoptiuus: ergo naturalis; medium enim non est; sicuti medium non est inter habere eandem naturam cum Patre, & non habere, quo distinguitur filius naturalis, ab adoptiuo, nam vt ait Francofordiense in Sacrosyllabo, columna quinta, adoptiuus dici non potest, nisi qui alienus. Et Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 9. *Filius, aut per adoptionem, aut per naturam est.* Maior est certa, quia illa substantia per gratiam sibi debitam esset Deo amica, iusque habens ad hæreditatem gloriæ, quæ propria sunt Filij Dei. Minor probatur, qui filius naturalis eo differt ab adoptiuo, quod ille titulo productionis absque vlllo favore extrinseco, aut dono gratuito, ius habet ad bona Patris;

Substantia superna futura esset Filius Dei naturalis, & non adoptiuus.

adoptiuus autem non ita, sed ex fauore extrinseco, & dono gratuito: substantia autem supernaturalis titulo productionis, ius haberet ad gratiam, & consequenter ad gloriam, seorsim à quocumque fauore extrinseco, aut dono gratuito: ergo esset filius Dei naturalis.

Debita quoque illi esset carentia peccati, & gratia respectu illius gratia non esset.

12. Dices, gratiam se sola non esse ius ad gloriam, sed vna cum carentia peccati; hæc autem donum esset gratuitum respectu illius substantiæ, & fauor extrinsecus. *Contra* tamen *primò*, quia id supponit gratiam esse natura sua, compossibilem cum peccato, quod est falsum. *Secundò*, quia substantia illa esset natura sua impeccabilis, vt ostendimus: ergo & habens natura sua ius ad carentiam peccati, sicut haberet ad gratiam, quam natura sua exigeret: ergo sicut gratia non esset fauor, aut donum gratuitum, ita neque carentia peccati, & consequenter neque ius ad hæreditatem gloriæ: *Tertiò*, quia gratia respectu illius substantiæ supernaturalis, gratia non esset; hæc enim talis est iuxta Paulum, quia absque vlllo debito gratuito donatur à Deo, saltem radicaliter, auxiliorum efficacium collatione: illi autem substantiæ donaretur ex debito: ergo gratia non esset.

13. Dices gratiam habitualẽm Christi Domini esse verè gratiam, quamuis debita sit vnioni hypostaticæ. *Contra*, quia vnio hypostatica debita non est humanitati, & consequenter neque gratia habitualis debita est illi: substantiæ autem supernaturali seorsim ab omni alio dono gratuito debita esset gratia: ergo non esset gratia. Quod si dicas etiam existentiam illius substantiæ supernaturalis esse gratuito concessam à Deo potente illam non producere, non solius, quia hoc pacto, etiam proprietates, & accidentia connaturalia gratuito dantur, gratuita productione existentia; nec tamen sunt gratia: ergo ad istam satis non est, esse donum gratuitum ratione existentia, sed vltèrius opus est, esse donum gratuitum supposita existentia.

Substantia superna titulo seruitutis nõ posset habere ius ad adoptionem.

14. *Quintò*. Creatura illa superna esset serua Dei: ergo non posset habere vllum ius, aut exigentiam, vt adoptetur è Deo in filium. Illa autem substantia haberet tale ius, &

Disp. XVII. *Substantia supernatur.* Sect. I. 533

& exigentiam, cum debita illi esset gratia habitualis, & carentia peccati; in quo consistit adoptio: ergo.

15. Dices ex Ripalda tomo 2. disp. vltima, sect. 11. Filiationem adoptiuam compossibilem esse cum conditione seruili; hæc enim tantum respicit dominium Dei in creaturam rationalem, eiusque actiones, quod optimè stat cum filiatione adoptiua, quamuis conditio purè seruilis per peccatum illam excludat.

16. Contra tamen, quia licet conditio seruilis compossibilis sit cum adoptione in filium, tamen intelligibile videtur posse seruum ius, & exigentiam habere, vt adoptetur à domino; longè enim diuersum est, posse dominum adoptare seruum in filium, & seruum exigere vt adoptetur à domino: ergo licet conditio seruilis compossibilis sit cum adoptione, illam tamen exigere non poterit, quod in creatis perspicuum est; conditio enim seruilis natura sua excludit ius, & exigentiam in seruo, vt adoptetur à domino: imò liber extraneus similem exigentiam habere non potest: ergo neque creatura illa superna, vt potè extranea, & Dei serua, exigere poterit, vt adoptetur à Deo: sed id necessario fauore esse debet per donum gratuitum, & creaturæ indebitum.

Solutio Ripaldæ eiusque refutatio.

17. Sextò. Præcipua dona, quæ titulo filiationis debentur filio naturali Dei, debita esse non possunt puræ creaturæ: ea autem sunt gratia, & gloria: ergo ista indebita prorsus sunt omni creaturæ puræ rationali, quod si ius ad præcipua dona filio naturali debita, semel puræ creaturæ conuenire potest, cur non poterit competere ius ad inferiora dona? Vnde quidquid debitum est filio naturali Dei, à dignitate personæ distinctū, debitum etiam esset alicui creaturæ possibili supernæ, ex quo fieret possibilem esse creaturam supernam, cui debitum, & connaturale esset lumen propheticum, virtus patrandi miracula, & cognoscendi euidenter secreta cordium, futura libera, tam absoluta, quam conditionata, & decreta Dei, quæ sunt manifestissimum diuinitatis argumentum. Iuxta illud Isaia 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dijs estis vos.*

Præcipua dona filij naturalis debita essent substantiæ supernæ.

18. Denique, possibilis non est substantia, quæ non sit propria substantia terminabilis, nam de ratione substantiæ est, esse ens per se, id est de constitutiuo suppositi, vt ostendi in Metaphysica: ergo impossibilis est substantia, quæ non sit naturalis; esse enim naturalem, aliud non est, quàm esse substantiam propria subsistentia terminabilem, vt constat ex disputatione prima: ergo impossibilis est substantia supra naturam, & consequenter supernaturalis.

Possibilis nõ est substãtia naturalis cui vel m̃nimũ donum supernum debitum sit.

Nulla possibilis substantia superna.

Recens fundamentum pro impossibilitate substantiæ supernæ expensum.

19. Collige ex dictis, possibilem non esse substantiam rationalem creatam supernam, cui vel minimum donum supernum debitum sit, & connaturale, nam quæcumque substantia rationalis creata, futura esset impossibilis necessario; pro omnibus enim militat primum nostri asserti fundamentum, vt expendenti fiet manifestum: substantia autem impeccabilis creata implicat: ergo. *Collige secundo,* impossibilem esse substantiam supernam irrationalem viuentem, aut non viuentem, quia omnes sunt natura, cum sint propria substantia terminabiles.

20. In calce tamen non omittam recens fundamentum pro impossibilitate substantiæ supernaturalis. Ita doctus Recentior assumptum probat pluribus ex nostris fundamentis tanquam inefficacibus derelictis. Nam ens supernum est illud quod participat in suis prædicatis aliquod prædicatum ex his, quæ Deo conueniunt, vt distincto à substantia creata: illud autem quod participat tale prædicatum non potest esse substantia creata: ergo quod sit ens supernum non potest esse substantia creata. Minor est certa, nam substantia creata non potest includere prædicatum, quod excludat substantiam creatam: prædicatum autem Deo conueniens, vt distincto à substantia creata, est prædicatum, quod excludat substantiam, cum per illud Deus distinguatur ab illa: ergo. Maiorem autem illam primi Syllogismi supponit ex constitutiuo entis supernaturalis.

21. Displicet tamen Recentior iste cum suo fundamento, eo quod illud cæteris anteponat; longè enim difficiliorem habent solutionem, & difficultatis neruum, quæ à nobis proposita sunt, quàm illud suum, cuius negata
maiori,

maiori, vt negatur à propugnantibus substantiam creatam supernam, nihil restat difficultatis, eamque maiorem falsam esse, multis ostendimus probationibus de constitutio entis supernaturalis, videantur ibi dicta.

SECTION II.

An sit possibilis intellectus supernaturalis?

22. **C**ertum est *primò* ex dictis, intellectum supernum, & cum substantia creata realiter identificatum impossibilem esse, nam substantia, cui talis intellectus identificaretur, pariter futura esset superna, quod implicat. Difficultas ergo est de potentia realiter à substantia intelligente distincta de genere qualitatis, sicut lumen gloriæ, quæ autem pro intellectu dixerimus, eadem cum proportionem de voluntate dicenda erunt, maximè cum voluntas à potentia intellectiva sibi proportionata dependeat. Certum est *secundò* in sententia admittente possibilem substantiam supernam, possibilem quoque esse potentiam intellectivam, & volitivam supernas illis superadditas, sicut in substantiis naturalibus possibilem sunt naturales potentia superaddita. Controversia igitur est inter Doctores, substantiam supernaturalem negantes, an videlicet cum hoc stare possit possibilitas intellectus, & voluntatis supernæ?

Status controversiæ, & supponuntur aliqua.

23. Affero *primò*, possibilem esse intellectum supernaturalem. Probatur, quia si possibilis non esset, maximè, quia connaturalis deberet esse alicui substantiæ creatæ, & hæc deberet esse superna, quod implicat; vel quia esset indefectibilis à vero, quæ esset perfectio propria Dei, nullo autem ex his capitibus repugnat: ergo. Minor quoad primam partem probatur, quia intellectus supernus nulli substantiæ creatæ connaturalis esset, aut debitus: ergo ex hoc capite non implicat. Antecedens probatur, quia licet ex qualitatibus naturalibus nulla sit possibilis, quæ connaturalis non sit, & debita alicui substantiæ creatæ; tamen

possibilis est intellectus supernus.

possibiles

possibiles sunt qualitates supernæ, quæ nulli substantiæ creatæ debitæ, aut connaturales sint, ut patet in toto ordine superno de facto existente: ergo licet ex qualitatibus naturalibus, nullus sit possibilis intellectus, qui alicui substantiæ creatæ debitus non sit, & connaturalis; tamen possibilis erit intellectus supernus, qui nulli substantiæ creatæ debitus, & connaturalis sit. *Dices*, intellectum non posse se solo producere intellectionem, nisi coniunctus sit naturæ rationali: ergo debet esse connaturalis illi, ut eleuet illam ad actus supernos producendos, quos natura se sola efficere non potest. *Contra*, quia lumen gloriæ neque potest se solo producere visionem absque consortio intellectus naturalis creati, nec tamen lumen gloriæ debitum est, & connaturale intellectui naturali: quia igitur intellectus supernus se solo absque consortio substantiæ creatæ producere non valeat intellectionem, neque intelligere, non idcirco debitus erit & connaturalis substantiæ creatæ; Inde enim tantum sequitur substantiam creatam debitam esse, & connaturalem intellectui superno, sicut debita est, & connaturalis lumini ad agendam visionem, non verò contra.

Intellectum
supernū non
posse se solo
producere
intellectio-
nem non ob-
stat eius pos-
sibilitati.

25. Iam verò minor illa quoad secundam partem, scilicet, impossibilem non esse intellectum supernum, quia esset indefectibilis à vero, eo quod nullum posset producere actum falsum, probatur, quia indefectibilitas accidentalis à vero, non est propria Dei perfectio, sed solum indefectibilitas substantialis, & per modum naturæ, ut patet in lumine, & habitibus supernis, qui indefectibiles sunt à vero, & impotentes prorsus actum falsum producere; & ratio est, quia dona superna natura sua diriguntur ad perficiendam naturam creatam, eiusque imbecillitatem, & defectibilitatem reparandam, & eleuandam; si autem defectibilia in se essent, quomodo possent naturam de se defectibilem roborare, & ad meliorem statum eleuare. Ideò indefectibilitas à vero naturæ creatæ repugnans, possibilis est accidenti superno.

Nec obstat
indefectibi-
litas à vero.

26. Confirmatur, indefectibilitas à vero propria Dei, sola est

Disp. XVII. *Substantia supernatur.* Sect. II. 537

est illa, quæ penitus excludat rem defectibilem à vero etiam radicalem in natura sibi propria: intellectus autem supernus non excluderet defectibilitatem radicalem à vero, in natura rationali sibi propria: ergo non participaret indefectibilitatem à vero propriam Dei. Maior mihi evidens est. Tum quia indefectibilitas formalis à vero propria Dei, est indefectibilitas per naturam, & non per donum superadditum, atque adeo quæ non excludat radicalem indefectibilitatem naturæ, non erit propria Dei: intellectus autem supernus accidentaliter eam indefectibilitatem naturæ non excluderet. Tum etiam quia ideò dona superna non participant attributa soli Deo propria, quia supponunt naturam sibi propriam defectibilem. Minor autem illa probatur, quia defectibilitas radicalis à vero, est de intrinseco conceptu cuiuslibet naturæ rationalis creatæ: ergo intellectus supernus illi possibilis, non excludet radicalem defectibilitatem à vero in natura sibi propria, videlicet rationali creata, ut patet in unione hypostatica indefectibili à vero, & bono, quæ non excludit radicalem defectibilitatem à vero, & bono in natura humana sibi propria.

Quænam in defectibilitas à vero sit propria Dei.

27. Afferro secundò, possibilem esse voluntatem supernaturalem. Hæc conclusio eisdem fundamentis, quibus præcedens stabilitur; impeccabilitas enim, quam voluntas illa participaret, non esset propria Dei; hæc enim excludere debet in natura sibi propria omnem defectibilitatem à bono, etiam radicalem, quam non excluderet voluntas superna, sicut nec intellectus indefectibilitatem à vero. Et confirmari potest instantiis gratiæ iustificantis, & unione hypostaticæ, quæ in se indefectibiles sunt à bono, manente semper natura humana radicaliter defectibili. Eo quod donis illis supernis intrinseca naturæ defectibilitas non amittatur, Quæres, an similiter possibilis sit qualitas supernaturalis, quæ simul esset intellectus, & voluntas. Respondeo affirmatiuè eisdem rationibus, & fundamentis, quibus possibilis est intellectus, & possibilis etiam voluntas; ergo & possibilis qualitas superna quæ intellectus esset simul, & voluntas.

Possibilis est voluntas supernaturalis.

Possibilis qualitas superna, quæ intellectus esset simul & voluntas.

Possibilis in-
tellectus, cui
connaturalis
esset visio
Dei.

28. Affero tertio possibilem esse intellectum, cui connaturalis esset visio Dei, & voluntatem, cui connaturalis esset amor beatus. Probatur, quia impeccabilitas, quam infert beatitudo non repugnat intellectui, aut voluntati supernæ, ut vidimus: ex alio autem capite nulla apparet implicantia: ergo, &c. *Confirmatur*, quia ex suppositione, quod possibilis sit intellectus supernus, nulla est assignabilis implicantia, cur possibilis non sit saltem aliquis, tantæ efficacitatis, virtutis, & perfectionis, quantæ est de facto lumen gloriæ, isti autem connaturalis est visio: ergo, &c.

29. Obijcies. Nomine intellectus ut sic, præcisa naturalitate, intelligitur potentia vniuersalis, ac noster est intellectus, quæ proinde producere posset omnia intellectuum genera, quæ potest noster intellectus, idemque est cum proportione de voluntate; possibilis autem non est potentia superna, quæ possit ea omnia intellectuum genera producere, quæ potest noster intellectus: ergo neque possibilis erit intellectus supernus. Minor probatur, quia noster intellectus producere potest intellectiones probabiles, & falsas, & nostra voluntas actus prauos; nulla autem potentia superna valet similes actus producere: ergo, &c. *Respondeo*, negans maiorem. Ut enim aliqua potentia sit intellectus, aut voluntas, satis est, ut actibus à se, producibilibus intelligens denominari possit, aut volens; id enim proprium est voluntatis, & intellectus; esse scilicet potentias tendentes intentionaliter in obiecta.



DISPUTATIO XVIII.

An visio Dei sit supra appetitum substantiæ rationalis?

- I. **N**ON agitur controuersia de natura rationali, vt eleuata; sed propriis suis viribus relicta. Quid appetitus innatus, quid elicitus. Appetitus est duplex, innatus vnus, & elicitus alter; innatus est propensio, & inclinatio rei in aliquam perfectionem; sic aqua appetit frigiditatem. Elicitus est actus voluntatis (in præsentem enim locum non habet alius appetitus) qui si feratur in obiectum absens, dicitur desiderium, si in obiectum possessum, dicitur gaudium siue fruitio, si in obiectum secundum se, dicitur amor strictus. De quibus omnibus actum, à nobis ex professo tract. de voluntate disp. 2. & 3.

SECTIO I.

An substantia rationalis habeat appetitum innatum ad visionem?

2. **A**ppetitus innatus ad visionem duplex posset contingere naturæ rationali. Primus immediatus, casu quo immediatè substantia, seu natura rationalis in visionem propenderet. Secundus mediatus, casu quo natura rationalis tantum propenderet in appetitum elicitem, Appetitus innatus quo duplex erga visionem.

& medio isto in visionem beatam. Vterque subdividi posset in naturalem, & obedientialem, siue in absolutum, & conditionatum. Naturalis seu absolutus, & propensio per modum exigentiæ independenter ab omni conditione. Obedientialis, seu conditionatus est propensio dependenter ab aliqua conditione.

Sententia
Doctorem
Scotus.
Durandus.
P. Valentia.
P. Ruiz.
P. Herize.
P. Molina.
P. Valquez.

3. *Prima* sententia absolutè affirmat insitum esse naturæ rationalis appetitum innatum in visionem. Tenent Scotus, Durandus, Ruiz, & alij apud Ripaldam disp. 4. sect. 1. *Secunda* absolutè negat. Ita Herize tract. 4. disp. 37. cap. 1. cum Molina, Vasquio, & aliis apud eundem. *Tertia*, reiecto appetitu naturali, admittit obedientialem. Ita aliqui Recentiores.

Natura rationalis nullum habet appetitum innatum immediatum, & absolutum ad visionem beatam.

4. Affero primò, naturam rationalem nullum habere appetitum naturalem immediatum, & absolutum ad visionem beatam. Hæc conclusio aperta est ex dictis pro ente superno; hoc enim est supra omnem exigentiæ absolutam totius naturæ: ergo visio utpotè supernaturalis, erit supra omnem appetitum naturalem immediatum, & absolutum substantiæ rationalis, cum ista aliud non sit, quam propensio per modum exigentiæ absolutæ, & connexa est cum termino reipsa possibili.

Benè verò conditionatum immediatum.

5. Affero secundò, naturam rationalem habere appetitum innatum naturalem immediatum, & conditionatum ad visionem beatam, videlicet, si possibilis sit. Hæc conclusio firma etiam est ex dictis pro ente supernaturali. Nam exigentiæ, seu propensio conditionata nullam habet connexionem cum termino reipsa possibili; sicut nec virtus conditionata productiua visionis: ergo sicut natura rationalis habet virtutem naturalem productiuam immediatam, & conditionatam visionis; pariter & habere poterit appetitum naturalem immediatum, & conditionatum. Quæ autem hic obijci possent, soluta iam, & explanata sunt de ente supernaturali.

In appetitum elicatum innatè, immediatè, & absolutè pro-pendit.

6. Affero tertio, naturam rationalem habere appetitum innatum naturalem, immediatum, & absolutum in appetitum elicatum visionis beatæ. Patet hæc conclusio. Nam appetitus

Disp. XVIII. *Appetitus ad visionem.* Sect. II. 541

appetitus elicited naturalis, est perfectio connaturalis naturæ rationalis: ergo ista absolute propendet in illum, sicut & in cæteras perfectiones sibi connaturales.

7. Affero vltimò naturam rationalem medio appetitu elicitò appetere elicitè visionem beatam. Probatùr, quia vt constabit infra possibilis est appetitus elicited naturalis visionis beatæ: ergo natura rationalis per eum appetitum tendit in visionem beatam mediatè, eo modo, quo appetitus elicited immediatè tendit. Inde colliges, naturam rationalem per appetitum mediatum nulla ratione connecti cum visione beatæ re ipsa possibili, nam appetitus elicited immediatus similem non habet connexionem.

Per appetitū elicitum appetit elicitè visionem.

S E C T I O II.

An, & qualis appetitus elicited visionis sit possibilis naturæ rationali?

8. **C**VM appetitus elicited nihil aliud sit, quàm actus voluntatis vel desiderans perfectionem absentem, vel de eadem possessa gaudens, aut illam amans secundum se, idem erit inquirere, an sit possibilis appetitus elicited naturalis visionis beatæ, ac, an sit possibilis actus voluntatis naturalis attingens visionem beatam; vnde tota ista controversia in aliam deuoluitur satis celebrem; an scilicet actus naturalis attingere possit obiectum supernaturale. Circa quam

9. Certum mihi est primò. Possè actum naturalem attingere obiectum materiale supernum. Tum quia actus errantes circa mysteria supernaturalia attingunt illa; cum tamèn sine dubio naturales sint. Tum etiam, quia plura supernaturalia probabili cognitione attinguntur à nobis, quæ etiam naturalis est. Tum denique, obiectum supernum tale non est, quia nullo actu naturali attingi possit, sed quia à nullo, cum ipsius possibilitate connexo, attingi

Actus naturalis attingere valet obiectū materiale supernum.

valeat; possibles autem sunt plures actus attingentes obiectum supernum nulla ratione cum ipsius possibilitate connexi, quales sunt probabiles: ergo naturales.

Attingere
etiam potest
obiectum for-
male super-
num.

10. Certum mihi est secundò, posse actum naturalem attingere etiam obiectum formale supernum. Tum quia, motiuum de se infallibile attingi potest modo, & actu fallibili, sicut obiectum infallibiliter verum, attingi potest modo, & actu falso: ergo etiam motiuum supernum, licet sit de se infallibile, poterit attingi modo, & actu fallibili, & consequenter naturali. Etenim infallibilitas, vel fallibilitas actus non sumitur ab obiecto, cum circa idem obiectum possit dari actus fallibilis, & infallibilis, sed ex modo tendendi. Tum etiam quia non minus superat naturam obiectum materiale supernum, quàm formale: ergo si illud attingi potest actu naturali, cur non istud. Tum denique, quia motiuum plurimum opinionum est supernaturalitas, vt talis, vt patet in constitutio entis supernaturalis, circa quod quisque tenet suam probabilem sententiam; cuius motiuum est supernaturalitas formaliter, vt talis: ergo hæc attingi potest actu naturali probabili.

Possibilis, ap-
petitus natu-
ralis elicitus
ad visionem.

11. Assero primò, possibilem esse appetitum naturalem elicitem erga visionem, etiam ob motiuum supernum, quia videlicet, est ingens felicitas, vel quia mihi bona, vel quia Deus dicit eam possibilem esse. Probatur, quia si possibilis non esset naturalis appetitus elicitus erga visionem, maximè, quia visio esset supernaturalis: id non obstat: ergo, &c. Minor constat ex dictis, nam actus naturalis attingere potest obiectum materiale, & formale supernum; atque adeo non obstat supernaturalitas visionis, quo minus appetitus elicitus naturalis ergo illam possibilis sit. Maior autem est vnicum aduersæ partis fundamentum. Consequentia verò legitima est.

Per modum
desiderij,
gaudij, &
amoris stri-
cti.

12. Confirmatur Mysteria nostræ fidei possunt ratione naturali proponi euidenter credibilia, propter tot, tantaque mirabilia signa, testimonia, & argumenta, quibus firmata sunt, quæ omnia parere possent assensum naturalem probabilem de veritate mysteriorum, & reuelationis

D
tion
obi
exc
lis
tura
aliqu
iectu
sider
ame
13.
den
falte
actu
nem
tract
cont
cere
dei a
per f
ad a
est a
oster
14.
infall
infall
tural
tiu
nego
inqu
spon
asser
super
15.
tural
actu
alieu
ante

Disp. XVIII. *Appetitus ad visionem.* Sect. II. 543

tionis diuinæ: ergo & visionis, quæ est vnum ex præcipuis obiectis reuelatis: ergo ex eo assensu naturali moueri, & excitari poterit in voluntate affectus, seu appetitus naturalis erga illam. Probatur consequentia, quia assensus ille naturalis de possibilitate visionis excitare potest in voluntate aliquem affectum, seu appetitum elicitedum erga suum obiectum: ergo naturalem. Ex his colliges possibile esse desiderium naturale visionis absentis, gaudium præsentis, & amor strictus illius secundum se.

13. Affero secundò, appetitum elicitedum naturalem videndi Deum, non posse excitare, aut mouere voluntatem saltem per se ad affectus supernos eiusdem visionis, nec ad actus supernaturales virtutum conducentes ad consecutionem gloriæ. Hæc conclusio multis stabilita est à nobis tractatu de Auxiliis ex Scriptura, Patribus, & Conciliis contra Pelagianos asserentes posse actus naturales conducere ad salutem, & contra Semipelagianos, qui initium fidei adscribebant naturæ: ergo nullus actus naturalis potest per se ipsum ad salutem conducere, excitare, aut mouere ad actus, ad eandem conducentes; id enim proprium est auxiliantis gratiæ in substantia supernæ, vt ibidem ostendi.

14. Obijcies primò. Actus nitens motiuo infallibili, est infallibilis; actus autem ex motiuo superno nititur motiuo infallibili: ergo erit infallibilis: ergo non poterit esse naturalis. *Respondeo*, distinguens maiorem. Actus nitens motiuo infallibili, infallibiliter, concedo: probabiliter tantum, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Si autem inquiras, quid sit niti infallibiliter motiuo infallibili? *Respondeo*, esse connecti cum illo re ipsa tali, ac per actum asseritur, quod procul est ab actu naturali de obiecto superno.

15. Obijcies secundò. Cuilibet actui debitum est, & connaturale suum obiectum: ergo si obiectum supernaturale posset actu naturali cognosci, aliquid supernaturale debitum esset alicui enti naturali, id falsum est: ergo. *Respondeo*, distinguens antecedens; debitum est obiectum, in re ita se habens, ac

Appetitus elicitedus naturalis mouere per se non potest ad effectus supernos.

Quid sit niti infallibiliter motiuo infallibili.

Quò pacto obiectum debitum sit, & connaturale actui.

asseritur

asseritur ab actu, nego: in ratione obiecti, concedo. Et similiter distinguo consequens, aliquid supernaturale esset debitum alicui enti naturali, re ipsa tale, ac asseritur ab actu, nego: in ratione obiecti, concedo. Et ratio est, quia esse obiectum præcisè, non infert connexionem actus naturalis cum ipso, re ipsa possibili, vel existente, quæ sola connexio naturam superare debet.

Facile nobis non est inter actum naturalem, & supernum discernere.

16. Obijcies tertio. Si actus naturalis, & supernus possent attingere idem obiectum materiale, & formale, non possemus discernere vnum actum ab alio, neque desiderium naturale visionis à superno: ergo qui semel cognosceret beatitudinem, vt bonum supernum, cognitione naturali simul, & superna, simul etiam eliceret vtrumque desiderium, naturale scilicet, & supernum: vnde in tali euentu non erit in potestate hominis elicere vnum præ alio, sed vtrumque, vel neutrum; cum ad eliciendum vnum præ alio discretio cognitionum necessaria sit. *Respondeo*, Argumentum verum esse, & nihil absurdi continere, etenim si facile nobis esset discernere inter actum naturalem, & supernum, eadem facilitate possemus discernere contritionem supernam à naturali, & cognoscere statum gratiæ. Hoc tamen aduerte, hominem cum vtraque illa cognitione elicere vtrumque desiderium, certum non esse, quia si id certo nobis constaret, elicita contritione ex cognitione naturali simul, & superna malitiæ peccati, quatenus oppositæ diuinæ bonitati, certo nobis constaret hominem esse in statu gratiæ; quia eo ipso quod existeret naturalis, existeret etiam superna dispositio ad iustificationem.

S. Thomas obiectus, & declaratus.

17. Obijcies quarto S. Thomas 1. 2. quæst. 63. art. 4. distinguit virtutes infusas ab acquisitis ex obiectis formalibus diuersis, quia scilicet, infusæ tendunt in obiectum, vt conforme regulæ supernæ: acquisitæ verò attingunt idem obiectum, vt conforme regulæ naturali: ergo obiecta formalia actuum naturalium, & supernaturalium sunt diuersa; conformitas enim cum regulæ superna, & cum naturali, quid sunt diuersum. *Respondent* communiter Recentiores, in quolibet obiecto reperiri duplicem rationem formalem, vnam, quæ

Disp. XIX. *Incomprehensibilitas Dei.* Sect. I. 545

quæ exprimitur ab actu, & alteram quæ non exprimitur, & dicitur ratio formalis *sub qua*, talis est visibilitas in colore respectu potentia visiva, & cognoscibilitas, & amabilitas obiecti, respectu intellectus, & voluntatis, quæ rationes formales semper sint distinctæ, cum sint respectus ad actus, potentias, & habitus diuersos. Hinc Respondent locutum fuisse Sanctum Doctorem de obiectis formalibus, seu ratione *sub qua*, non verò de obiecto expresso per actum. Probabilem satis iudico interpretationem istam ad mentem Thomæ.



DISPUTATIO XIX.

An sit possibilis visio beata, quæ Dei comprehensio sit?

1. **P**OSITA visione, eiusque supernaturalitate, quærimus; an sicut possibilis est visio creata Dei, possibilis sit etiam eiusdem creata comprehensio, per quam creatura Deum comprehendere posset. Declarari solet comprehensio ex Augustino tom. 2. Epist. 122. cap. 8 ita loquente: *Tum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem; aut cuius fines circumspici possunt.* Et S. Thomas hîc artic. 8. Augustinum explicans, ait *Illud obiectum comprehendendi, quod tantum cognoscitur, quantum cognoscibile est.* Duplex communiter distingui solet comprehensio. Vna intensiua, quæ tanta perfectione penetrat obiectum, quanta ipsum cognoscibile est. Altera extensiua, quæ

Comprehensionis explicatio cõmunis ex Augustino.

clarè & distinctè cognoscit omnia, quæ sunt in obiecto, omnesque illius terminos, vtraque est materia præsentis disputationis.

SECTIO I.

An Deus sit comprehensibilis à creatura?

Sententia
Doctorum.

2. **Q**ualis cognitio veniat nomine comprehensionis modo non definitio, quia iudico id certius colligi à posteriori ex incomprehensibilitate Dei, qua posita solidius inferetur, quanta, & qualis debeat esse perfectio comprehensivæ cognitionis. *Prima* igitur sententia absolutè docet Deum esse incomprehensibilem à creatura, esse de fide. Ita Scotus in 4. distinct. 49. quæst. 3. artic. 1. conclus. 1. P. Soarius in 3. part. tom. 1. disp. 26. sect. 2. & 1. part. tract. 1. lib. 2. cap. 5. num. 2. & in Metaphys. disp. 30. sect. 12. num. 30. P. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 6. à num. 81. Et multi alij quos refert, & sequitur Fasolus hîc quæst. 12. art. 7. dubitat. 1. Eandem sententiam de propria & stricta comprehensione tenet P. Ribas disp. 13. cap. 12. *Secunda sententia* distinguit inter facultatem naturalem creaturæ, & absolutam Dei potentiam, & docet, de fide esse Deum incomprehensibilem esse naturaliter à creatura; incomprehensibilem autem esse de absoluta potentia, non esse de fide. Ita Vasquez hîc disput. 51. contendens, Scripturam, Concilia, & Patres nunquam dixisse, Deum incomprehensibilem in sensu à Theologis omnibus intento, hoc est tam naturaliter, quàm per potentiam Dei absolutam; Ad- dit tamen capite secundo, temerarium esse, absolutè negare, Deum esse incomprehensibilem. Vasquium sequutus est P. Arriaga hîc disp. 13. sect. 3. omnes tamen negant, Deum à creatura comprehendi posse.

De fide est,
Deum non
posse à crea-
tura, saltem
naturaliter,
cõprehendi.

3. Affero primò de fide esse, Deum non posse à creatura, saltem naturaliter, comprehendi. Probatur primò ex Concilio

Disp. XIX. *Incomprehensibilitas Dei*. Sect. I. 547

Concilio Lateranensi relato cap. *firmiter* de summa Trinitate. *Vbi dicitur Deus incomprehensibilis*: ergo saltem naturaliter esse Deum incomprehensibilem, est de fide. Secundo, quia Ieremiae 32. dicitur. *Deus magnus consilio, & incomprehensibili cogitatu*: ergo fide sanctum est, Deum saltem naturaliter esse à creatura incomprehensibilem.

4. Affero secundo, Deum esse incomprehensibilem à creatura, etiam de absoluta potentia, siue intensiue, siue extensiue, non esse de fide. Probatur, quia similis conclusio in nullo Concilio, aut Scripturæ testimonio continetur, nam quæ vrgere possent tradita à nobis sunt numero præcedenti, in eiusmodi autem testimoniis nulla est mentio absolutæ Dei potentia: ergo sufficienter intelliguntur de incomprehensibilitate viribus naturæ.

De potentia
autem abso-
luta non est
de fide.

5. Confirmatur primo. Si esset de fide Deum esse incomprehensibilem de absoluta potentia, maximè, quia Concilium Lateranense simul definit, Deum esse immutabilem, & incomprehensibilem; esse autem immutabilem statuitur etiam de absoluta potentia: ergo & esse incomprehensibilem; huiusmodi autem discursus non conuincit: ergo, &c. Minor probatur, nam si, quia ea duo à Concilio coniuncta sunt, valeret consequentia, est immutabilis etiam de absoluta potentia: ergo & incomprehensibilis, similiter valeret; Deus immutabilis est, non solum à creatura, sed etiam à se ipso: ergo & incomprehensibilis, quod est contra fidem: ergo ex ea coniunctione concilij paritas ab immutabilitate ad incomprehensibilitatem solida non est; aliter Deus etiam à se ipso omnibus modis incomprehensibilis esset. Confirmatur secundo. Licet Paulus coniungat hæc duo, scilicet, Deum esse immortalem, & inuisibilem, tamen licet de fide sit, Deum esse immortalem, etiam de absoluta potentia; non tamen ita est de fide; imò nec verum, Deum esse inuisibilem viribus supernis: ergo licet Concilium Lateranense coniungat hæc duo, scilicet, Deum esse immutabilem, & incomprehensibilem, tamen vtrumque non erit eodem modo de fide. Et ratio est, quia hæc duo Dei attributa non sunt in om-

Expensum
Lateranense
Concilium,

Confirmatur
ex Apostolo
argumenta-
tio nostra.

nibus paria; unde nec definitio Concilij par in omnibus debet esse.

Instantia P.
Fasoli ex
cap. *damna-*
mus, eiusque
solutio.

6. Dices ex Fasolo, Concilium Lateranense definire ad Dei incomprehensibilitatem, quæ Theologicis disputationibus controuertitur; huiusmodi autem incomprehensibilitas non solum controuertitur viribus naturæ, sed etiam de absoluta potentia: ergo vtraque definita est à Lateranensi. Maior probatur. Nam capite *damnamus* de summa Trinitate ante medium, ita refertur Concilium Lateranense. *Credimus, & confitemur cum Petro, scilicet Lombardo sententiarum Magistro, quod vna quidem est res incomprehensibilis quidem, & ineffabilis: ergo in sensu, quo à Magistro sententiarum, aliisque Theologis, controuertitur incomprehensibilitas Dei, definita est à Lateranensi.*

7. Respondeo definitam quidem esse incomprehensibilitatem Dei à Lateranensi in sensu, quo in scholis controuertitur; non tamen in omni sensu; cum autem iste duplex sit, naturaliter scilicet, & de potentia absoluta, sufficienter intelligitur Concilium de incomprehensibilitate naturali, quin vlla sit necessitas extendendi definitionem ad potentiam absolutam. Iudico tamen absque temeritate, non posse negari incomprehensibilitatem Dei, quia nunquam in Scripturis, Conciliis, aut Patribus dicitur Deus comprehensibilis à creatura, cum tamen sæpius statuatur incomprehensibilis.

Deus etiam
de absoluta
potentia in-
comprehen-
sibilis à crea-
tura, tum in-
tensiuè, tum
extensiuè.

8. Affero tertio, Deum intensiuè, & extensiuè esse incomprehensibilem à creatura etiam de potentia absoluta. Probatur primò, quia hæc sententia conformior est Scripturis, & Conciliis, nulla ratione admittentibus, Deum esse comprehensibilem à creatura: ergo non solum erit naturaliter, sed etiam de absoluta potentia incomprehensibilis, non solum intensiuè, sed etiam extensiuè. Antecedens patet ex Scripturæ testimoniis supra præmissis, & ex Lateranensi, à quibus omnibus firmiter asseritur Deus incomprehensibilis; cum nullibi, nec vlllo modo; comprehensibilis asseratur: ergo.

9. Probatur secundò ex Patribus. Augustinus in quaestionibus

Dis-
culis
diuini
quis
Dei
nega
deri
te Au-
bus n-
bilis
super
Deus,
prehen-
ne au-
hend-
le, qu-
10.
quit,
eo ipso
prouen-
latat
sufficit
dendu-
næ vir-
sta vir-
11.
se se c-
tiam i-
nem et-
rationa-
tui san-
& Spir-
tur exi-
siquidem
lius, in
omne
naturæ
propria

Disp. XIX. *Incomprehensibilitas Dei*. Sect. I. 549

culis de Trinitate, quæst. 13. *videri potest Deus, plenam verò diuinitatis notitiam, nec Angelus quilibet, nec Sanctorum aliquis perfectè intelligere poterit, idè incomprehensibilis dicitur Deus.* Vbi Augustinus eo modo, quo Deus videri potest, negat posse comprehendi; Deus autem viribus naturæ videri non potest, sed tantum virtute superna: ergo ex mente Augustini, Deus non solus est incomprehensibilis viribus naturæ, sed etiam viribus supernis; qua ratione visibilis est à creatura rationali eleuata per superna dona. Insuper fermone 38. de verbis domini. *Si comprehensibilis non est Deus, attingere aliquantulum mente Deum, beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile: Deus autem nulla ratione aut potentia potest non esse Deus: ergo nec comprehendere à creatura quod vrget particula illa, omnino impossibile, quæ omnem possibilitatem excludit.*

Exp̄sus Augustinus pro incomprehensibilitate Dei etiam de absoluta potētia.

10. Gregorius lib. 10. Moralium cap. 7. initio. *Angelica inquit, vel humana mens cum ad incircumscriptum lumen inhiat eo ipso se, quod est creatura coangustat, & super se quidem per prouectum tendit, sed tamen eius fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit.* Aurea sunt vltima verba, scilicet, *nec dilatata sufficit*, id est, tanta est insufficientia creaturæ ad cōprehendendum Deum, vt nulla dilatatione, aut extensione diuinæ virtutis, sufficiens reddi possit; cum tamen illius angusta virtus dilatari, & extendi possit ad videndum illum.

Gregorius.

11. Basilius primò contra Eunomium, quem refert dixisse se comprehensionem Dei adeptum, ita illius petulantiam increpat. *Ego verò arbitror, non homines solum, sed omnem etiam naturam rationalem ipsius comprehensionem excedere, rationalem autem nunc, creatam dico. Nam soli Filio, & Spiritui sancto notus est Pater; Nemo enim nouit Patrem, nisi Filius, & Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, quod igitur eximium cognitioni vnigeniti, aut sancti Spiritus relinquunt, siquidem ipsi essentia ipsius comprehensionem habent.* Hæc Basilius, in quibus duo libranda occurrant. *Primum*, superare omnem naturam rationalem creatam comprehensionem naturæ diuinæ. *Secundum*, comprehensionem Patris, ita propriam esse Filij, & Spiritus Sancti, vt si eam haberet

Basilius.

creatura, nihil relinqueret proprium vigeniti, & Spiritus Sancti: ergo ex mente Basilij implicat creaturam, etiam de absoluta potentia, comprehendere Deum.

Paulus obiectus, & declaratus.

12. Obijcies, Paulus 1. Corinth. 9. ait. *Currite, ut comprehendatis*: ergo potest creatura comprehendere Deum. Et ad Ephes. 3. *In charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum*: ergo creatura comprehendere potest, quæ sublimia sunt, & profunda Dei. *Respondeo*, Paulum in illis testimoniis nomine comprehensionis non intelligere Theologicam, & strictam, sed laram, & impropiam, scilicet visionem beatam, in stadio huius vitæ per merita comparandam.

S E C T I O II.

*Vnde repugnet creatura intensiva Dei
comprehensio?*

Sententia P. Vasquij librata, eo quod non possint in Deo creaturæ possibiles cognosci.

13. **S**Tatuta impossibilitate creaturæ comprehensionis, inquirendum restat, vnde ea implicancia contingat creaturæ. Prima sententia docet, implicare creatam Dei comprehensionem, quia in Deo non possunt videri creaturæ possibiles, quas continet eminenter. Supponit enim Deum non habere connexionem cum possibilibus. Ita P. Vasquez 1. part. disp. 53. cap. 2. *Displicet* tamen, quia nec Deus posset se comprehendere; etenim, non stante connexionem Dei cum possibilibus, Deus in se ipso non posset videre creaturas.

14. Dices Deum se comprehendere, quia licet non cognoscat creaturas in se ipso, tanquam in medio, seu obiecto cognito, tamen ex perfectione subiecti, exigentis se extendere ad omne cognoscibile, cognitio diuina se etiam extendit ad omnes creaturas possibiles.

15. Contra *Primò*, quia cognitio comprehensiva talis non est,

Disp. XIX. *Incomprehensibilit. Dei.* Sect. II. 551

est, eo quod subiectum exigit se extendere ad omne cognoscibile, sed eo quod cognitio se extendat, maximè in sententia Vasquij; vel ergo, citra exigentiam subiecti, est possibilis cognitio se extendens ad Deum simul, & creaturas possibles, vel non? Si primum: ergo possibilis erit comprehensio Dei; cum ista in sententia Vasquij tantum exigit extensionem ad Deum, & creaturas, quas continet net eminenter. Si secundum; rogo? cur cognitio se extendens ad Deum simul, & creaturas possibles, supponat essentialiter exigentiam illam subiecti; vnde enim implicare potest natura, quæ eleuata à principio superno non potest se extendere ad Deum simul, & creaturas possibles, maximè cum ad omnes diuinas perfectiones, & aliquas creaturas extendi possit. *Secundò*, quia ea cognitionis extensio potius spectat ad comprehensionem extensiuam, quàm intensiuam. *Tertiò*, quia possibilis est cognitio naturalis, aut superna, quæ confusè saltem attingat Deum, & omnia possible, vt patet in cognitione entis; & in hoc iudicio; *omne ens reale potest existere*; & tamen ea cognitio non potest esse comprehensio; ergo extensio cognitionis ad Deum simul, & creaturas sufficiens non est ad comprehensionem: ergo natura comprehensionis libranda est ex perfectione, & modo tendendi potius, quàm ex dilatione ad omne cognoscibile.

16. Secunda sententia parum, aut nihil distans à prima, ideò docet impossibile esse creatam Dei comprehensionem; quia impossibile est, cognitionem creatam posse in se ipsam reflectere; si autem aliqua Deum comprehenderet, deberet in se ipsam reflectere, quia deberet cognoscere omnia, quæ eminentur continentur in Deo, quorum vnum esset cognitio comprehensiuam. Ita P. Hurtadus disp. 10. de Anima sect. 3. & 4. & multi Recentiores post ipsum, hoc vnico ducti fundamento; quia scilicet cognitio creata producit ab obiecto, & potentia; cognitio autem non potest, se ipsa producere: ergo neque esse obiectum sui ipsius; atque adeo neque supra se ipsam reflectere.

17. Non placet, quia cognitio asserens, omnipotentiam esse

Sententia P. Hurtadi, quia cognitio comprehensiuam deberet attingere se ipsam.

Cognitio
creata potest
attingere se
ipsam.

esse virtutem omnium possibilium productiuam, attingit omniaabilia, & consequenter se ipsam, quæ est vnum ex possibilibus. Insuper actus affirmans, omnem cognitionem esse qualitatem, attingit se ipsam, cum sit vna ex cognitionibus, quæ qualitates sunt. Denique, cognitio exprimens, non posse intellectum comprehendi, quin omnes illius actus exprimantur, attingit se ipsam, quæ est vnus intellectus actus: ergo non ideo implicat creatura Dei comprehensio, quia implicet cognitio in se ipsam reflectiua; eo quod futura esset principium sui ipsius productiuum. Nec satisfacit, dicere, omnes eos actus attingere se ipsos confusè. Quia non minus cognitio confusa fit ab obiecto, & potentia, quàm clara, & æque implicat cognitionem confusam fieri à se ipsa, quàm claram; vtraque enim produceret se ipsam, si assumptum ab Hurtado fundamentum subsisteret. Quod falsum esse ostendi in libris de anima, quia nec opus est speciem impressam produci ab obiecto; & quamuis produceretur, nullum præstat concursus efficientem in actum, sed solum continet rationem puræ applicationis intentionalis obiecti absentiam supplementis.

Aliud ostēditur insufficiens illud P. Hurtadi fundamentum.

18. Displicet secundò, quia stante illo Hurtadi fundamento, nulla creatura possit ab alia comprehendi; etenim comprehensio exprimere debet, non solum effectus, quos naturaliter potest efficere creatura, sed etiam, quos potest eleuata producere; nulla autem est possibilis creatura, quæ non possit à Deo eleuari ad physicè producendam sui comprehensionem: ergo nulla est possibilis comprehensio creaturæ, quæ attingere non debeat se ipsam tanquam effectum possibilem creaturæ comprehensæ; nulla autem est possibilis cognitio apud Hurtadum, quæ se ipsam attingat: ergo nulla erit possibilis comprehensio vnus creaturæ ab altera, cum necessariò huiusmodi comprehensio se ipsam attingere debeat. Quæ ratio inter creaturas rationales magis vrget. Tum quia quælibet potest aliquo pacto cognoscere, possibilem esse creaturam sui comprehensionem: ergo comprehensio cum actum exprimere deberet, & in illò se ipsam tanquam obiectum creaturæ comprehensæ.

Tum

Tu
qua
mo
alte
tura
mat
preh
ex
com
possi
alter
19.
preh
quid
mina
Her
term
scien
perfe
set e
gniti
ction
20.
Dei
se in
quæ
esse i
prim
trans
riaga
feren
Disph
esset
preh
rens
hom
nunq

Disp. XIX. *Incomprehensibil. Dei. Sect. II.* 553

Tum etiam quia nulla est possibilis creatura intellectualis, quæ non potest, saltem eleuata, producere alios actus, si modi non sint: ergo nullus actus erit vni possibilis, qui alteri etiam possibilis non sit, ergo neque poterit vna creatura aliam comprehendere, quin comprehensio exprimat omnes actus posibles vtriusque creaturæ, comprehendentis, scilicet, & comprehensæ; vnus autem ex illis actibus creaturæ comprehendentis, est ipsa comprehensio: ergo vel debet attingere se ipsam, vel impossibilis erit comprehensio vnus creaturæ rationalis ab altera.

19. Tertia sententia docet, implicare creatam Dei comprehensionem, quia cum tota possibilium collectio, sit quid indeterminatum, creata cognitio non potest determinatam ab ea perfectionem accipere. Ita Arrubal apud Herize hîc. Quomodo autem collectio illa sit quid indeterminatum duriusculè explicatur. *Non placet*, quia nec scientia diuina possibilium habere posset determinatam perfectionem, si staret fundamentum illud; vnde non posset esse comprehensio; id autem falsum est: ergo & cognitionem non posse ab infinitis possibilibus haurire perfectionem determinatam.

Sententia P.
Arrubalis,
quia collectio
omniū
possibiliū est
quid indeterminatum.

20. Quarta sententia existimat, ideo implicare creatam Dei comprehensionem, quia hæc deberet esse cognitio de se indifferens ad cognoscendas creaturas etiam futuras, quæcumque illæ sint; nulla autem cognitio creata potest esse indifferens ad hanc, vel illam creaturam futuram exprimendam; nam quæ semel vnâ exprimeret, ad aliam transmigrare non posset. Ita aliqui Recentiores apud Ariagam hîc disp. 13. sect. 5. subsect. 3. vnde autem ea indifferencia necessaria sit ad comprehensionem non aperitur. *Displicet*, & meritò, quia si id ad comprehensionem opus esset, non posset Angelus, aut homo, nisi à solo Deo comprehendere, quia nulla cognitio creata potest esse indifferens, vt cognoscat odium, vel amorem, prout Angelus vel homo elegerit illum; quæ enim semel expresserit amorem, nunquam potuit, nec poterit exprimere odium, aut è con-

Sententia Recentiorum,
de indifferencia ad cognoscendas creaturas futuras.

tra: ergo nulla creatura, gaudens libertate, esset ab altera comprehensibilis.

Quinta sententia quia comprehensio foret infinita.

21. Quinta sententia esse posset. Ideò implicare creatam Dei comprehensionem, quia cum exprimeret infinita. *Displicet* etiam, quia cognitio creata non crescit Arithmetice, crescente perfectione obiecti, ut patet in visione beata, quæ finita est, quamvis illius obiectum, nempe Deus, simpliciter infinitum sit; creaturæ autem possibiles non sunt tanta perfectio, quanta Deus, ut est certum: ergo poterunt exprimi cognitione finita, sicut ipse Deus. Et ratio est, quia cognitio ex modo tendendi ad obiectum limitari potest, ut patet in cognitione confusè attingente omnia possibiliter. Similiter cognitio clara etiam in ipsa claritate limitari potest, ut patet in visione beata: ergo non ideo esset infinita cognitio clara omnium possibilium, quia obiectum illius infinitum esset.

Sexta sententia quia comprehensio futura esset æqualis perfectionis cum obiecto.

22. Sexta sententia est aliquorum Recentiorum apud Mendozam de Incarnat. disp. 54. sect. 9. subsect. 4. asserentium, ideò impossibilem creatam comprehensionem, quia ista deberet esse æqualis perfectionis cum obiecto non solum in representando, sed etiam in essendo. *Displicet* etiam, quia nulla possibilis creaturæ comprehensio ab alia creatura, cum nulla sit possibilis cognitio creata entitatiuè æqualis substantiæ creatæ, maximè rationali. Similiter reiijciendi sunt alij Recentiores exigentes ad creatam comprehensionem cognitionem omnium perfectissimam; hæc enim sicut impossibile est respectu Dei, ita & respectu cuiuslibet obiecti creati; vnde creatura omnium perfectissima impossibile est, ut ostendi in Physicis: ergo sicut impossibile est creata Dei comprehensio, ita etiam impossibile esset creata alicuius creaturæ comprehensio.

Septima sententia exigens ad comprehensionem exprimi clarè omnem obiecti perfectionem.

23. Septima sententia, quàm innuit Soarius lib. 2. cap. 29. Ideò docet impossibilem esse creatam Dei comprehensionem, quia clarè, & distinctè exprimere deberet omnem perfectionem Dei, & omnes terminos, qui ab ipso manere possunt, quod impossibile est cognitioni creatæ. Et ratio est, quia comprehensio solum requirit eam perfectionem, quæ

Disp. XIX. *Incomprehensibil. Dei. Sect. II.* 555

quæ necessaria est, vt dicatur includere in se intentionaliter totum obiectum; ad id autem sufficit exprimere cunctas obiecti perfectiones, earumque terminos, vt sic enim cognitio intentionaliter claudit obiectum. *Non placet*, quia ea cognitionis extensio ad omnes obiecti perfectiones, necessaria tantum est ad comprehensionem extensiuam obiecti; non verò intensiuam; etenim non solum repugnat totum Deum à creatura comprehendi, sed quamlibet etiam illius perfectionem: ergo si ad comprehensionem intensiuam totius Dei sufficiens esset cognitio clara omnis diuinæ perfectionis; similiter ad comprehensionem vnius, sufficiens esset cognitio clara illius; vnde visio beata, vtpotè clarè plures Dei perfectiones repræsentans, de facto esset earum comprehensio.

24. Afferendum est ergo cum communi sententia, ad comprehensionem alicuius obiecti opus esse, vt cognitio tanta perfectione illud attingat, quanta obiectum simpliciter, & absolutè attingibile est ex parte obiecti; cum autem Deus simpliciter, & absolutè infinita perfectione sit attingibilis; inde ad illius comprehensionem necessaria est cognitio, quæ infinita perfectione attingat illum; implicat autem cognitio creata attingens Deum perfectione absolutè, & simpliciter infinita: ergo & comprehendens. dixi *ex parte obiecti*, quia licet creatura attingi possit à Deo modo infinitè perfectò, id non prouenit ex perfectione obiecti creati, cum finitum sit, sed ex perfectione subiecti cognoscentis modo infinitè perfectò, etiam ea, quæ finita sunt; ad comprehensionem autem solum adæquatio cognitionis cum cognoscibilitate ex parte obiecti; non verò ex parte omnis subiecti; vnde vna creatura poterit ab alia comprehendi, etiamsi infinita perfectione ex parte subiecti, nempe Dei attingi possit.

25. Quæres tamen, quanam sit cognitio adæquans cognoscibilitatem ex parte obiecti? aliqui cum Arriaga disp. 3. sect. I. num. 3. Respondent, illam cognitionem adæquare cognoscibilitatem ex parte obiecti, quæ per se procedit ab intelligente æque saltem perfectò cum obiecto, se-

Comprehensionem necesse est tanta perfectione attingi, obiectum, quanta attingibile est ex parte obiecti.

Quanam sit cognitio adæquans cognoscibilitatem ex parte obiecti.

cundum propriam, & specialem rationem intelligendi, illam verò non adæquare, quæ licet per accidens procedat ab intelligere æque perfecto cum obiecto, tamen per se procederet, etiamsi minus perfectum esset.

26. Non placet, nam quælibet cognitio repræsentans lapidem per se procedit ab intelligente magis perfecto, quàm sit lapis; nec tamen quælibet cognitio lapidis adæquat cognoscibilitatem illius; aliter omnis cognitio lapidis esset illius comprehensua: ergo non omnis cognitio exigens oriri à principio æquè perfecto cum obiecto, adæquat illius cognoscibilitatem.

27. Respondeo igitur, illam cognitionem adæquare cognoscibilitatem ex parte obiecti, in qua tot sunt gradus perfectionis in cognoscendo, quot sunt in obiecto gradus cognoscibilitatis; sicut illa intensio qualitatis adæquat intensibilitatem subiecti, quæ tot gradus continet, quot exigentiæ sunt in subiecto, & ea gloriæ intensio adæquat gratiam, quæ tot gradibus constat, quot gratia. Ad eum modum dicimus philosophandum esse de cognoscibilitate ex parte obiecti, & cognoscibilitate cognitionis; Attendendos esse gradus perfectionis cognoscibilitatis obiecti, & cognoscibilitatis cognitionis, qui si æquales sint, cognitio adæquabit; si verò inæquales, non adæquabit; quando autem æquales sint, res est nobis incerta in cognitionibus creatis, hoc certum istos diuinam cognoscibilitatem adæquare non posse.

SECTIO III.

*Unde repugnet creaturæ extensua Dei
comprehensio?*

Comprehensio intensua quæ differat ab extensua.

28.

Comprehensio extensua eo differt ab intensua, quod illa se extendit ad omnes obiecti perfectiones, & respectus ad quoscumque terminos extrinsecos; se-

CUS

Disp. XIX. *Incomprehensibil. Dei. Sect. III.* 557

cus verò ista. Difficultas ergo est, vnde similis Dei comprehensio repugnet. Nec audiendi sunt Recentiores aliqui, qui reiecta intensua Dei comprehensione, possibilem admittunt extensiuam; assumpti enim falsitas constabit ex dicendis.

29. Prima ergo sententia cuiusdam Recentioris existimat implicare creatam Dei comprehensionem extensiuam, quia deberet attingere omne cognoscibile, non solum in se, sed etiam in alio, & ex alio, quod implicat cognitioni creatæ; nihil enim haberet, quo distingueretur à cognitione diuina, modis illis omnibus cuncta cognoscibilia perfectissimè, cognoscente. *Non placet*, quia cognitio creata, & increata non differunt penes obiecta; idem enim potest esse vtriusque obiectum, maximè, cum de facto cognitione creata attingatur saltem confusè omne cognoscibile, sed differunt penes modum tendendi, qui in cognitione creata est imperfectus, & limitatus; in increata verò infinitus, & absque vlllo limite: ergo etiam si cognitio creata attingeret omne cognoscibile in se, in alio, & ex alio, adhuc haberet per quid ab increata distingueretur; perspicuitas enim cognitionis diuinæ semper infinitè superaret claritatem cuiusuis cognitionis creatæ.

Sententia de
extensione ad
omne co-
gnoscibile
insufficiens.

30. Dices creatura, quæ exigeret essentialiter replere omne spacium, nihil haberet, quo distingueretur ab immensitate diuina: ergo neque cognitio, quæ essentialiter exigeret extendi ad omne cognoscibile haberet aliquid, quo distingueretur à cognitione diuina. Retorque; creatura, quæ exigeret essentialiter omne spacium, quocumque modo exigeret, nihil haberet, quo distingueretur ab immensitate diuina: ergo cognitio exigens omne cognoscibile repræsentare, quocumque modo exigeret, nihil haberet, quo distingueretur à cognitione diuina; vnde impossibilis esset cognitio confusè attingens omne cognoscibile.

Instantia ab
immensitate
desumpta mi-
nimè effi-
cax.

31. Respondeo igitur negans consequentiam. Disparitas est, quia immensitas diuina, vt ostendi de *Attributis*, consistit in præcisa exigentia Physica essentialiter replendi

Disparitas
inter immē-
sitate &
comprehē-
sionem.

omne spatium; unde si creatura eam exigentiam haberet, quoque immensitatem Dei contineret; cognitio autem diuina, non stat in præcisa exigentia omnis cognoscibilis, quam habere potest cognitio confusa creata, sed in speciali modo tendendi, & in eminentissima perspicacitate supra omnem eminentiam cognitionis creatæ, cuius claritas summa esse non potest, nam quacumque supposita maior altera possibilis est; Idcirco, etiamsi ex parte obiecti nulla sit distinctio obiectorum, adhuc in intensionalibus stat fundamentum vnam cognitionem ab altera secerendam, & consequenter ad distinguendam diuinam à creata.

Sententia
Ouedi, &
Alfonsi de
extensione ad
actus liberos
Dei.

32. Secunda sententia, cuius ante meminerat Petrus Hurtado disput. 54. de Incarnat. §. 190. Est etiam Ouedi contro. 6. de Anima punct. 5. §. 2. & Alfonsi ibidem disp. 16. sect. 4. asserentium impossibilem esse extensiuam Dei comprehensionem, quia attingere deberet omnes diuinas perfectiones, non solum necessarias, sed etiam liberarum, eo modo, quo sunt in Deo: id autem impossibile est cognitioni creatæ: ergo & creata comprehensio extensiuam Dei. Maior supponitur ex definitione comprehensionis, quæ totum obiectum adæquare debet. Minor probatur, quia perfectiones liberæ ita sunt in Deo quoad entitatem, ut quæ existunt denominatiuè, potuerint non existere, & quæ non sunt denominatiuè potuerint esse absque vlla physica Dei mutatione; nulla autem cognitio creata participare potest in se inscrutabilem perfectionem diuinorum actuum liberorum; quæ scilicet sit cognitio, quoad entitatem, de se indifferens ad cognoscenda decreta, quæ non existunt denominatiuè; si essent; & non cognoscenda, quæ sunt denominatiuè, si non fuissent: ergo nulla est possibilis cognitio creata adæquans cognoscibilitatem perfectionum liberarum; & consequenter neque comprehendens.

Ad comprehensionem non opus est participare modum essendi obiecti.

33. Displicet etiam sententia. Nam ad comprehensionem satis est cognoscere omnia, quæ sunt in obiecto; non autem necessarium est, cognitionem participare in modo cognoscendi, modum essendi obiecti; obiectum enim

D
en
erg
ess
val
con
&
nib
ada
etia
uin
cifi
quo
nec
non
in a
libe
34-
quo
crea
non
tiam
Hu
so d
plic
preh
ria,
dit,
nita
ad t
nec
gno
lum
fion
ne f
imp
Dei
35-

Disp. XIX. *Incomprehensibil. Dei. Sect. III.* 559

enim liberum comprehendi potest cognitione necessaria: ergo similiter obiectum absque physica mutatione potens esse, & non esse denominatiuè, poterit à cognitione non valente repræsentrare, & non repræsentrare denominatiuè, comprehendi; si omnia, quæ sunt in Deo quoad entitatem, & quoad denominationem, clarè penetrentur; tunc enim nihil obiecti lateret cognoscentem: ergo totum obiectum adæquaretúr, quin aliquid illius lateret cognoscentem etiam quoad differentias. *Confirmatur.* Ea indifferentia diuinæ libertatis tantum est in actu primò antecederet præcisiuè ad omnem actum secundum; ex suppositione autem, quod eligeret Deus suo decreto hæc obiecta, & omiserit alia, nec omissa possunt existere denominatiuè, nec existentia non existere: ergo si clarè cognoscatur illa indifferentia in actu primo, & hæc suppositio actus secundi, tota diuina libertas comprehenderetur, si aliunde nihil obster.

34. Tertia sententia est Moncæi disput. 2. cap. 4. & aliorum Recentiorum, ideò repugnantium impossibilem creatam Dei extensiuam comprehensionè, quia penetrare non potest decretum diuinum ipsam decernens, nec scientiam visionis decreto, & ipsa comprehensione posteriorem. Huius sententiæ fundamentum examinandum est ex professo dum de obiecto visionis disputemus. Interim tamen displicet, quia nisi de voce disputetur, ad perfectam Dei comprehensionem sufficit cognitio omnis perfectionis necessaria, nam Deus se ipsum sua scientia necessaria comprehendit, ex eaque solum procedit verbum, vt ostendi de Trinitate. Insuper Deus non constituitur aliquo libero: ergo ad totum Deum comprehendendum, solis perfectionibus necessariis etiam extensiuè constitutum, opus non est cognosci libera. *Confirmatur.* Quia iuxta hanc sententiam solum libertatis diuinæ mysterium obstat creatæ comprehensioni, eamque Trinitatis Mysterium non superaret ratione sui, quod nec Scripturæ, nec Patribus consonum est, impossibilitatem creatæ comprehensionis referentibus in Deitatem, & Mysteria necessaria.

35. Afferendum ergo est, implicare extensiuam Dei comprehensionem,

Sententia P. Moncæi, quia decretum, & scientia ipsius comprehensionis attingi non possunt, expuncta.

Implicat ex-
tensiuam com-
prehensio-
quia imbibit
intensiuam.

prehensionem, quia ista imbibit intensiuam, quæ penitus repugnat cognitioni creatæ. Probatur, quia impossibile est cognitionem aliquam esse comprehensiuam totius obiecti, & nihil comprehendere; talis autem esset extensiuam comprehensio, quæ simul non esset intensiuam: ergo. Minor probatur, quia cognitio, quæ nullius perfectionis est intensiuam comprehensio, nihil obiecti comprehendit: ergo comprehensio extensiuam, si simul extensiuam non esset, nihil obiecti comprehenderet. *Confirmatur.* Comprehensio extensiuam talis non est, quia excludat intensiuam, sed quia dicitur comprehensionem intensiuam, non vnus tantum, sed alterius perfectionis obiecti, sed omnium: ergo implicat extensiuam comprehensio, quæ intensiuam non fit.

SECTIO IV.

An in hac vita visio beata fuit alicui concessa?

Status con-
trouersiz.

36. **N**on præcedit difficultas de Christo Domino, cui in instanti conceptionis concessam fuisse visionem beatam certissimum est; sed de cæteris puris viatoribus; & quidem de longè ordinaria, nulli tantum priuilegium contingere potuisse fatentur omnes, quia status viatoris est status certandi, peregrinandi, & merendi; non autem possidendi. Idque clarè expressit Euaristus Papa in Epist. i. quæ habetur tom. i. Conciliorum his verbis. *Lucem quam Deus inhabitat, nullus nostrum in hoc mortali corpore constitutus, potest aliquatenus contueri.* Controuersia ergo est, an in hac lege fuerit aliquis purus viator dispensatus.

Euaristus
Papa.

Beata Virgi-
ni concessa
fuit visio
Dei.

37. **A**ssero primò cum Suario tom. 2. in 3. part. disput. 19. sect. 4. in hac lege dispensatam esse Beatam Virginem, vt semel, saltem diuinam essentiam prægustaret. Ducor, quia titulo Maternitatis Dei, eximia, & peregrina priuilegia concessa sunt Virgini; non est ergo cur illi denegetur; maxime pro hac Virginis gloria, nobilissimo Patrum, & Doctorum.

Disp. XIX. *Incomprehensibil. Dei. Sect. IV.* 561

etorum agmine militante, quos fecunda eruditione colligit noster Salazar de conceptione cap. 32. §. 4.

38. Quo autem tempore Beata Virgo viderit diuinam essentiam, & an semel, vel pluries, diuiduntur Patres, & Doctores. Aliqui asserunt vidisse Deum in instanti suae conceptionis transeunter, & per breue tempus. Ita Salazar citatus, Ribas hinc disputat. 14. capite 2. Mendoza in viridario lib. 2. Problemate 10. fine, Serlogus in cantica vestigatione 24. explanatione morali concl. 2. à num. 46. Cellada in Apendice de Iudic. figurato §. 8. num. 44. Gueuara in Matth. obseruatione 15. concl. 1. §. 7. numero 5. Pintus Ramirez de conceptione Anthologia 12. §. 1.

In instanti
suae conce-
ptionis.

P. Salazar.
P. Ribas.
P. Mendoza.
P. Serlogus.
P. Gueuara.
P. Pintus Ra-
mirez.

39. Beatus vero Thomas à Villanoua sermone de Resurrectione Christi 100. Beatam Virginem in ipso resurrectionis die diuinam essentiam clarè vidisse testatur. Diuus Antoninus 4. part. titulo 15. capite 17. in die Incarnationis, vel Natiuitatis. Gerson super Magnificat, Alfabeto 82. littera Q, & R. licet non signet diem, iudicat tamen Beatam Virginem non semel, sed saepius, imò frequenter clara Dei visione fuisse perfusam, quae omnia in tantae matris obsequium satis probabilia sunt.

In die Re-
surrectionis
Christi S.
Thomas à
Villanoua.
In die Incar-
nationis, D.
Antoninus
saepius vidit
se, Gerson
tenet.

40. Dices primò. Si Beata Virgo in primò conceptionis instanti Deum vidisset, nihil mereri potuisset: id falsum est: ergo, &c. sequela probatur, quia visio beata necessitat ad amorem: ergo per illum nihil mereri potuisset. *Respondeo*, visionem beatam non necessitare adhuc amorem pra alio, sed ad aliquem; vnde electio melioris meritoria Virgini fuisset, vt in simili dixi de amore Beatifico Christi Domini tract. de Incarnatione.

Meritum B.
Virginis cū
visione bea-
ta.

41. Dices secundò. Si Beata Virgo vidisset Deum in primò suae conceptionis instanti, non potuisset per actum fidei de existentia Dei, se disponere ad primam sanctificationem; actus enim fidei pugnat cum euidencia eiusdem obiecti: ergo, &c. *Respondeo* negans sequelam eiusque probationem, nam actus fidei de existentia Dei ad iustificationem requisitus componitur cum euidencia naturali abstractiua de eadem existentia Dei: & etiam

Fides eiusdē
cum visione
beata.

cum visione Beata posteriori ipsa fide, & iustificatione maximè, cum motuum actus fidei sit diuersum, & non visum.

Nullus in hac vita, præter B. Virginem, Deum vidit.

42. Affero secundò, nullum alium purum viatorem, præter Beatam Virginem, dispensatum fuisse in ea lege; atque adeò nullum in hac vita mortali vidisse Deum; est communis Doctorum, quamuis oppositum teneant de Moyse, & Paulo Augustinus, & Thomas apud Granadum hîc tract. 7. disputat. 1. Et de Sancto Iosepho Petrus Morales in capite 1. Matth. libro 1. tract. 1. num. 14. Salas Molina, Maldonatus, & alij apud Granadum. Probat, quia regula illa initio tradita generalis est: ergo absque graui fundamento eximendi non sunt Sanctissimi viri; fundamentum autem oppositæ sententiæ leuissimum est, vt ex obiectionum solutione constabit; ergo.


Varia Scripturæ testimonia declarata.

43. Obijcies primò pro Adamo illud Gen. 2. *Immisit ergo Deus soporem in Adam. Secundò pro Moyse illud Numerorum 12. Ore enim ad os loquar ei, & non per enigmata, & figuras Dominum videt.* Item Exodi 33. *loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Tertio pro Paulo obijcitur illud 2. Corint. 12. *Raptus est in Paradisum; & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: ergo clara à Dei visio, & non per ænigmata, & figuras concessa fuit illis à Deo. Respondeo, soporem Adam non fuisse visionem Dei, sed reuelationem aliquam infra visionem. Quæ autem pro Moyse adducuntur, solum conuincunt familiarem Dei communicationem cum ipso, visionem corpoream, qua Deum in forma visibili ei apparentem, videbat. Raptus autem Pauli, solum denotat magnam diuinorum reuelationem, quæ omnia absque visione intellectuali contingere potuerant.*



DISPUTATIO XX.

De Lumine gloriae, & an sit dispositio vel causa materialis, vel formalis visionis beatæ?

1.  **L**UMEN gloriae prout de facto est quatenus supernaturalis inhærens animæ, vel potentia intellectiva, utramque elevans ad visionem beatam. Statuta ergo visionis possibilitate, existentia, & supernaturalitate; munera luminis erga eandem visionem exorditur præfens disputatio, unde eius necessitas clarior apparebit.
- Lumen gloriae qualitas est supernaturalis.

SECTIO I.

An lumen gloriae sit dispositio, ut essentia divina uniatur intellectui per modum speciei, seu forma intelligibilis?

2. **A**ffirmant Caietanus, & eius Discipuli, asserentes, essentiam divinam esse formam intelligibilem, & ut talem verè, & realiter uniri intrinsecè intellectui creato; quamvis in esse entitativo non uniatur. Sequitur ipsum Theologus Salmanticensis Discalceatus hinc disput. 2. dub. 2. §. 3.

3. Asserendum tamen est primò cum communi nostrorum, nullam existere unionem intrinsecam Dei, in esse intelligibilis, cum intellectu creato. Primò, quia esse intelligibile Dei in actu primo, est formaliter ipsummet

Nulla statuo intrinsecam Dei, in esse intelligibilis, cum intellectu creato.

esse entitatum Dei, nec vlla ratione intrinsecè ex parte obiecti, aut virtualiter distingui possunt; cum essentia diuina, quæ est ipsum esse Dei intelligatur à Beatis: ergo est formaliter intelligibilis, sicut Personalitas Verbi, quæ physicè vnitur humanitati, est formaliter vnibilis, & intelligibilis; quod autem vnitur intellectui, est esse vnibile: ergo impossibilis est vnio intrinseca esse intelligibilis Dei, quæ similiter etiam non sit vnio esse entitatiui Dei; nulla autem datur vnio intrinseca esse entitatiui Dei cum intellectu creato: ergo neque esse intelligibilis.

4. Confirmatur. Vel esse intelligibile, & esse entitatum distinguuntur virtualiter in Deo, vel non? Si non distinguuntur: ergo vnito vno, etiam alterum vniri debet; vniri enim, & non vniri prædicata sunt contradictoria, quæ si vera essent de esse entitatio Dei, & intelligibili, sine dubio distinctionem virtualem eorum arguerent; vnde falsum esset non distingui, si distinguuntur: ergo non potest videri esse entitatum Dei à Beatis, quod dici non potest. Probatur consequentia, quia obiectum, quod non vnitur intellectui, non potest ab ipso videri; ideò enim exigitur à nobis vnio illa; esse autem entitatum Dei, vt distinctum ab intelligibili, non potest vniri intellectui: ergo neque videri, vel si esse entitatum videri potest absque vnione: ergo hæc libere constituitur ad videndum Deum.

Responsio
Aduersario-
rum fracta.

5. Dices totum esse Dei vniri intellectui per modum formæ intelligibilis; nihil verò Dei vniri per modum formæ entitiuæ, siue naturalis, quia hæc ordinatur ad componendam vnã naturam, quod repugnat diuinæ, vtpotè in se omnino perfectæ; forma autem intelligibilis non ordinatur ad componendam aliquam naturam, sed ad perficiendam illam ad intelligendum, quod non repugnat naturæ diuinæ diuinæ; imò hoc modo naturam creatam perficere magna est Dei excellentia. *Contra*, ideò natura diuina non potest esse forma entitiua, siue naturalis, quia in esse entitatio, & naturali est omnino perfectæ; sed etiam in esse intelligibili est omnino perfectæ: ergo non potest esse forma intelligibilis. *Secundò*, quia, substantia
Verbi

Verbi perficit humanitatem, etiam si non sit forma respectu illius: ergo similiter natura diuina posset intellectum creatum perficere, etiam si non esset forma illius.

6. Secundò probatur conclusio, quia superuacanea est vnio illa intrinseca; Si aliqua enim esset necessitas, maximè, quia ex obiecto, & potentia fit vnum principium cognitionis, quæ vnitas stare non potest respectu visionis absque vnione intrinseca cum intellectu creato: id falsum est: ergo. Minor probatur, nam vt ex comprincipiis partialibus vnum totale confurgat, sufficiens ad productionem effectus, nulla opus est vnio intrinseca comprincipiorum inter se, sed sufficit extrinseca coniunctio, & applicatio; sic duo luminosa coniuncta causant eandem lucem, & duo homines trabem, impellentes eundem impulsam, & Deus, & creatura eundem effectum: ergo si vnitas principij physici stat absque vnione intrinseca physica comprincipiorum; cur vnitas principij intentionalis, stare non poterit absque vnione intrinseca intentionali.

Secunda probatio, quia nulla est necessitas vnionis intrinsecae.

7. Tertio, quia vnio iuxta principia Thomistarum debet esse indistincta à Deo, sicut indistinctam tuentur vnionem hypostaticam, vt fatetur Theologus Discalceatus par. 3. fine; de facto autem impossibilem esse vnionem Dei cum aliquo creato ab ipso indistinctam, ostendi ex professo tractatu de Incarnatione. Fundamentum breui suggero. Nam in tempore nulla potest esse de nouo in Deo intrinseca perfectio, etiam libera, quæ non fuerit ab æterno, propter diuinam immutabilitatem, & constantiam: ergo vnio, quæ de facto staret, præexistere debuisset ab æterno; id implicat, quia ab æterno non fuit alterum extremum, nempe intellectus, à quo existente essentialiter vnio illa penderet, cum essentialiter sit duorum intrinseca determinatio: ergo neque potuit ab æterno existere vnio, & consequenter neque in tempore, aliter enim aliquid Deo intrinsecum inciperet de nouo.

Tertia ratio, quia vnio deberet esse indistincta à Deo, & id implicat de facto.

8. Confirmatur. Vnio tam essentialiter est determinatio vnus ad alterum extremum, quàm physica prædeterminatio sit determinatio causæ ad effectum; implicat autem,

Sua physica prædeterminatione vt gentur Thomistæ.

vt fatentur vnanimis Thomistæ, existere prædeterminationem causæ ad effectum, & non existere causam, & effectum: ergo & implicabit existere vnio, & non existere vtrumque extremum; ab aeterno autem non existit vtrumque extremum, vt est certum: ergo neque vnio.

Concursus
physicus Dei
stat absque
vnione in-
trinseca: er-
go & inten-
tionalis.

9. Quarto, in sententia Thomistarum, & nostra, duplici modo concurrit Deus ad visionem, & per modum obiecti, & per modum causæ physicæ, concursu simultaneo omnipotentia; nulla autem est necessitas, nec possibilitas, (saltem de facto) vnionis Dei cum intellectu creato in esse causæ physicè productiuæ: ergo neque in esse causæ per modum obiecti productiuæ.

Prima Ad-
uersariorum
responsio.

10. Dices primò. Necessariam esse eam vnionem in concursu per modum obiecti, quia omne intelligibile, quod non sit ipsum intelligens, debet isti vniri, vel immèdiatè per se ipsum, quando nulla est possibilis species intelligibilis creata, scilicet impressa obiecti, vel per speciem intelligibilem distinctam, qua ratione omnia obiecta creata ab intelligente distincta, vniuntur ipsi. Cum autem in via Diui Thomæ nulla sit existens aut possibilis species impressa Dei, inde necessaria est vnio eiusdem cum intellectu creato, vt videlicet Deus sit debitè coniunctus, & applicatus potentia. *Contra* tamen, quia obiecta creata, & ab intelligente distincta, non vniuntur intellectui adhuc media specie intelligibili, vt patet quando cognoscis valentia obiectum distans, & impotens speciem mittere, v. g. statuam Romæ existentem, vel obiectum præteritum, aut futurum, imò nec obiectum ea proportione præsens, vt posset species in potentiam traducere illi vniri, quia vt obiectum media specie vniretur potentia, opus erat, vt immèdiatè vniretur speciebus à se productis: ergo neque mediis illis potentia.

Obiecta
creata non
vniuntur in-
trinsecè in-
tellectui.

Secunda re-
sponsio, spe-
ciem esse
eiusdem ra-
tionis cum
obiecto, in-
sufficiens.

11. Occurres. Species intelligibilis esse eiusdem rationis cum obiecto; atque ad eò vnitis illis sufficienter dici obiectum immèdiatè vnitum.

12. *Contra* tamen. Primò, quia species esse eiusdem rationis cum obiecto, videlicet speciem lapidis, esse lapidem, species

spec
vt of
nion
renti
lapis
est, &
in sen
nulla
nequ
13.
ciebu
admit
concu
rum
ria fu
osten
re qu
obie
se ips
fui vn
14.
vtpot
tellig
sed fu
produ
creata
intelli
vt pa
orium
ta alte
de Ar
efficie
Philos
ad qu
reret a
distan
est ne

species assumi, esse a finum, nullo probatur fundamento, ut ostendi in libris de anima. Cæterum permittamus opinionem illam, & adhuc contendo obiectum non vniri potentia, quia licet species lapidis esset lapis, non tamen est lapis se tenens ex parte obiecti; lapis enim, qui obiectum est, & lapis, qui est species realiter distinguuntur, etiam in sententia Thomistarum; lapis autem, qui est obiectum, nulla ratione vnitur immediatè lapidi, qui est species: ergo neque medio isto vnietur potentia.

13. Contra secundò. Quia etiamsi de facto mediis speciebus obiecta creata vnirentur intelligenti, adhuc iudico admittendam non esse vnionem obiecti se ipso immediatè concurrentis ad visionem. Nam vnio immediata specierum cum intellectu contingit de facto, non quia necessaria sit ad agendum vnà cum intellectu, ut in superioribus ostensum est; sed quia species intelligibiles sunt de genere qualitatis exigentis de se vnionem cum subiecto: ergo obiectum quod qualitas non est, scilicet Deus, etiamsi per se ipsum immediatè concurrat, nullam exigit intrinsecam sui vnionem cum intellectu.

Vnio cū intellectu necessaria speciebus non est ad operandum cum illo.

14. Tertio, quia hæc responsio dat nobis quæstionem, utpotè contendentibus, nullam esse necessitatem, ut intelligens sit ipsum intelligibile, siue obiectum cognitum; sed sufficere præstantiam obiecti, ad cognitionem ipsius producendam, & complendam potentiam intellectiuam creatam, etiamsi præstet concursus efficientem in actum intelligendi; ad id enim sufficit vnio extrinseca causarum, ut patet in omnibus aliis effectibus, qui à duplici causa oriuntur, siue vtraque creata sit, siue vna creata, & increata altera. *Confirmatur*, quia obiectum, ut ostendi in libris de Anima, nec per se, nec per species præstat concursus efficientem in cognitionem; iste enim permissus est à Philosophis, non alio fundamento, nisi quia munus aliud, ad quod species necessariae essent, non apparebat; appareret autem, si necessaria sit ad approximandum obiectum distans, vel absens; idcirco obiecto intimè præsentem nulla est necessitas specierum: ergo nõ est, cur obiecto, aut speciei concursus

Obiectum nullum præstat concursus efficientem in cognitionem.

concurfus effectiuus in cognitionem concedatur, sicut nec conceditur approximationi agentis ad passum: ergo neque vlla erit necessitas vnionis obiecti cum intellectu, vt cum eo concurrat per modum obiecti,

Responso
Theologi
Discalceati
de mare, &
fœmina.

15. Dices secundò ex Theologo Discalceato §. 2. & 4. nam in cognitione interuenit quidam partus: ergo oportet vt adsit quædam fœmina, scilicet potentia intellectiua, & simul aliquod habens se instar Maris fœcundantis, nimirum obiectum: ergo sicut intellectus habet specialem concursum per modum fœminæ, ita obiectum per modum Maris. Iste tamen Theologus sine dubio concedere tenetur ex suo argumento, Deum, respectu intellectus creati, se habere instar Maris, qui modus loquendi aliquantulum horridus est. Et sanè quilibet effectus est quidam partus; nec tamen indiget Mare, & fœmina. Respondeo igitur, neque obiectum se habere instar Maris, neque intellectum instar fœminæ, sicut nec voluntas respectu sui partus, ita se habet, sed esse potentiam vitalem solis indigentem principiis ex parte potentix ad suos actus.

16. Denique displicet ea vnio cum intellectu, quia etiam si necessaria esset aliqua vnio Dei, sufficeret proxima, & immediata cum solo lumine, & remota tantum siue mediata cum intellectu. Nam in sententia ferè omnium, tam necessaria est visionis vnio cum intellectu, ad videndum Deum, quàm necessaria sit in sententia Discalceati vnio Dei cum intellectu, vt iste actuetur in esse potentix proximè intelligibilis; per te autem ad videndum Deum sufficit vnio visionis proxima, & immediata cum solo lumine: ergo ad constituendum in actu proximè intelligibili, sufficiet vnio proxima, & immediata cum solo lumine, & remota tantum siue mediata cum intellectu.

17. Ex dictis collige, lumen non esse dispositionem, vt essentia diuina vniatur intellectui in esse speciei, vel formæ intelligibilis, quia impossibilis est, saltem de facto, talis vnio.

Vnio intrin-
seca Dei cū
intellectu nō
est de mente
S. Thomæ.

17. Afferò secundò, talem vnionem intrinsecam non esse de mente S. Thomæ, sed tantum coniunctionem, & applicatio

applicationem extrinsecam per intimam præsentiam, & indistantiam obiecti à nostris Doctoribus requisitam. Tum quia nullibi asseritur à S. Thoma vnio intrinseca Dei cum intellectu creato; & omnia testimonia, quæ in contrarium proferuntur, de vnione per coniunctionem extrinsecam, plane, & plenè intelliguntur; vt constabit ex argumentorum solutione, nec est aliud vrgens fundamentum quod nos aliquantulum vrgeat. *Confirmatur*, quoties Sanctus Doctor asserit obiectum vniri intellectui, semper loquitur cum addito, scilicet *quodammodo, aliquo modo*. Ita 1. part. qu. 12. art. 2. Expressius quodlib. 7. quæst. 1. artic. 1. cum sibi obie- cisset, non posse intellectum creatum videre immediatè Deum, sed per aliquam similitudinem, ex eo quod essentia diuina non possit per se ipsam informare intellectum, vt faciat ipsum in actu. Respondet, *dicendum quod intellectus creatus fit actu ad videndam diuinam essentiam per lumen gloria, & hoc sufficit*: ergo ex mente S. Thomæ non requiruntur vnio intrinseca Dei informantis intellectum, alioqui solum lumen non sufficeret.

19. Obijcies Sanctus Thomas 1. part. quæst. 12. art. 2. in prima conclusione ait. *Dicendum, quod ad visionem tam sensibilem, quàm intellectualem, duo requiruntur, scilicet virtus visiva, & vnio rei vise cum visu*. Et ibidem ad tertium, Deum vniri intellectui, sicut alia obiecta creata vniuntur eidem intellectui mediis speciebus intelligibilibus: Idem habet quodlibet. illo septimo, articulo pro nobis adducto. Et 3. cont. Gentes cap. 51. Obiecta autem creata vniuntur intrinsecè intellectui mediis speciebus: ergo Deus immediatè per se ipsum. Denique 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 3. ait. Essentia diuina vnitur menti beati, sicut intelligibile intelligenti: ergo, &c.

20. Respondeo Sanctum Doctorem in priori testimonio, immediatè post illud, suam mentem explicare, addendo *quodammodo, & aliquo modo*, quæ vnionem denotant impro- priam. Ad secundum testimonium concessa maiori, quæ est Sancti Thomæ, falsa est minor Caietanorum, vt supra ostendimus, imò existimo illo testimonio Sanctum Do-

S. Thomas
obiectus, &
expositus.

ctorem tantum contendere, Deum eo modo vnire se ipsum intellectui, quo necessarium est vniri obiecta creata mediis speciebus intelligibilibus ad causandam visionem; ad id autem species non exigunt intrinsecam vnionem, sed sufficiens est extrinseca, si diuinitus crearentur. Vltimum testimonium nihil meminit de vnione intrinseca, sicut nec alia, quæ refert Discalceatus.

S E C T I O II.

An permessa ea vnione lumen disponderet ad illam, vel ad visionem beatam recipiendam?

Sententia Thomistarū, & nostrorū, Caietanus. Bañez. Nazarius. Ferrara. Gonzalez. Capreolus. Discalcea. tus. P. Vasquez.

21. **C**irca primam partem Caietanus, Bañez, Nazarius, Ferrara, Gonzales, Capreolus, & alij, quos refert, & sequitur Theologus Discalceatus disp. 4. dub. 2. §. 2. affirmat lumen esse dispositionem, vt essentia diuina vniatur intellectui per modum speciei, seu formæ intelligibilis. Negant tamen communiter nostri cum P. Vasquio disput. 43. capite 3.

Lumen non est dispositio, vt essentia diuina vniatur intellectui per modum speciei, aut formæ intelligibilis.

22. Asserendum tamen est, lumen gloriæ non esse dispositionem, vt essentia diuina vniatur intellectui per modum speciei, seu formæ intelligibilis. Probatum primò, quia proximum, & immediatum subiectum alicuius formæ, & vnionis, non est dispositio ad illam, vt trita tenet Philosophia, sic materia prima non est dispositio ad formam substantialem, & vnionem istius cum ista, nec intellectus est dispositio ad lumen, aut gratiam in ipso receptam; lumen autem est proximum, & immediatum subiectum, saltem parziale, eius vnionis, & formæ intelligibilis, imò in sententia Discalceati est totale subiectum proximum, nam, vt sæpius inculcat, ea vnio terminatur ad intellectum, vt eleuatum, sicut productio visionis; vnde sicut ista in sententia Aduersarij terminatur ad solum lumen, tanquam ad totam rationem proximam agendi, ita vnio

vnio illa consequenter terminanda erit ad solum lumen tanquam rationem proximam recipiendi: ergo lumen non poterit esse dispositio, vt Deus instar formæ intelligibilis vnietur intellectui.

23. Secundò, quia in sententia Caietanorum, sicut materia non potest recipere accidentia, quæ subiectantur in toto sine forma, ita neque intellectus recipere potest formam intelligibilem diuinam sine lumine; hoc tamen non obstante forma non est dispositio materiæ ad recipienda accidentia, sed concausa materialis eorum: ergo pariter lumen, cum saltem sit concausa materialis respectu formæ intelligibilis diuinæ, dispositio non erit, vt intellectus recipiat illam.

24. Dices, formam non esse dispositionem, quia hæc debet supponere subiectum existens; materia autem, cum existat per existentiam formæ, non supponitur existens ante formam; intellectus verò supponitur existens ante lumen, ideoque istud valet esse dispositio.

25. Contra tamen, quia licet totum sit subiectum *quod* accidentium; tamen sola quantitas est subiectum *quo*, & virtus proximè, & immediatè receptiua; quantitas autem licet supponat existentiam totius, & necessaria sit, vt totum recipiat accidentia; tamen quia est subiectum proximum eorum non est conditio, nec dispositio ad receptionem, sed causa illius: ergo etiamsi lumen necessarium sit, vt intellectus recipiat formam intelligibilem diuinam, cum tamen sit proximum illius subiectum, dispositio non erit; saltem rigorosa, ne de voce contendatur, sicut talis non est quantitas. *Confirmatur*, tam necessaria est forma intelligibilis ad vnionem ipsius cum intellectu, quàm lumen; forma autem intelligibilis, etiamsi supponat intellectum existentem, in sententia Aduersariorum, dispositio non est, quia est causa formalis intelligibilis: ergo cum lumen sit causa materialis, dispositio non erit. Insuper sicut necessarium est lumen, vt intellectus remotè recipiat, ita necessarius est intellectus, vt lumen proximè recipiat; intellectus autem non est dispositio, vt lumen proximè recipiat:

Supponere existentiam subiecti non facit dispositio ad formam.

ergo neque lumen erit dispositio, vt intellectus remotè recipiat

Nec fat esse
quid neces-
sariò requisi-
tum ad vnio-
nem formæ.

26. Tertiò, sicut lumen est potentia supernaturalis neces-
sariò requisita, vt forma intelligibilis vniatur intellectui,
ita intellectus est potentia naturalis necessario requisita, vt
species intelligibiles creatæ vniantur; in sententia Caieta-
ni, & Discalceati inauditum est intellectum esse disposi-
tionem, vt species intelligibiles creatæ vniantur: ergo ne-
que lumen erit dispositio, vt forma intelligibilis increata
vniatur intellectui, eo quod lumen ad eam vnionem ne-
cessario sit prærequisitum. *Quartò.* Sicut essentia diuina in
ratione formæ intelligibilis non potest vniri intellectui
creato, nisi vt eleuato lumine gloriæ, ita neque visio beata
vniri potest intellectui, nisi quatenus præunito essentiæ di-
uinæ in ratione formæ intelligibilis; hoc tamen non ob-
stante essentia diuina non est dispositio ad visionem bea-
tam recipiendam: ergo neque lumen ad essentiam diui-
nam in esse formæ intelligibilis recipiendam.

Alia formæ
supernatura-
les non exi-
gunt disposi-
tionem: ergo
neque vnio
essentiæ.

27. Quintò, alia formæ supernaturales nullam prærequi-
runt dispositionem, v.g. lumen, habitus infusi, character,
&c. ergo neque vnio essentiæ diuinæ in esse formæ intel-
ligibilis. *Confirmatur.* Si ob aliquam rationem essentia di-
uina exigeret aliquam dispositionem, vt vniretur intelle-
ctui creato, maximè, vt ait Theologus Discalceatus, quia
esset forma vltima in ordine intelligibili: id falsum est:
ergo. Minor probatur, quia tam essentia diuina in esse for-
mæ intelligibilis, quàm lumen ordinantur ad visionem
Dei, ad quam præparant creatum intellectum: ergo non
est forma vltima in genere intellectiuo; hæc enim ad aliam
eiusdem generis non ordinatur.

Responsio
formæ vlti-
mæ, quid
momenti
contineat.

28. Dices essentiam diuinam non esse formam vltimam
in genere intellectiuo; esse tamen vltimam in genere for-
mæ intelligibilis. *Contra,* quia hac ratione, videlicet in
suo genere quælibet forma supernaturalis est vltima, vnde
quælibet contra Aduersarium suam haberet dispositionem
in infinitum: ergo, &c. Sequela probatur. Nam ideò essen-
tia in esse formæ intelligibilis est vltima, quia non ordi-
natur

Disp. XX. De Lumine gloria. Sect. II. 573

natur ad aliam formam intelligibilem; sed neque habitus fidei ordinatur ad alium habitum fidei, & idem est de reliquis, neque lumen ordinatur ad aliud lumen, neque character sacramenti baptismi ordinatur ad alterum eiusdem baptismi: ergo erunt formæ ultimæ. Imò reddenda semper est ratio, cur forma vltima in ordine superno exigere debeat dispositionem; cum tamen aliæ non vltimæ nullatenus eam exigant.

29. Confirmatur, nam fatente Discalceato, gratia sanctificans, & vnio hypostatica, sunt formæ vltimæ in ordine superno; nec tamen vllam habent dispositionem physicam; imò nec moralem habet vnio hypozatica, nec gratia sanctificans in paruulis baptizatis: ergo de ratione formæ vltimæ in ordine superno non est habere dispositionem.

30. Respondet primò, gratiam vnionis esse formam vltimam, sed non habere dispositionem, eo quod ista supponere debeat naturam humanam existentem, cumque ista existat per existentiam Verbi, ante vnionem hypostaticam non supponitur existens. Hæc tamen Doctrina præterquam falsa; satis à nobis expuncta est supra tota secunda probatione. Et præterea ex ea responsione clarè concluditur de ratione formæ vltimæ in ordine supernaturali, non esse habere dispositionem.

31. Respondet secundò, gratiam habitualesse formam vltimam, & habere dispositionem, videlicet habitus ipsam comitantes, qui licet posteriores sint in genere causæ efficientis, sunt tamen priores in genere causæ materialis, & hoc sufficit ad dispositionem. Cæterum hæc Doctrina dicitur, & nullo probatur fundamento: ergo reiicienda. *Confirmatur*, vt vna res sit prior alia in genere causæ materialis, vel debet recipere illam, vel esse requisitum, vt recipiatur in alio; neutrum præstant habitus: ergo. Minor quoad primam partem certa est in sententia Aduersarij, nam gratia recipitur in anima; non verò in habitibus illam comitantibus. Quoad secundam probatur, nam gratia cum se habeat inftar essentia, non existit in anima ratione habituum, qui

Habitus comitantes nō sunt dispositione ad gratiam.

se habent instar proprietatis, imò è contra ideò habitus existunt in potentiis, quia gratia existit in anima, sicut ideò existit proprietas, quia existit essentia: ergo prior est unio gratiæ cum anima, quàm existentia habituum: ergo isti disponere non possunt ad gratiam in anima recipiendam, sicut nulla proprietas disponere potest ad essentiam cuius est proprietas: ergo habitus gratiæ posteriores nullatenus poterunt ad illam disponere. Firmo, nam in sententia Caietani gratia recipitur in anima; habitus verò in potentiis: ergo non possunt disponere animam in genere causæ materialis, cui non uniantur; neque potentias, quia ipsis non unitur gratia: ergo, &c.

32. Dices, habitus uniri mediata animæ, & hoc sufficere. Contra, quia accidentia media quantitate uniantur composito, nec tamen id sufficit, ut unum accidens sit dispositio ad alterum, nec ut omnia ad quantitatem disponant, etiam in genere causæ materialis: ergo neque unio mediata habituum sufficit, ut ad gratiam recipiendam disponant.

Dispositio non concurrat in eodem genere causæ cum virtute ad quã disponit.

33. Probatur ultimò. Quia dispositio non concurrat in eodem genere causæ cum virtute quam disponit, aut præparat ad effectum, ut patet in omni genere causæ; nam dispositiones naturales præparantes materiam ad recipiendam formam, illam non recipiunt, nec dispositiones præparantes causam efficientem ad effectum, inde concausa non dicitur dispositio, aliter omnipotentia præcincta ad cooperandum creaturæ, esset eius dispositio, & è contra: ergo cum lumen sit causa, vel saltem concausa materialis essentia diuinæ, in esse formæ intelligibilis, non poterit esse dispositio.

Ea dispositio luminis non est de mente S. Thomæ.

34. Affero secundò, lumen esse dispositionem propriam, & strictam, ut essentia diuina uniatu intellectui per modum formæ intelligibilis, non esse de mente Sancti Thomæ. Patet ex dictis, quia ea unio non est de illius mente: ergo neque dispositio luminis.

S. Thomas obiectus & declaratus.

35. Dices Sanctus Doctor hinc artic. 5. ait. *Cum aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma*

form
silio
tam
esse
eam
deo,
tion
artic
tiam
min
disp
36.
Omn
tes q
turar
dispo
iung
prop
plun
37.
mæ
ria e
pria
tani
ex di
Adu
rit d
ignis
si de
situm
recip
& in
38.
sione
in ge
que i
lume

Disp. XX. De Lumine gloria. Sect. II. 575

*forma intelligibilis intellectus, unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ad hoc, quod eleuetur in tantam sublimitatem: ergo dispositio ad essentiam diuinam in esse formæ intelligibilis, est de mente Sancti Thomæ; eam autem dispositionem docet ibidem esse lumen. Respondeo, Sanctum Doctorum illis verbis non sumpsisse dispositionem rigorosam, & propriam, sed latam. Titulus enim articuli est, *utrum intellectus creatus ad videndam Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat.* Sola igitur necessitas luminis libranda exponitur, quàm non negamus; esse autem dispositionem strictam nullibi exprimit.*

36. Instabis. Sanctus Doctor ibidem initio conclusionis ait, *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione, qua est supra suam naturam. Sicut si aer debeat accipere formam ignis, oportet quod disponatur aliqua dispositione ad talem formam.* Et statim subiungit verba numero præcedenti relata: ergo loquitur de propria dispositione; aliter non satis aptè adderet exemplum ignis propriam dispositionem exigentis.

Instantia ex
S. Thoma in
objicientes
reflectitur.

37. Respondeo, instantiam, & exemplum Sancti Thomæ solum contendere necessitatem luminis, sicut necessaria est dispositio ad formam ignis, an autem lumen sit propria dispositio, non curasse; hæc enim cura fuit Caietani, & discipulorum, quorum obiectiones omitto, quia ex dictis parata est abundans solutio. Imò instantia vrget Aduersarios; etenim sicut forma ignis propriam prærequirit dispositionem, quæ neque efficiat, neque causet formam ignis: ergo sicut aptè appositum non esset exemplum ignis, si de propria dispositione sermo non esset, ita aptè appositum non esset, nisi de pura dispositione, nec agente, nec recipiente sermo, fieret: id autem per vos falsum est: ergo & instantia contra nos.

38. Collige inde, neque lumen esse dispositionem ad visionem beatam recipiendam, quia neque est dispositio in genere causæ formalis, vt concedunt Aduersarij, neque in genere causæ efficientis, cum in eorum sententia lumen sit tota ratio agendi; nec in genere causæ materialis,

Lumen non
est dispositio
ad visionem
recipiendam.

cum

cum sic etiam ratio recipiendi : ergo in nullo genere causæ potest esse propria dispositio.

SECTIO III.

An lumen sit subiectum, siue causa materialis, aut formalis visionis beate?

Sententiæ Doctorum.

Caietanus.
Discalceatus.
Lorca.
Cabrera.
Scotus.
Aureolus.
Argentinas.
P. Soarius.
P. Molina.
P. Vasquez.
P. Herize.
P. Granadus.
B. Ripalda.

Lumen non est subiectum adæquatum visionis.

39. Circa primum, *Prima sententia* asserit solum lumen esse subiectum proximum, & immediatum visionis; intellectum verò tantum esse subiectum remotum, & mediatumque, uatenus uidelicet recipit lumen, in quo visio subiectatur. Ita Caietanus, quem refert, & sequitur Discalceatus disput. 3. dub. 3. §. 2. *Secunda sententia* docet nec solum lumen, nec intellectum solum, sed utrumque simul esse subiectum proximum, & immediatum visionis. Ita Lorca, 1. 2. disput. 31. membro. 1. Cabrera 3. part. qu. 9. art. 2. disp. 8. concl. 3. *Tertia sententia* tuetur solum intellectum quatenus à lumine distinctum, esse subiectum immediatum, proximum, & adæquatum visionis. Ita Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. Aureolus, Durandus, Argentinas, Soarius, Molina, Vasquez, Herize, Granadus, & multi alij, quos refert, & sequitur Ripalda tom. 1. de Ente superno disp. 26. sect. 1.

40. Affero primò, lumen non esse subiectum adæquatum visionis. Probatur primò. Si esset, maximè, quia visio esset supernaturalis, vel quia vitalis; alius enim titulus non est: neutrum conuincit: ergo. Minor probatur, nam plures formæ supernaturales recipiuntur in subiecto naturali, uidelicet gratia, habitus infusi, lumen gloriæ, unio hypostatica, & cætera: ergo visio titulo supernaturalitatis non exigit adæquatum supernaturale subiectum; neque titulo vitalitatis, quia isti conformius est subiectum uiuens, qualis est intellectus, quàm non uiuens, quale est lumen, & quamuis lumen esset uiuens, non tamen est capax intelligendi.

gendi, & videndi; si ergo visio quia supernaturalis exigit subiectum immediatum supernaturale, & quia vitalis, vitale: ergo quia intellectio est, & visio, exiget pariter subiectum intelligens, & videns: talis autem est solus intellectus: ergo iste erit subiectum saltem inadæquatum.

41. Confirmatur. Ideò habitus infusi in sententia opposita subiectantur saltem inadæquatè in potentiis, quia illis communicare debent suum effectum elevationis; visio autem communicare debet suum effectum videndi Deum, & intelligendi potentia naturali: ergo saltem inadæquate in illa recipietur.

Firmatur ex habitibus infusis.

42. Probatur secundò. Intellectus immediatè redditur intelligens, & videns per visionem beatam, & non medio lumine, quod intelligens non est, aut videns: ergo visio immediatè vnitur intellectui. Probatur consequentia, quia effectus intelligentis, & videntis, moralis non est, sed physicus; effectus autem formalis physicus, & immediatus, nullus est, nisi vnione physica, & immediata cum subiecto; sicuti effectus immediatus causæ efficientis nullus est, nisi per actionem immediatam: ergo ad effectum immediatum intelligendi, & videndi, necessaria est vnio immediata visionis cum intellectu.

Et ex denominatione intelligentis quam fortitur intellectus.

43. Tertiò, Amor beatificus, saltem inadæquatè, recipitur immediatè in potentia naturali: ergo & visio. Consequentia constat. Tum quia eadem est improportio potentia naturalis respectu vtriusque. Tum etiam, quia subiectum quod amat, moueri debet, & excitari cognitione illi obiectum proponente; aliter enim potentia amans, & non cognoscens, tenderet in incognitum: ergo cum potentia naturalis immediatè amans per amorem beatificum ipsi immediatè vnitur, saltem inadæquatè, similiter debet esse intelligens per visionem beatam, immediatè similiter vnitam, quæ omnia amplius ex dicendis firmabuntur.

Ex amore beatifico immediatè in voluntate recepto.

44. Afferò secundò contra secundam sententiam lumen non esse subiectum adhuc partiale visionis beatæ, sed solum intellectum, & naturam rationalem cum ipso. Proba-

Lumen non est subiectum partiale visionis, sed solus intellectus.

tur primo quia visio non exigit subiectum adhuc inadæquatum supernaturale, quia supernaturalis est, cum plura supernaturalia in sola potentia naturali subiectentur, vt videre licet, in lumine gloriæ, vnione hypostatica, gratia sanctificante, auxiliante, &c. Neque quia vitalis, vt sic enim tantum exigit subiectum videns, & intelligens per ipsam visionem, quale non est lumen, sed sola potentia & natura intellectiua: ergo ista erit subiectum adæquatum.

45. Confirmo. Si ob aliquam rationem lumen esset subiectum inadæquatum visionis, maximè, quia intellectus improportionatus est, non minus ad recipiendam, quàm ad agendam visionem; vnde sicut solus agere non potest, ita nec recipere; id autem non subsistit: ergo. Maior est vnicum Aduersariorum fundamentum. Minor probatur, quia licet potentia naturalis se sola sufficiens non sit ad agendas alias formas supernaturales, videlicet lumen gloriæ, gratiam iustificantem, vnionem hypostaticam, &c. tamen sola eas recipit: ergo quod potentia naturalis se sola agere non possit, non inde infertur solam recipere non posse.

46. Dices disparem esse rationem inter has formas, & visionem, illæ enim vitales non sunt, secus verò visio. Vnde titulo vitalitatis exigit recipit in potentia, à qua fluit, sicut & ceteri actus vitales; potentia autem actiua visionis non est intellectus solus, sed ipse simul cum lumine, ideoque in vtroque recipienda est.

47. Contra tamen *primò*, quia titulo vitalitatis solum exigit subiectum videns, & intelligens, vt ostendimus, quale sola est potentia naturalis. *Secundò*, quia nostro argumento clarè conuincitur improportionem subiecti naturalis non indigere aliquo alio vnà cum ipso recipiente visionem, quod erat fundamentum ab Aduersariis tenaciter apprehensum. *Tertiò*, quia in communi sententia nutritio est vitalis, nec tamen recipitur adhuc inadæquatè in potentia proximè actiua, nam ista, vel est anima rationalis, vel in sententia Caietana qualitas superaddita; in neutra autem

Improportio
intellectus
non obstat
quominus
visio in solo
illo recipia-
tur.

Tentata dif-
paritas expū-
cta.

autem recipitur nutritio consistens in vnione materiae alimenti cum materia praexistente: ergo non est de ratione actus vitalis recipi in principio proxime actiuo.

48. Confirmatur. Nam plures formae vitales, & supernaturales dantur, quae in nullo subiecto supernaturali, adhuc partialiter recipiuntur: ergo visio titulo formae vitalis supernae, non exigit subiectum supernaturale, adhuc inadaequatum. Antecedens probatur, nam gratiae auxiliares consistentes in actibus intellectus, & voluntatis sunt formae vitales, & idem est de actibus virtutum moralium, qui omnes in peccatore nullum habent supernaturale subiectum; nam habitus huiusmodi, utpotè gratiam sanctificantem comitantes, non existunt in peccatore; nullum autem aliud subiectum supernum assignari potest: ergo & caetera.

Plures formae supernae in solo subiecto naturali receptae.

49. Obijcies primò contra primam conclusionem. Lumen est tota ratio agendi visionem: ergo & recipiendi. *Respondeo*, falsum esse antecedens. Addo illo permissio, non sequi consequentiam, quia etiamsi lumen esset tota vis agendi, non tamen esset tota vis intelligendi, & videntis, ad quam dicimus necessariam esse vnionem cum intellectu. Inde colligo etiamsi lumen sit inadaequata virtus agendi, non esse inadaequatam virtutem recipiendi, quia visio non exigit vnionem cum principio, ut fiat, sed ut illi communicet effectum intelligendi, ut videntis, quia cum solius intellectus sit proprius, illi soli exigit vniri.

Prima obiectio quia lumen est tota ratio agendi inefficax.

50. Obijcies secundò contra secundam conclusionem. Improportio potentiae naturalis ad agendam visionem indiget lumine agente vna cum ipsa: ergo similis ad visionem recipiendam indigebit lumine vna cum ipsa recipiente. *Respondeo*, concesso antecedenti, negans consequentiam, quia improportio ad agendum suppleri non potest in alio genere causae, nisi efficientis, cum sola ista det esse simpliciter effectui; improportio verò ad recipiendum suppleri potest eminentiori genere causae, scilicet efficientis, ut patet in lumine gloriae, gratia sanctificante, vnione hypostatica, &c. quae in solo subiecto naturali reci-

Indigentia principii actiui superni non arguit indigentiam similis subiecti.

piuntur; unde nulla est necessitas principij supernaturalis in genere causæ materialis eleuantis.

Quo pacto
intellectus
recipiat vi-
sionem vt
eleuatus.

51. Instabis. Lumen gloriæ eleuat potentiam naturalem, non solum ad agendam, sed etiam ad recipiendam visionem: ergo non solum debet agere vnâ cum ipsa, sed etiam recipere. Nego consequentiam, quia vt eleuetur potentia naturalis ad recipiendam visionem, satis est, quod eleuetur à lumine ad agendam receptionem sibi intrinsecam. *Vir-
gebis* Potentia naturalis non recipit visionem, nisi vt eleuata: ergo causa eleuans debet vna cum potentia recipere, aliter non reciperet, vt eleuata. *Respondeo*, distinguens antecedens, non recipit nisi vt eleuata à lumine in genere causæ efficientis, concedo; materialis, nego; & nego consequentiam, quia cum causâ materialis non det esse simpliciter effectui, nec opus est, vt in eodem genere causæ eleuetur à principio superno.

52. Circa secundam sectionis partem difficultas est, An lumen concurrat ad visionem in genere causæ formalis illuminando intellectum, & manifestando illi objectum. Affirmat *Ægidius de Beatitudine lib. 9. quæst. 6. cap. 5.* quia lux corporea illuminat potentiam visuam, eique objectum manifestat: ergo & lumen intellectuale id ipsum præstabit.

Lumen non
concurrit
illuminando
intellectum,
seu manife-
stando obje-
ctum.

53. Afero tamen tertio cum communi sententia, lumen non concurrere in genere causæ formalis, illuminando intellectum, & manifestando illi objectum. Probatur primò, quia lux corporea se tenet ex parte objecti respectu visionis corporeæ; lumen verò beatum non ita, sed ex parte potentiæ: ergo paritas ab *Ægidio* assumpta nulla est. Secundò quia lux corporea suppleri potest à Deo producēte visionem sine illa, & speciem lucis, & objecti conseruante. Tertio, quia vel lumen esset manifestatio formalis, vel solum virtualis efficiens? Non primum, quia esset cognitio; sola enim ista est formalis objecti manifestatio. Secundum autem suppleri potest à Deo per omnipotentiam, quod fieri non posset concurrente lumine in genere causæ formalis illuminantis: ergo.

54. Dices pro Ægidio. Ad quantumque visionem necessaria est manifestatio formalis objecti: ergo etiam ad visionem beatam. Antecedens probatur, nam ad conclusionem prærequiruntur præmissæ; ad iudicium apprehensio; ad apprehensionem fantasma, ad fantasma visio corporea, & ad istam lux corporea: ergo ad visionem beatam necessaria erit formalis objecti manifestatio. *Respondeo*, negans antecedens de requisito essentiali. Deus enim supplere potest defectum præmissarum infundendo immediatè speciem conclusionis; supplere similiter potest defectum apprehensionis, determinando immediatè ad iudicium; defectum item fantasmatum producendo se solo species, quas illud transmittit in intellectum, & defectum lucis, species illius, & objecti conservando. *Confirmo*, quia lux creata ad sui visionem corpoream non prærequirit manifestationem formalem ipsius: ergo neque lux increata, scilicet Deus similem manifestationem præquiret.

Fundamentum Ægidij, eiusque solutio.

S E C T I O I V.

An de facto lumen gloria sit species impressa?

55. **P**Rior sententia affirmat, lumen de facto præstare concursum ex parte objecti ad visionem requisitum. Ita Vazquez disp. 43. cap. 3. & 7 Posterior sententia negat, docens, solum præstare concursum ex parte potentia, tribuens simpliciter posse ad visionem agendam.

Sententia Doctorū P. Vazquez.

56. Affero primò, ex suppositione quod objectum per se, vel per sui speciem concurrat efficienter ad cognitionem, concursus ex parte objecti se tenere ex parte potentia. Probatur, quia necessitas concursus ex parte objecti, & specierum, inde stabilitur communiter à Doctoribus, quia intellectus se solo integras, & adæquatas non habet vires ad producendum cognitionem, etiam naturalem; aliter species intelligibiles superflux essent: ergo intellectus se

Concursus ex parte objecti, si detur, est de ratione potentia.

solo non est integra, & adæquata potentia productiua cognitionis: ergo virtus se tenens ex parte objecti: erit inadæquata potentia; atque adeo tenebit se ex parte potentia productiua cognitionis, nisi de sola voce contendatur, quid scilicet veniat nomine potentia. *Confirmatur primo.* Ideo habitus infusi se tenent ex parte potentia, quia intellectus se solo non est sufficiens virtus ad actus supernos producendos: sed neque est sufficiens virtus sine virtute ex parte objecti: ergo ista se tenebit ex parte potentia, tam in actibus naturalibus, quam supernis. *Secundo*, quia si cognitio concurreret efficienter ad actus voluntatis, & isti non possent à sola voluntate produci; cognitio esset virtus se tenens ex parte potentia; voluntas enim non esset tota potentia; vnde cognitio esset aliquid potentia: ergo cum intellectus se solo sine virtute ex parte objecti, non sit integra virtus productiua cognitionis, neque erit integra potentia: ergo virtus ex parte objecti erit aliquid potentia; atque adeo se tenens ex parte potentia.

Lumen de facto nō est species impressa.

57. Assero secundo, lumen de facto non esse speciem impressam. Moueor, nam in mea opinione species impressa de facto, nullum præstat concursum efficientem in cognitionem, sed tantum est pura applicatio intentionalis potentia ad objectum distans, vel absens; lumen autem gloriæ pura applicatio non est, sed causa efficiens visionem, vt constabit infra: ergo neque erit species impressa. *Confirmatur.* Applicatio agentis ad passum tantum est mera conditio, & approximatō; non autem est virtus actiua adhuc inadæquate; species autē impressa est applicatio, seu approximatō intellectus ad objectum, ad eum modum, quo pictura Cæsaris est approximatō illius: ergo non erit virtus actiua adhuc inadæquata.

Etiamsi species efficienter concurrat.

58. Assero tertio, lumen de facto non esse speciem impressam Dei, etiamsi ista concurrat efficienter ad actum, & eius concursus se teneat ex parte potentia. Ratio est, quia species impressa supponit in intellectu talem virtutem inadæquam cui connaturalis est species, & actus, vt patet in naturalibus; lumen autem gloriæ non supponit in intellectu

Aut talem virtutem, cui connaturalis sit species intuitiva Dei, eiusdemque visio cum supernaturales sint: ergo lumen gloriæ non est species impressa Dei, sed virtus ratione cuius, species, & visio sunt connaturales principio.

59. Quæres An sit possibilis qualitas, quæ simul sit lumen, & species? vt locus Disputationi detur, supponendum est, possibilem esse speciem impressam Dei; si enim impossibile supponatur, certum erit, impossibile quoque esse lumen, quod simul sit species. *Respondeo* affirmatiuè, quia licet de facto species impressa sit pura determinatio, vel inadæquata virtus supponens intellectum cum tali virtute, cui connaturalis sit species, & actus; id tamen contingit, quia species de facto, est pura species, & lumen purum lumen operante Deo in ordine supernaturali iuxta ordinem naturalem: ergo licet impossibile sit eandem qualitatem esse puram speciem, & purum lumen; non tamen implicabit esse simul lumen, & speciem, sicut licet Angelus sit purè intellectiuus, & brutum pure sensitium; non tamen implicat tertium ens, scilicet homo, qui simul sit sensitiuus, & intellectiuus, quod mille aliis exemplis confirmare, facile cuique erit.

Possibilis
qualitas quæ
simul sit lu-
men, &
species.

60. Obijcies; De ratione speciei est, esse qualitatem determinatam ad visionem huius objecti, de ratione vero luminis est, esse qualitatem de se indifferentem ad visionem cuiuscumque objecti; eadem autem qualitas non potest esse determinata ad visionem huius objecti, & indifferens ad visionem alterius: ergo neque poterit esse lumen, & species. *Respondeo*, distinguens secundam maioris partem, de ratione puri luminis, concedo: non puri seu mixti nego. De ratione enim luminis vt sic, solum est, esse qualitatem de se indifferentem ad visionem cuiuscumque objecti, cuius non sit species. Deinde falsa est minor; esse enim qualitatem determinatam ad visionem huius objecti, & indifferentem ad visionem alterius, nulla est contradictionis umbra.

S E C T I O V.

Munus luminis, eiusque necessitas.

Munus lu-
minis, con-
currere effi-
cienter ad
visionem.

Sententiæ
Doctorum.
Capreolus.
P. Granadus.
P. Molina.
P. Valentia.
B. Vasquez.

Caietanus.
Capreolus.
Bañez.
Nazarius.
Discalcea-
tus.
S. Thomas.

61. **A**Sfero primò munus luminis, esse concurrere efficienter ad visionem, eleuando intellectum de se insufficientem ad eandem visionem producendam. Constat ex dictis conclusio, quia lumen, neque est dispositio, neque causa materialis aut formalis visionis: ergo efficiens, & eleuans intellectum de se insufficientem.

62. Maior tamen difficultas est, quale lumen gloriae sit ad visionem necessariò requisitum. Ex Concilio Viennensi, damnante, hanc Beguardorum Propositionem: *Anima non indiget lumine gloriae, ipsam eleuante ad videndum Deum.* Prior sententia affirmat definitum esse lumen intrinsecum. Ita Capreolus in 4. quæst. 4. artic. 3. & alij. Posterior sententia docet, definitum non esse lumen intrinsecum, sed tantum statutam esse necessitatem alicuius luminis, vel intrinseci, vel extrinseci. Ita Granadus tract. 4. disput. 5. num. 4. referens Molinam, & Valentiam, Vasquium, & alios.

63. Existimo huius controuersiae resolutionem, maxime pendere ex alterius decisione, scilicet, an Deus per omnipotentiam specialiter concurrentem supplere valeat defectum luminis intrinseci; si enim non possit, neque possibile erit lumen extrinsecum extrinsecum, & consequenter definitum erit lumen extrinsecum. Prior ergo sententia negat posse Deum per omnipotentiam supplere defectum luminis intrinseci; atque adeo istud esse simpliciter ad visionem requisitum. Ita Caietanus, Capreolus, Bañez, Nazarius, & alij, quos refert, & sequitur Discalceatus disputat. 4. dubitat. 4. §. 2. Posterior sententia affirmat posse Deum per omnipotentiam specialiter concurrentem, defectum luminis intrinseci supplere. Ita S. Thomas de veritate quæst. 10. artic. 11. his verbis. *Sicut*

Petrus.

Disp. XX. De Lumine gloria. Sect. V. 589

Petrus fecit, sine eo quod ei dotem agilitatis tribuerit, super aquas ambulare, ita potest mente ad hoc perducere, ut diuina essentia uniat in statu via, quo modo sibi uniat in Patria, sine hoc quod à lumine gloria perfundatur. Sequuntur Soarius lib. 2. Summæ Theologiæ, capite 16. numero 5. & 6. Molina disputat. 1. Vasquez disput. 46. cap. 2. & communiter omnes nostri.

P. Soarius.
P. Molina.
P. Vasquez.

64. Affero secundò, posse Deum per omnipotentiam specialiter concurrentem defectum luminis intrinseci supplere; atque adeo possibile esse lumen extrinsecum. Ratio est, quia lumen intrinsecum solum præstat concursum efficientem respectu visionis; iste autem suppleri potest per omnipotentiam: ergo & defectus luminis intrinseci. Minor probatur. Tum à priori, quia maior est virtus omnipotentia, quàm luminis, aliunde istud, nec intelligit, nec videt per visionem. Tum à paritate, quia omnipotentia supplere potest defectum aliorum habituum supernorum, ut patet in actu charitatis elicito à peccatore, & in actu fidei elicito ab hæretico ad fidem reuertente: ergo similiter poterit omnipotentia defectum luminis supplere.

Defectus luminis intrinseci suppleri potest à Deo.

65. Affero tertio, lumen gloria simpliciter necessarium ad visionem, & definitum à Viennensi, non esse lumen intrinsecum, sed aliquod, scilicet, vel intrinsecum, vel extrinsecum. Probatur. Nam mens Concilij fuit contra Begardos, asserentes, intellectualem naturam naturaliter in se ipsa esse beatam, stabilire necessitatem principij superni ad imbecillitatem naturæ de se insufficientis eleuandam; ad id autem sufficiens est vtrumque lumen, extrinsecum, & intrinsecum: ergo definita tantum est necessitas alicuius, scilicet, vel intrinseci, vel extrinseci, cum vtrumque de se sit sufficiens. *Confirmatur*, illud definitum est à Viennensi, quod ad visionem simpliciter necessarium est, & sine quo natura prorsus manet impotens ad videndum; lumen autem intrinsecum necessarium non est simpliciter, cum eius defectus per extrinsecum suppleri possit: ergo definitum non est lumen intrinsecum, sed tantum necessitas alicuius.

Quale sit lumen gloria definitum à Concilio Viennensi.

66. Dices Concilium statuisse necessitatem luminis ex suppositione de facto existente, quod Deus nulli extrinsecum concedat; hac autem facta suppositione lumen extrinsecum simpliciter necessarium est: ergo & definitum à Concilio. Fateor futurum id verum, si constaret suppositionem illam factam esse à Concilio; id autem non exprimitur à Viennensi; atque adeo standum est dictis.



DISPUTATIO XXI.

De causa efficienti visionis beatifica?

1. **D**UPLEX communiter visioni beatæ adscribitur concursus efficiens, vnus ex parte potentia, scilicet ex parte intellectus, & luminis eleuantis illum, alter ex parte obiecti, vel per se ipsum immediatè, vel per sui speciem concurrentis. Præsens autem disputatio solum comprehendit concursum ex parte potentia, scilicet intellectus, & luminis gloriæ eleuantis illum; de specie enim impressa agemus disp. sequenti.

S E C T I O I.

An lumen sit tota ratio agendi proxima visionem?

- Qui negauerint luminis concursum ad visionem etiã partialem, 2. **S**uppono ex dictis disputatione præcedenti lumen esse saltem inadæquatam virtutem actiuam visionis. Est contra Durandum in 4. dist. 49. quæst. 2. num. 21. Maiorem in 3. dist. 49. quæst. 4. Aureolum in 1. dist. 7. art. 4. Aliud

Disp. XXI. *Causa efficiens visionis.* Sect. I. 59 1

Aliud enim munus, citra virtutem effectiuam, lumini, competere non potest, vt fusè ibidem ostendimus; aliunde intellectus solis suis viribus impotens est ad visionem efficiendam, vt potè supernam: ergo eleuari debet, & iuuari à causa supernaturali efficiente saltem inadæquatè.

3. Difficultas ergo præfens est, an lumen sit tota ratio proxima agendi, id est, tota virtus immediatè effectiua visionis beatæ, & intellectus tantum sit virtus mediata, & remota, quatenus sustentat lumen, quod est tota virtus proxima agendi, quin immediatè agat aliquid in visionem concursu aliquo immediato. *Prior sententia* affirmat. Ita Sotus, Bañez, Cabrera, Nazarius, & Discipuli Caietani, quos magno numero refert P. Ripalda tom. 1. de Ente superno, disp. 30. sect. 2. *Posterior sententia* negat, lumen esse totam rationem agendi, docens, nec solum lumen, nec solum intellectum, sed vtrumque simul causare proximè, & immediatè visionem per modum vnus principij indiuisibiliter operantis. Ita omnes nostri Doctores, quos refert, & sequitur citatus Ripalda.

Sententiæ Do-
ctorum.
Bañez.
Cabrera.
Nazarius.
P. Ripalda.

4. Afferendum est, lumen non esse totam rationem agendi. Probatur primò. Intellectus, & voluntas præstant concursum actiuum immediatum in alios actus supernos: ergo etiam in visionem beatam. Consequentia clara est ex Aduersariorum Doctrina, ideò negantium intellectui actiuitatem immediatam in visionem, quia hæc supernaturalis est: ergo semel concessa intellectui, aut voluntati, actiuitate immediata in actum aliquem supernum, nullum subsistere poterit fundamentum, ad similem actiuitatem in visionem eidem intellectui denegandam.

Lumen non
est tota ratio
agendi visio-
nem.

5. Antecedens ex multis, quæ erudite colligit Ripalda probatur primò. Ex Paulo 1. Corint. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ergo, sed gratia Dei mecum*, id est, interpretate Augustino de Grat. & libero arbitrio, cap. 5. *Nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*: ergo sicut arbitrium solum non est adæquata virtus agendi, ita nec gratia; atque adeo arbitrium erit inadæquata virtus agendi. Secundò ex Tridentino sessione 6. cap. 5. can. 4. ita

Prima probatio ex Pau-
lo, & Tri-
dentino.

contra Caluinum, & Lutherum decernente. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed velut inane quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere, Anathema sit.* Quo canone contra hæreticos negantes concursum arbitrij in actus salutaris, duo statuuntur à Tridentino. *Primum.* Liberum arbitrium cooperari gratiæ; cooperari autem, aliud non est, quàm simul cum altero operari: ergo arbitrium operatur simul cum gratia actum salutarem. *Secundum*, non se habere arbitrium merè passiuè; si autem non ageret immediatè, merè passiuè se haberet, nihil enim aliud præstaret, quàm recipere gratiam, & illius operationem: ergo, &c.

Interpretatio Thomistarum de principio quo, &c. quod insufficientis.

Tridentino non satisfacere solutionem efficaciter ostenditur.

6. Dices cum Thomistis, Tridentinum non definire arbitrium esse principium quo, siue virtutem immediatam agendi, sed tantum esse principium quod, quatenus per gratiam tanquam rationem adæquatam agendi cooperatur consensum.

7. Contra tamen, quia Caluinus, & Lutherus, à Tridentino damnati, asserbant, arbitrium agere per gratiam tanquam virtutem adæquatam agendi, & tamen damnati sunt, tanquam negantes cooperationem libri arbitrij gratiæ Dei: ergo ad cooperandum non satis est, esse principium quod per gratiam, tanquam per rationem adæquatam agendi, sed ulterius exigitur à Tridentino concursus immediatus arbitrij in actus salutaris, itavt nec sola gratia agat, nec solus homo, sed vterque. Maior probatur ex ipso Caluino, qui apud Camerarium lib. 10. de libro arbitrio capit. 4. ita nostram controuersiam proponit. *Non hoc quaeritur, an agat voluntas, quod extra dubium est, sed agat ne à se ipsa, an pro modo diuinæ actionis; quis enim nesciat per voluntatem fieri, ut velit homo.* Et lib. 1. cap. 9. ait Caluinus: *Hominem sic docemus agi Dei gratia, ut simul agat: ergo Caluinus planè fatebatur, arguere arbitrium.* Sed qua virtute? Audi illam. *Sic tamen ipsum agere, ut penes Dei spiritum tota sit, ac maneat amoris efficacia.* Et iterum ibidem ait. *Minimè sic cooperari hominem cum ipso Deo, inquit, ut aliquid de suo misceat, sed pro mensura solum, quàm*

turalis, non posset immediatè effectum supernum causare. *Secundò*, sicut tota visio est supernaturalis, ita tota est vitalis; titulo autem vitalitatis non exiguntur omnia principia vitalia, cum species impressa, quæ vitalis non est immediatè concurrat ad actum: ergo neque titulo supernaturalitatis exiguntur omnia principia supernaturalia, etiam immediata.

Tertia probatio, quia voluntas efficit immediatè actus liberos supernos. 10. Probatur tertio conclusio, vel ulterius præcedens fundamentum stabilitur. Voluntas concurrat immediatè ad actus liberos supernos: ergo supernaturalitas effectus non opponitur concursui immediato potentia naturalis; unde neque supernaturalitas visionis opponetur immediato concursui intellectus. Antecedens probatur, quia voluntas est immediatè libera etiam in ordine ad actus supernos; immediata autem libertas est immediatum diuinum dominium, quo potentia libera potest ponere, vel impedire existentiam actus, quod stare non potest absque concursu immediato; sicut dominium Dei immediatum in actiones creaturarum stare non valet absque influxu immediato in illas, ut fatentur nobiscum Aduersarij: ergo voluntas immediatè concurrat ad actus liberos supernos.

Confirmatio ex Augustino. 11. Confirmatur primò ex Augustino lib. 2. de Peccatorum meritis, & Remissione cap. 5. aiente. *Nec ideò tamen de hac re, (scilicet de consequutione iustitiæ) solis votis agendum est, ut non subinferatur adniti, etiam nostra efficacia, ut voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui etiam sponte aliquid conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, &c.* Conatus autem ille concursus est: ergo adiuuari non potest, nisi qui sponte, id est ex se, & immediate aliquid agit. Insuper tractat. 4. in Epist. Ioan. colum. 4. cum præmisset August. *Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tribuendum est.* Subdit immediatè. *Si dicis adiutor meus esto aliquid agis. Nam si nihil agis? Quomodo ille adiuuat.* Et in illud Psal. 78. *Adiuua nos Deus.* Ait Augustinus. *Cum verò adiuuari nos vult, nec ingratus est gratia, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adiuuatur, aliquid etiam per se ipsum agit: ergo cum voluntas adiuuetur, aliquid per se ipsam, seu immediatè,*

dia
fus
ritu
ergo
ben
adi
aliqu
ille,
ni.
run
12.
fus
me
nife
gust
diat
de c
Toll
si ita
trium
adim
ficat
potes
men
sua co
bonu
13.
ximè
Virg
fellit
arbitr
cut ist
plice
non r
imò c
adeo
nobi

Disp. XXI. *Causa efficiens visionis.* Sect. 595

diatè, & non per solam gratiam, seu mediatè, efficiet. Rur-
sus sermone 13. de verbis Apostoli circa illud: *Quotquot spi-
ritu Dei aguntur, &c.* Inquit Augustinus. *Dicit mihi aliquis:
ergo agimur, non agimus. Respondeo. Imò & agis, & ageris, & tunc
benè agis, si à bono agaris, spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus
adiutor est. Ipsum nomen adiutorij adscribit tibi, quia & tu ipse
aliquid agis.* Et statim addit Augustinus. *Non enim adiutor est
ille, si nihil agatis; non enim cooperator est ille, si nihil cooperami-
ni.* Quibus nulla opus est ponderatio ultra attentam verbo-
rum meditationem.

12. Præterea idem Augustinus innumeris in locis, aduer-
sus Pelagium soli naturæ sufficientiam, & concursum mi-
mediatum in opera salutaria attribueti, assumptum ma-
nifestissimè docet. Nam in Pelagio perpetuo displicet Au-
gustino non naturam immediatè agere, sed solum imme-
diatè agere; & gratiam tantam præstare facilius agere. Vn-
de concludit Augustinus lib. illo de Grat. Christi capite 29.
*Tolle, facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus,
si ita dicatur, ut quod per liberum homines facere inveniuntur arbi-
trium, possent implere per gratiam; cum autem facilius additur,
adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri tacita signi-
ficatione suggeritur, quæ sensum redarguit, qui dicit: sine me nihil
potestis facere.* Ac si diceret; *agat immediatè voluntas, non ta-
men sola sed una cum gratia cooperante, & tota nostra controuer-
sia consumpta est, quia id unice mihi in Pelagio displicet, scilicet,
bonum opus posse fieri sine gratia.*

13. Id quod mille in locis firmat idem Augustinus. Ma-
ximè, Epist. 143. Vbi Pelagium Sibilantem Demetriadi
Virginitatis donum, non nisi in ipsa, & ex ipsa esse; ita re-
fellit. *Quia etsi etiam ex illa (scilicet Demetriade) propter
arbitrium proprium, sine quo non operamus bonum; non tamen si-
cut iste (scilicet Pelagius) dixi, nisi ex illa.* Vbi tantum Dis-
plicet Augustino in Pelagio Virginitatem Demetriadis,
non nisi ex ipsa esse, id est ex ipsa sola; non verò displicet,
imò conceditur ex ipsa etiam esse simul cum gratia. Atque
adeo conceditur ab Augustino bonum opus esse etiam ex
nobis immediatè, cum solum ex Doctrina Pelagij rejicia-

Quid Augu-
stino displicet
in Pe-
lagio circa
concursum
gratiæ.

tur esse tantum ex nobis; non verò esse immediatè etiam ex nobis. Si autem concursus immediatus voluntatis à Pelagio assertus Augustino displicuisset, non satisfecisset, negare bonum opus, non esse, nisi ex nobis; sed vltèrius addendum fuisset neque esse etiam ex nobis, quod conceditur ab Augustino; imò particula illa *etiam*, cum relatiua fit ad gratiam immediatè agentem, manifestissimè signat concursum immediatum vtriusque. Sicut in actione, vel effectu concursu simultaneo immediatè fluente à Deo simul, & creatura, quamuis apud Thomistas negetur eam actionem esse ex nobis tantum, & concedatur esse ex nobis cum Deo, non hoc ipso negatur esse ex nobis immediatè, imò conceditur.

14. Similia habet Augustinus cap. 6. de Grat. & libero arbitrio, & cap. 14. Vbi disputans contra naturæ sufficientiam assertam à Pelagio, ait. *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa esse Dei dona cognoscerent, non esse reprobendam istam sententiam.* In quibus Augustinus solum reprobatur opera bona non esse Dei dona, id est, ex gratia; quod si admittatur esse ex Deo, nihil aliud existimat reprehensione dignum in Pelagio, statuente concursum immediatum arbitrij in opera salutaria: ergo quamuis iste admittatur dependenter à gratia, nihil contra Augustinum asseretur. Similia videas capit. 17. de natura, & Grat. vbi tantum reprehendit Augustinus. *Vt quod homo benè operatur suum tantummodo existimet.*

§ Thomas
idem firmās,
quod Augu-
stinus.

15. Augustino suffragatur S. Thomas quæst. 27. de veritate art. 4. ad 12. *Dicendum, quod anima agit disponendo se ad gratiam virtute propria naturæ; Sacramenta autem virtute diuina.* Vbi vltra rationem principij quod, commune animæ, & Sacramentis agentibus per gratiam, tanquam principium quo, concedit animæ concursum propria natura, quem negat Sacramentis, qui alius esse non potest, quàm immediatus, & principij quo. Dispositionem autem de qua ibi S. Thomas, esse salutarem, negari non potest, aliter, actibus purè naturalibus posset homo se ad gratiam disponere, quod semipelagianum est; vt nobiscum fatentur Aduersarij;
ca

Disp. XXI. *Causa efficiens visionis.* Sect. I. 597

ea ergo dispositio supernaturalis erit. Insuper 1.2. quæst. 114. art. 4. corp. agens de actu meritorio, ait. *Hominem præ cæteris creaturis habere, ut per se agat voluntarie agens.* Per se autem agere, & agere per gratiam non est idem; homo autem per gratiam agit ut principium *quod*: ergo agens per se, aget ut principium *quo*. Denique quæst. 24. de veritate, quæ est de libero arbitrio art. 14. ad 1. ait; Actus meritorios, & obseruationem supernaturalem mandatorum fieri quoad substantiam per liberum, quoad modum verò per gratiam: ergo eo pacto gratiam; quoad modum autem fiunt per gratiam, ut principium *quo*: ergo ita fient, quoad substantiam per liberum arbitrium.

16. Probatur quartò nostra conclusio. Visio est actus vitalis: ergo oritur immediatè à potentia vitali; sicut titulo supernaturalitatis oriri debet immediatè à potentia supernaturali; lumen autem vitale non est, cum nullum vitæ genus participet; de vegetante, & sentiente certum est. De intelligente probatur, quia viuere vita intellectiua, est intelligere, sicut viuere vita sensitua, est sentire: lumen autem, cum intellectus non sit, neque intelligit per visionem: ergo neque uiuit. *Confirmatur.* Si intellectus non ageret immediatè visionem, neque ageret mediatè: ergo nullo pacto ageret. Antecedens probatur, quia agere mediatè, est producere virtutem proximè, & immediatè agentem; sicut causa mediata est illa, quæ producit causam immediatam; intellectus autem non producit lumen immediatè causans visionem: ergo neque aget medio lumine.

Quarta probatio, quia visio est actus vitalis.

17. Obijcies primò. Intellectus producere non potest immediatè supernaturalitatem visionis, cum ista sit supra totius naturæ vires, nec vitalitatem illius, cum hæc sine supernaturalitate produci non valeat, aliter lumen produceret solum supernaturalitatem, & intellectus solum vitalitatem, quod prorsus impossibile videtur. Tum quia actio physica, cum præmissiua non sit, agit in omnes formalitates effectus. Tum etiam, quia concausæ partiales indiuisibiliter efficiunt integrum effectum, ut certum est concursu simultaneo omnipotentis. Tum denique quia, si sola su-

Intellectus immediatè producit supernaturalitatem visionis.

pernaturalitas produceretur à lumine, & sola vitalitas ab intellectu, iste non eleuaretur à lumine ad supernaturalitatem, quam non produceret, neque ad vitalitatem, quia lumen nihil ageret in illam: ergo, &c. *Respondeo*, distiguens antecedens, intellectus producere non potest immediatè supernaturalitatem solis suis viribus, concedo: adiutus, & eleuatus à lumine, nego; De ratione autem supernaturalitatis, non est superare naturam adiutam, & eleuatam, sed naturam solis suis viribus relictam.

18. *Præmium vitale etiam à præmiato procedit.* Obijcies secundò. Præmium procedit à solo præmiante; non verò à præmiato; visio autem beata est præmium: ergo à solo Deo procedit. *Respondeo*, præmium vitale, quale est visio, etiam à præmiato procedere. Instabis: ergo beatus se ipsum beat. Admittunt aliqui consequentiam, sed reiiciendam existimo; quia sicut non dicitur beatus se ipsum præmiare, licet immediatè ad præmium concurrat; viator dicitur, se ipsum vocare, quamuis vocationem internam causet; ita nec dicendus se ipsum beare; quia huiusmodi locutiones in causam principalem referuntur, qualis est Deus.

S E C T I O II.

An lumen sit causa principalis visionis.

19. *Lumen est causa principalis visionis.* **A**sferendum est, lumen esse causam principalem visionis. Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia lumen iuxta Concilium Viennense donatur à Deo ad eleuandam potentiam naturalem, & eius improportionem supplendam; si autem non esset causa principalis, eleuare non posset potentiam naturalem, neque ei proportionem elargiri, nam ipsum lumen esset causa instrumentalis, & consequenter agens, alia causa principali ipsum eleuante, & proportionatum reddente: ergo lumen est causa principalis visionis, sicut gratia, & habitus infusi sunt causa suorum actuum.

Disp. XXI. *Causa efficiens visionis.* Sect. II. 599

20. Difficultas tamen est non leuis; vnde lumen sit causa principalis. Tota huius controuersie decisio pendet ex constitutione causae principalis, & instrumentalis. Pro qua supponunt communiter Doctores, causam principalem, esse illam, quae nobilior est, vel saltem aequae nobilis, & cui (nisi sola agat) debita, & connaturalia sunt caetera comprincipia, ex quibus vna cum ipsa connaturaliter manat actio. Causa autem instrumentalis est illa, quae vel est ignobilior effectu, vel non exigit comprincipia ex quibus connaturaliter manat actio, ex quo duplici capite deficit instrumentum à ratione causae principalis. Hinc, respondent communiter, ideò lumen esse causam principalem visionis, quia perfectius est illa, & connaturalis eius causa. Caeterum, vnde lumen perfectius sit visione, hoc opus, hic labor. Nam omnis perfectio vitalis de se nobilior est non vitali; visio autem est perfectio vitalis, lumen verò non est vitale: ergo neque perfectius est visione; imò è contra ista titulo vitalitatis, erit lumine perfectior.

Vnde etiam
sic causa
principalis
aliorum pla-
citum.

21. Communiter Doctores ideò asserunt lumen esse perfectius visione, quia se tenet ex parte potentiae dans simpliciter posse. Non placet, quia in eorum sententia species impressa concurrat efficienter ad actum, qui concursus se tenet ex parte potentiae, vt ostendi sect. 4. disputationis praecedentis, cum intellectus non sit integra, & adaequata virtus productiua, & consequenter neque integra potentia; sed tamen ipsis fatentibus, species impressae tam naturales, quam supernae, sunt causae instrumentales suorum actuum: ergo & lumen visionis; quid enim refert se tenere ex parte potentiae vel ex parte obiecti, si neutrum est vitale, ad superandam perfectionem visionis beatae. Quod enim alia potentiae, scilicet intellectus, & voluntas, nobiliores sint suis actibus, id prouenit; quia sunt potentiae vitales.

Lumen non
ideò visione
perfectius,
quia se tenet
ex parte po-
tentiae.

22. Pater Bernal de Incarnatione disput. 33. sect. 5. num. 99. ideò asserit lumen esse visione perfectius, quia est vniuersalius, quippe potens plures specie producere cognitiones, quamuis vnam solam posset producere visionem. Existimat enim lumen gloriae posse producere cognitionem directam

Sententia P.
Augustini
Bernal.

obiectorum, quæ attinguntur indirectè à visione beata, quales sunt creaturæ; quod si possibile esset lumen vnus tantum, & solius visionis productiuum, ait, futurum ignobilius visione, & causam instrumentalem illius.

Vnde displicet sententia præcedens.

23. Displicet etiam *primò*, quia ad causam principalem opus non est, esse nobiliorem effectu, sed sufficit saltem æque nobile esse: ergo licet lumen, ad vnã speciem, & solam visionem determinatum, nobilius non esset, cur non esset saltem æquè nobile. Nec mihi persuadere possum, intellectum accidentalem ad vnã tantum speciem cognitionem determinatum, non futurum illa nobiliorem: ergo idem erit de lumine. *Secundò*. Sol in communi Philosophia concurrat ad generationem plurium animalium specie distinctorum; nec tamen ea vniuersalitas reddit solem animalibus perfectiorem, aliter redderet illum causam principalem: ergo maior vniuersalitas præcisè non arguit excessum perfectionis in causa. *Tertiò*, Species impressa, genita à cognitione plura obiecta specie diuersa repræsentante, potest inadæquatè excitari ad cognitionem vnus tantum obiecti, & ad cognitionem tantum alterius; species autem illa vniuersalior esset qualibet earum cognitionum, nec tamen esset perfectior, aut causa principalis in sententia Aduersarij: ergo, &c.

24. Confirmatur. Maior est vniuersalitas in materia prima ad constituendum compositum, quàm in forma; ista enim vnicum tantum compositum valet constituere; materia verò tot, quot possibiles sunt formæ specie distinctæ; nec tamen materia perfectior est forma, vel composito ex illa, quod est proprius illius effectus: ergo maior vniuersalitas causæ, non arguit eam nobiliorem effectu. Quod si argueret, quamuis lumen ad vnã speciem visionem determinatum esset; posset tamen plures numero distinctas producere; ergo esset vniuersalior qualibet determinatè, ergo perfectior: ergo de facto lumen esset causa principalis visionis existentis, etiam si nullam aliam cognitionem specie distinctam producere valeret.

25. Dicere posset aliquis, ex duplici qualitate æquè determinata,

Disp. XXI. *Causa efficiens visionis.* Sect. II. 601

terminata, tunc vnam esse altera nobiliorem, quando vna est causa alterius; non verò è contra. Non placet, quia vna potest esse causa principalis, & instrumentalis: ergo seorsim à conceptu causæ debet intelligi perfectior, vel æque perfecta, vt inde colligamus, an principaliter, vel instrumentaliter causet; aliter species impressa caloris esset causa principalis visionis aternæ, quam causet in communi sententia, quin causetur ab ipsa, quod negatur communiter à Doctoribus.

26. Censeo igitur ad causam principalem opus non esse, nec sufficere, quod sit entitatiuè perfectior, aut æque perfecta cum effectu. *Primum*, quia lumen, vtpotè non vitale, imperfectius est entitatiuè visione vitali, & tamen est causa principalis illius. *Secundum*, quia res entitatiuè perfectior potest esse causa instrumentalis effectûs ignobilioris, v. g. homo leonis, leo plantæ, & planta lapidis. Ad causam ergo principalem sufficit, quod in genere productiuo sit effectui proportionata; tunc autem proportionata erit, quando erit virtus connaturaliter, & absolutè intrinsecè productiuæ effectus, quæ regula vniuersalis vera est in creatis. Vnde si Sol sit connaturaliter, & absolutè intrinsecè productiuus animalium, & species impressa cognitionum, causæ principales erunt, & non instrumentales, quæ conditionatè tantum sunt productiuæ effectus, si videlicet non repugnet.

Ad causam principalem quid opus sit, qualisq; proportio necessaria.

27. Assero secundo, ideò lumen esse causam principalem visionis, quia est virtus connaturaliter, & absolutè intrinsecè productiuæ visionis. Constat ex dictis. Lumen autem esse virtutem connaturaliter, & absolutè intrinsecè productiuam visionis constat, quia aliter eleuare non posset intellectum; vnde noua causa principalis vltra lumen in visionis productione desideraretur, quod falsum esse constat ex Concilio Viennensi, & vnanimi Patrum consensu. Inde facile est colligere, cur habitus infusi sint causæ principales suorum actuum, quia videlicet, sunt causæ connaturaliter, & absolutè intrinsecè eorum productiuæ.

Lumen est causa principalis visionis, & vnde.

S E C T I O . III.

An intellectus sit causa principalis, vel instrumentalis visionis.

Sentētia Do-
ctorum.
P. Molina.
P. Vasquez.
P. Herize.
P. Soarius.
P. Ripalda.

28. **P**rima sententia absolute affirmat, intellectum esse causam principalem. Ita Molina disputat. i. art. 5. Vasquez disputat. 176. cap. 4. & 5. Herize disp. 46. capit. 2. & alij. *Secunda sententia* absolute negat, docens tantum esse causam instrumentalem, est communis cum Soario de Attributis libro 2. capite 10. & de Grat. lib. ... & capite 6. *Tertia sententia* ait, intellectum, quatenus productivum, esse causam instrumentalem, & quatenus vitalem, principalem. Ita Ripalda tom. 1. de Ente superno disputat. 31. *Quarta* denique docet, intellectum etiam ut vitalem, esse partim causam instrumentalem, & partim principalem; neque autem esse causam instrumentalem, neque principalem, quatenus videlicet est causa materialis visionis. Ita aliqui Recentiores.

Intellectus
quatenus
productivus
est causa in-
strumentalis
visionis.

29. Affero primò, intellectum, quatenus productivum, esse causam instrumentalem visionis. Probat, quia intellectus est improportionatus ad agendam visionem; inde donatur illi à Deo lumen ad eleuandam eius imbecillitatem, & improportionem supplendam. *Confirmatur.* Tum quia visio ratione supernaturalitatis, est supra omnem exigentiam, & vires intellectus. Tum etiam, quia comprincipia visionis, ex quibus connaturaliter visio procedit, debita non sunt, nec connaturalia intellectui: ergo neque visio.

Et etiam
quatenus
vitalis.

30. Affero secundò, intellectum, ut vitalem, quatenus videlicet agit, & recipit, esse causam instrumentalem visionis. *Secunda pars* probatur; *Prima enim* constat ex præcedenti conclusione. Si intellectus non esset causa instrumentalis, quatenus recipit visionem, maximè, quia non eleuaretur à lumine, neque ab alio agente principa-
liori

Disp. XXI. *Causa efficiens visionis.* Sect. III. 603

liori in genere causæ materialis: id non obstat: ergo. Minor probatur, quia sufficit quod eleuetur ad producendam receptionem sibi intrinsecam, vt fusè prosequuti sumus disputat. 20. sect. 3. ergo, &c. *Confirmatur.* Actio visionis est improportionata intellectui, quia supernaturalis; passio autem, seu receptio, est etiam supernaturalis: ergo improportionata erit.

31. Obijcies primò. Visio non est connaturalis soli luminini, cum à solo illo connaturaliter procedere non possit: ergo solum lumen non erit causa principalis visionis, sed lumen simul, & intellectus, ex quo coniuncto indiuisibiliter sumpto, visio connaturaliter procedit. *Respondeo*, concessio antecedente, negans consequentiam: Nam ad causam principalem opus non est, quod effectus à sola illa connaturaliter procedat, aliter instrumentum nihil ageret, sed satis est, quod effectus, & reliqua principia sint illi debita, & connaturalia, id autem soli luminini competit; non verò intellectui.

32. Obijcies secundò. Voluntas concurrat principaliter ad actus supernaturales liberos: ergo & intellectus ad visionem. Antecedens probatur, quia voluntas habet dominium in omnes actus, quibus suam exercet libertatem, quales sunt etiam supernaturales; Dominium autem in actus non competit instrumento, sed soli causæ principali: ergo, &c. *Respondeo*, negans antecedens. Ad probationem distingo maiorem, voluntas habet dominium in actus supernaturales independentem à principio supernaturali eleuante, nego: dependentem, concedo. Et distingo minorem, dominium non competit instrumento independentem à causa principali, concedo: dependentem, nego: & similiter distincta minori, nego consequentiam.

33. Obijcies tertio. In qualibet operatione assignanda est causa principalis, cui actio, & effectus tribuantur, quamque denominent; solus autem intellectus denominatur viuens, & intelligens per visionem: ergo erit causa principalis. Hoc argumentum si efficax esset, conuinceret solum intellectum

solum lumē
est causa
principalis
visionis, &
cur.

volūtas cau-
sa principa-
lis non est
suorū actūū
supernorum.

intellectum esse causam principalem. *Respondeo*, distinguens maiorem, assignanda est causa principalis, cui tribuatur effectus, quamque denominet operantem, & producentem, concedo: quam denominet in genere causæ formalis intrinsecæ, nego: & concessa minori; nego consequentiam. Nam effectus formales intrinseci viventis, & intelligentis, qui intellectui à visione tribuuntur, non excludunt dependentiam à lumine, tanquam ab agente principali. Vnde intellectus, etiam in ordine ad eos actus, seu effectus manet instrumentum.

34. Obijcies quartò. Causa, quæ operatur vitaliter, est principalis: talis autem est intellectus respectu visionis: ergo erit causa principalis. *Respondeo*, distinguens maiorem; quæ operatur virtualiter independenter ab altera causa eleuante, concedo maiorem; dependenter, nego. Et distinguo minorem, talis est intellectus independenter ab alia causa eleuante, nego minorem; dependenter, concedo, & nego consequentiam.

35. Obijcies quintò. Instrumentum est, quod ita mouetur ab agente extrinsecò, vt se ipsum non moueat ab intrinsecò: intellectus autem operatione visionis se mouet ab intrinsecò: ergo, &c. *Respondeo*, maiorem veram esse de instrumento mortuo; non verò vitali.

36. Rogabis tamen, An virtus instrumentalis sit superna, & cum visione connexa. *Prima sententia* asserere videtur virtutem instrumentalem esse supernam, & cum visione connexam. Ita Ægidius, Fasolus, Vasquez, Scotus, & eius Discipuli apud Ripaldam disp. 32. de Ente superno sect. 5. *Secunda sententia* negat virtutem instrumentalem, seu obedientialem intellectus esse supernam, aut cum visione adhuc possibili connexam. Ita Soarius, Herize, Fonsæca, & alij, quos refert, & sequitur citatus Ripalda sect. 2. *Tertia sententia* docet, potentiam obedientialem dicere ordinem transcendentalem ad visionem; non verò connexionem cum illa. Ita aliqui Recentiores.

Ægidius.
P. Fasolus.
P. Vasquez.
Scotus.
P. Soarius.
P. Herize.
P. Fonsæca.

Virtus obedientialis nec superna est, nec cum visione connexa.

37. Censeo tamen potentiam obedientialem, seu instrumentalem, neque esse supernam, neque cum visione re ipsa possibili

pos
folu
fit,
pos



1.

quin
intu
biur
tes c

2.


luda
quitu
mat
4 dif
Soari
part.
cap.

Disp. XXII. *Species impressa Dei*. Sect. I. 605
 possibili connexam, quia virtus instrumentalis non est ab-
 solutè productiua effectûs, sed conditionatè, si possibilis
 sit, quæ virtus est adæquatè naturalis, & cum visione re ipsa
 possibili minimè connexa, vt latè prosequuti sumus.



DISPUTATIO XXII.

De specie impressa intuitiua Dei.

1.  VM species impressa inter principia, vel
 requisita ex parte actûs primi ad cogni-
 tionem numeretur, opere pretium est
 illius possibilitatem, vel existentiam in-
 quirere; vnde omnia visionis principia nota fiant. Dixi
intuitiua, quia abstractiua existere de facto nulli du-
 bium est, cum existant species creaturarum genera-
 tes cognitionem abstractiuam Dei.

SECTIO I.

An sit possibilis species impressa Dei.

2. **P**Rior sententia negat possibilem esse speciem im-
 pressam Dei. Ita Caietanus, Sotus, Capreolus, Pa-
 ludanus, Bañez, Nazarius, & multi alij, quos refert, & se-
 quitur Discalceatus disp. 2. dub. 4. Posterior sententia affir-
 mat possibilem esse speciem impressam Dei. Ita Scotus in
 4. dist. 49. quæst. 11. §. *Respondeo*, Aureolus ibidem quæst. 2.
 Soarius disp. 30. Metaph. sect. 11. à num. 27. vsque ad 33. & 1.
 part. Summæ Theologiæ lib. 2. capite 13. Vasquez disp. 38.
 cap. 2. & communiter nostri.

Placita Do-
 ctorum.
 Caietanus.
 Sotus.
 Capreolus.
 Paludanus.
 Bañez.
 Ferrara.
 Nazarius.
 Discalceatus
 Scotus.
 P. Soarius.
 P. Vasquez.

GGgg

3. Senten

Fundamenta
Soti contra
possibilitatē
speciei im-
pressæ Dei.

3. Sententiæ negantis Doctores varia pro sua opinione fundamenta tentarunt. Nam Sotus, ideò impossibilem asserit speciem impressam Dei, quia nos efficienter bearet, quod non minus repugnat qualitati creatæ, quàm nos efficienter sanctificare. Non placet, quia lumen gloriæ efficienter nos beat, & visio formaliter id præstat: ergo non est impossibile qualitati creatæ nos formaliter beare. Tum quia, possibilem iudico qualitatem efficienter nos sanctificantem; imò de facto existit, si actus charitatis sit forma sanctificans, cum efficienter ab habitu charitatis procedat.

4. Pariter displicet aliud eiusdem Soti fundamentum, scilicet, speciem impressam futuram puriorem ipso Deo, quod loco illius subrogaretur. Displicet inquam, nam species Angeli loco illius subrogatur, & tamen purior non est aut perfectior Angelo, & in moralibus res est euidens, nam Papa loco Christi subrogatur, quin illius puritatem attingat: ergo, &c.

Fundamen-
tum Ferraræ
inefficax.

5. Ferrara ideo docet, impossibilem speciem impressam Dei, quia foret imago Dei adeo perfecta, ut illum adæquatè repræsenteret. Non arridet, quia species impressa tantum repræsenteret virtualiter, quod expressa formaliter; ista autem non repræsenteret formaliter adæquatè Deum: ergo neque impressa virtualiter. Quod si repræsenteret Deum adæquatè formaliter, non implicet, cur implicabit virtualiter. Tum etiam quia ex eo fundamento non apparet, unde implicet species non adæquatè Deum repræsenterans, sed tantum inadæquatè, aut cur omnis species impressa adæquata debeat esse cum suo obiecto, cum expressa his legibus non teneatur.

Fundamen-
tum Gonzalez
insufficiens. Nec
Discalceati
melior.

6. Gonzalez ideò possibilem recusat speciem impressam Dei, quia quidditatiuè Deum repræsenteret. Cæterum quid hoc implicet, quando de facto visio beata formaliter quidditatiuè Deum repræsenteret, non video? Discalceatus cum communi Thomistarum ideò impossibilem reputat speciem impressam Dei, quia iuxta Aristotelem, species impressa est eiusdem naturæ specificæ cum obiecto; si enim

D
enin
obie
7.
tia
cies
cies
tual
tur,
nus
ergo
cum
8.
ficæ
in re
natu
pres
test,
pla
æqu
ex d
iecto
ta et
est,
tur:
neco
loco
sua
exig
9.
infer
vt p
& in
peri
infer
hom
pres
sent

Disp. XXII. *Species impressa Dei.* Sect. I. 607

enim esset diuersæ naturæ, non esset similis, sed dissimilis obiecto.

7. Contra tamen, quia species substantiæ non est substantia, sed accidens, & tamen est illi similis: ergo licet species Dei, Deus non sit, posset esse similis illi. Insuper species intellectualis rei corporeæ, corporea non est, sed spiritalis, & tamen est illi similis. Et sane ridiculum videtur, speciem Asini esse Asinum, Diaboli Diabolum; plenus enim esset intellectus hominis, Asinis, & Diabolis: ergo species impressa non est eiusdem naturæ specificæ cum obiecto.

Species impressa non est eiusdem naturæ specificæ cum obiecto.

8. Dices, speciem impressam esse eiusdem naturæ specificæ cum obiecto, non in esse physico, & entitativo, sed in representando. *Contra*, quia vel speciem esse eiusdem naturæ specificæ cum obiecto in representando, est, esse representationem naturæ specificæ obiecti, & hoc stare potest, quin species sit eiusdem naturæ cum obiecto, ut exempla præmissa conuincunt. Vel est, speciem debere esse æqualis perfectionis cum obiecto; & id falsum esse constat ex dictis. Vel est, speciem debere commensurari cum obiecto; ita ut tanta sit virtus representandi in specie, quanta est virtus representabilis in obiecto, & id etiam falsum est, nam ad representationem formalem, id non requiritur: ergo neque ad virtualem. Addo, eam speciem tantum necessariam esse ad cognitionem comprehensiuam, ut suo loco posuimus: ergo ad visionem beatam, quæ comprehensiuam non est, nec esse potest, talis species nullatenus exigetur.

9. Hinc collige, contra aliquos Aduersariorum, speciem inferioris ordinis posse rem superioris ordinis representare, ut patet in speciebus substantiæ, Angeli, hominis, &c. & in specie, qua homo Angelum, & Angelus inferiori superiorem cognoscit. Quod si species expressa, quamuis inferioris ordinis formaliter representat Deum, Angelum, hominem, &c. ergo idem virtualiter præstare poterit impressa; maximè cum species expressa sit formalis representatio sui obiecti. *Confirmatur* ad hominem contra omnes

Species inferioris ordinis rem superioris representare potest.

aduersarios. Nam lumen gloriæ est similitudo Dei, & tenet expressè S. Thomas hîc art. 2. his verbis. *Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua similitudo ex parte potentia visua.* Scilicet lumen gloriæ; nec tamen lumen gloriæ est ita perfectum, vt adæquet Deum iuxta Ferraram, vel illum quidditatiuè representet iuxta Gonzalez, aut sit eiusdem naturæ iuxta Discalceatum: ergo de ratione similitudinis Dei, non est adæquare Deum, vel esse eiusdem ordinis aut naturæ cum ipso.

10. Dices, id verum esse de similitudine ex parte potentia, quale est lumen, non autem de similitudine ex parte obiecti, qualis est species. Cæterum huius rei discrimen expectamus; cur scilicet similitudo ex parte potentia posset esse inferioris ordinis, & naturæ dissimilis; & non posset similitudo ex parte obiecti.

Species impressa Dei, non necessariò, sed liberè produceretur à Deo.

11. Denique alij ideò asserunt, speciem impressam Dei impossibilem esse, quia necessario, & non liberè produceretur à Deo, sicut aliæ species obiectorum in creatis necessario producantur ab obiectis. Displicet aliquibus, quia obiectum non minus debet esse necessitatum ad producendam speciem sui, quam ad concurrendum per se ipsum immediatè ex parte obiecti ad cognitionem, licet autem obiecta creata, maximè sensibilia, per se ipsa immediatè concurrentia, concurrant necessitata ad sui cognitionem, non ideò Deus immediatè concurrans, ad visionem necessitatus concurrat: ergo licet obiecta creata concurrentia media specie, necessitata concurrant; non tamen Deus. Et ratio à priori est eaque optima, quia omnis creatura subiecta esset liberæ voluntati Dei, titulo pleni, & perfecti dominij, quod Deus habet in omnem effectum ad extra; inde libera est illi cuiuslibet productio; obiecta autem creata tale dominium non habent in speciebus sui producendis; ideoque necessario istæ ab illis oriuntur.

S E C T I O II.

Eligitur sententia affirmans possibilem speciem impressam Dei.

12. **A**Ssero primò, si munus speciei impressæ sit tantum concurrere ad visionem ex parte obiecti, non excludendo positivè concursum immediatum obiecti, possibilem esse speciem impressam Dei. Probat, quia ex positione talis speciei nulla sequitur contradictio, ut ostensum est sectione præcedenti: ergo est admittenda possibilis. *Confirmatur.* Ea species compossibilis est cum concursu mediato obiecti; atque adeo nihil obiecto derogaret: ergo compossibilis quoque erit, saltem de potentia absoluta cum immediato concursu. Dices concurrente immediatè obiecto, futurum superfluum concursum speciei. Fateor id verum esse; insufficiens tamen, ut inde impossibilis reddatur species; etenim stante vno habitu charitatis, aut vno lumine gloriæ; superfluus esset alter eiusdem omnino rationis, & tamen possibilis est: ergo ex eo quod species, concurrente obiecto, sit superflua, non probatur impossibilis.

Possibilis species impressa Dei non excludens positivè concursum immediatum obiecti.

13. Assero secundò, etiamsi munus speciei sit concurrere loco obiecti excludendo positivè concursum illius in actu secundo, possibilem esse speciem impressam Dei. Probat, quia concursus immediatus Dei per modum obiecti ad visionem, est liber Deo: ergo potest Deus nolle concurrere immediatè per se ipsum, sed per solam sui speciem: ergo tunc existere posset species excludens positivè concursum immediatum Dei per modum obiecti; quid enim implicare potest qualitas loco essentia diuinæ productivæ visionis, si Deus per se ipsum pro suo beneplacito concurrere nolit.

Possibilis quoque etiam excludat concursum obiecti in actu secundo.

14. Assero tertio, si munus speciei sit approximare obiectum.

Possibilis
etiam, licet
sit pura ap-
proximatio,
dumodo non
excludat po-
sitiuè præse-
ntiam obiecti.

ctum potentia intellectiua, vel potentiam obiecto, non excludendo positiuè præsentia obiecti, sed præscindendo à præsentia, vel absentia illius, possibile esse speciem impressam Dei. Probatur, quia ex positione talis speciei, quando obiectum est præsens, tantum sequeretur esse superfluum; cum hoc autem optimè stat esse possibilem, vt vidimus: ergo, &c. *Confirmatur*, obiectum creatum per se ipsum præsens, v. g. intellectus; potest fieri etiam præsens per sui speciem: ergo & Deus per se ipsum præsens, poterit fieri præsens per sui speciem, si aliunde non implicet; sicut res semel vni loco præsens, potest secundo fieri præsens per præsentiam distinctam possibilem modalem, & sicut præsentia, quæ per se ipsam est applicata vni loco, potest per aliam de nouo eidem applicari loco, & vnio, quæ per se ipsam est applicata subiecto, potest per aliam vnionem eidem applicari.

Si verò ex-
cludat præ-
sentiam ob-
iecti, impos-
sibilis erit
species im-
pressa Dei.

15. Affero quartò, si munus speciei sit approximare potentia obiectum absens, vel distans, impossibile esse speciem impressam Dei. Probatur, quia impossibile est Deum distare, vel abesse ab intellectu creato, titulo entis necessarij, & immensi: ergo impossibilis quoque erit qualitas approximans intellectui Deum distantem, vel absentem. Probatur consequentia, quia esto ea qualitas non connecteretur cum actuali distantia, vel absentia Dei ab intellectu, tamen natura sua illam exigeret, sicut existentia caloris absentiam frigoris: ergo connecteretur essentialiter cum ea distantia & absentia Dei possibili: ergo cum talis absentia sit impossibilis; impossibilis quoque erit qualitas creata cum illa connexa. Quid autem sententiam circa munus specierum cursim non semel attigimus in superioribus.

Munus spe-
cierum de fa-
cto, applica-
re obiectum
absens po-
tentia.

16. Respondeo tamen, munus specierum de facto existentium esse, applicare potentia obiectum absens, vel distans; præsentem enim obiecto, superflua sunt species: ergo cum superflua non sint, signum est natura sua exigere obiectum absens, vel distans. De possibili tamen non video, quid implicet species compossibilis natura sua cum præsentia obiecti,

Disp. XXII. *Species impressa Dei.* Sect. II. 611

obiecti, quia ex illius existentia tantum sequeretur, eam natura sua esse superfluum, quando distare, vel abesse obiectum non potest; quod sufficiens fundamentum non est, ut impossibilis asseratur, ut ex dictis constat. Huius generis admittimus possibilem speciem impressam Dei.

Cuius generis possibilis sit species impressa Dei.

17. Obijcies primò. Si species non esset eiusdem naturæ cum obiecto, non esset illis similis; implicat autem species, quæ similis non sit obiecto: ergo & species, quæ non sit eiusdem naturæ cum obiecto. Facile contorqueri potest

in ipsos, hoc Thomistarum argumentum in specie expressa, quæ est similis obiecto, cum tamen non sit eiusdem naturæ cum ipso. *Respondeo* igitur, distinguens maiorem, si species non esset eiusdem naturæ cum obiecto, non esset illi similis in esse physico, & entitativo concedo: intentionaliter, siue in representando, nego. Et similiter distincta minori, nego consequentiam, propter absurda contra Thomistas sectione præcedenti librata.

Species impressa etiã diuersæ naturæ sit cum obiecto, est illis similis.

18. Instabis. Si species esset diuersæ naturæ ab obiecto, esset illi dissimilis: ergo non esset similis. *Respondeo*, speciem impressam esse dissimilem physicè, & entitativè obiecto, & similem intentionaliter, sicut expressa, in quo nulla est contradictio.

19. Obijcies secundò. Essentia diuina est prior voluntate libera, & pro eo priori cognoscibilis, atque adeo cognoscibilis independenter à libertate: ergo si possibilis esset species, eam independenter à libertate produceret; atque adeo necessariò. *Respondeo*, essentiam diuinam pro eo priori non esse cognoscibilem à creatura, sed tantum à se ipsa, quia pro priori illo ante diuinam libertatem existere non potest creatura vlla titulo pleni dominij Dei; atque adeo neque species. Sicut in sententia Aduersariorum pro eo priori existere non potest concursus immediatus Dei per modum obiecti,

Non necessario, sed liberè produceretur à Deo.

20. Obijcies tertio, species impressa Dei compararetur cum Deo, tanquam substitutum cum principali; præsentem autem principali, cessat actio substituti: ergo cum Deus non posset non esse præsens, impossibilis erit actio substituti,

tuti,

tuti, seti speciei. *Respondeo*, concessa maiori, distinguens minorem, cessat actio substituti, quia superflua, transeat; quia impossibilis, nego. Quid enim implicat principale simul cum substituto. Et nego consequentiam, quia ex præmissis tantum sequitur non dari de facto speciem impressam Dei, quando nihil admittitur superfluum per se.

S. Thomas
obiectus, &
expositus.

21. Obijcies quartò, Sanctus Thomas hîc articulo 2. expressè negat possibilem similitudinem Dei ex parte obiecti: ergo & speciem impressam. *Respondeo*, Sanctum Doctorem tantum negare similitudinem creatam Dei, quæ sit eiusdem naturæ cum Deo, & qua visa, propter identitatem cum obiecto, etiam istud dicatur visum; nam in prima probatione ait, rem superiorem similitudine inferioris videri non posse, sicut per speciem corporis videri spiritus non potest. Quia species corporis nulla ratione est virtualis representatio spiritûs. En quomodo non negat possibilem speciem spiritus, sed quod specie corporis cogniti, spiritus videatur. Similiter dicimus per speciem rei creatæ visæ, non posse videri Deum, quia nihil creatum potest esse Deus; benè verò per speciem propriam Dei, non prius visam. Vnde optimè infert Sanctus Thomas in tertia probatione, dicere Deum per similitudinem videri, est, dicere diuinam essentiam non videri, quia scilicet similitudo tantum videretur: ergo loquitur de similitudine visa, de similitudine enim non visa falsa esset illatio, nam color verè videtur, etiamsi per speciem non visam videatur.

SECTIO III.

An de facto existat species impressa Dei.

Sententia Do-
ctorum.
P. Vasquez,
Ægidius.

22. **P**rima sententia affirmat. Ita Vasquez disp. 45. Ægidius quæst. & art. 3. cum aliis. *Secunda*, & communis sententia negat, asserens de facto per se ipsum immediatè concurrere Deum ad visionem ex parte obiecti. *Tertia* sententia distinguere posset inter essentiam diuinam, & attributa,

Disp. XXII. *Species impressa Dei*. Sect. III. 613

attributa, & concedere speciem impressam attributorum; non verò essentia, quia ista denominari potest producens ab omnipotentia; non verò alia attributa; cum virtus actiua sit attributum ortum ab essentia; non verò ab aliis attributis, quo fundamento docti aliqui Recentiores absolute docuerunt, existere de facto speciem impressam Dei.

23. Affero primò. Si munus speciei sit applicare obiectum potentia intellectiua, nullius obiecti increati existere de facto speciem impressam. Ratio est clara, quia nulla est perfectio diuina, quæ ratione immensitatis non sit intimè applicata intellectui creato, & ita applicata, vt non possit esse distans, vel absens: ergo ad illud munus præstandum superflua sunt omnino species; maximè, quando contingens non est, nec possibilis distantia obiecti: ergo de facto nullius obiecti diuini existit species.

Nulla est de facto species impressa Dei, si munus eius sit applicare obiectum potentia.

24. Maior tamen difficultas est, si munus speciei sit concurrere ad visionem efficienter ex parte obiecti. Pro cuius intelligentia supponendum est, posse Deum, cum sit agens liberum, de facto concurrere ad visionem per modum obiecti, vel immediatè tantum per se ipsum, nolens existentiam speciei; vel mediatè per speciem, nolens agere immediatè per se ipsum. Controuersia ergo est, an de facto velit Deus concurrere per se ipsum, & non per speciem, vel è contra.

25. Affero secundò, de facto nullam existere speciem impressam Dei, sed Deum immediatè concurrere per se ipsum ad visionem per modum obiecti. Probatur, quia de facto producit Deus effectus modo ipsis connaturaliori; connaturalius autem est visioni oriri immediatè ab obiecto, quàm à specie illius: ergo Deus non per speciem, sed per se ipsum concurrat ad visionem. Maior in confesso est apud omnes. Ideò enim actus supernaturales oriuntur ab habitibus infusis, & visio à lumine intrinseco, quia connaturalius est illis à principiis intrinsecis eleuantibus potentiam naturalem, quàm extrinsecis promanare, quo vnico fundamento necessitas principij intrinseci stabilitur à Doctores. Minor

Idem dicendum etiam si species ex parte obiecti efficienter concurrat.

ergo probatur; quia visio, & qualibet alia cognitio ex primaria intentione exigit concursum potentia intellectiva, & obiecti; secundario autem exigit concursum speciei, indefectum scilicet obiecti; quod autem primario exigitur ab effectu, connaturalius illi est: ergo & visioni connaturalior erit concursus immediatus est parte obiecti. *Confirmatur.* Visio oritur à potentia, & obiecto: ergo sicut virtus intrinseca potentia est illi magis connaturalis; ita virtus intrinseca obiecto erit magis connaturalis illi; talis autem est sola virtus immediata actiua: ergo ista erit visioni connaturalior.

26. Obijcies primò. Effectus connaturalius oritur à causis secundis, quàm à prima specialiter supplente concursum secundæ: ergo visio connaturalius orietur à specie impressa, quàm à Deo supplente illius effectû. *Respondeo* distinguens antecedens, connaturalius oritur à causis secundis primario intentis, concedo; secundario, nego. Et nego consequentiam. Nam qualibet cognitio primario exigit oriri ab obiecto, si præsens sit, & proportionatum, iuxta commune proloquium; ab obiecto, & potentia paritur notitia; species autem exigitur secundario, casu videlicet, quo obiectum non sit, vel sit distans, vel absens; quorum neutrum respectu Dei contingit, nec contingere potest.

27. Obijcies secundò. Visio connaturalius oritur à lumine intrinseco, quàm extrinseco: ergo & connaturalius orietur à specie intrinseca, quàm ob obiecto extrinseco. *Respondeo*; concessio antecedenti, negans consequentiam. Disparitas sumenda est ex natura potentia, & obiecti; hoc enim est discrimen inter vtrumque, quod potentia est intrinseca actui vitali; non verò obiectum; vnde quo magis intrinsecum est, quod complet potentiam, eamque reddit proportionatam, eo connaturalius est; è contra verò concursus ex parte obiecti, magis proportionatus erit extrinsecus, quia plus accedit ad naturam obiecti.

Concurrente Deo ex parte obiecti, superfluum non esset lumen,

28. Obijcies tertio. Si Deus concurreret immediatè ex parte obiecti ad visionem, superfluum esset lumen; sufficiens enim esset concursus ille ad eleuandum intellectum, cum

D
cum
spon
sum
fus
fluu
te ob
obie
tiam
cti;
ad e
29.
dete
obie
ipsu
erge
gan
test
nis
visio
prod

Qu

30.

ab or
Riba
fit d
num
man
nulla
fit or

Disp. XXII. *Species impressa Dei.* Sect. IV. 615

cum sit concursus causæ principalis; id falsum est: ergo. *Respondeo*, negans sequelam, nam Deus solum præstaret cōcursum illum, quem tribueret species, si esset; sicut ergo concursus speciei, concursum luminis non suppleret, nec superfluum argueret; ita nec concursus immediatus Dei ex parte obiecti. Et ratio est, nam quilibet concursus ex parte obiecti tam mediatu, quàm immediatus supponit potentiam cum tali virtute, cui connaturalis sit concursus obiecti; id autem sine lumine impossibile est potentia naturali ad effectum supernum.

29. Obijcies quartò, virtus ex parte obiecti concurrens determinat in actu primo intellectum ad visionem huius obiecti præ alio; id autem præstare non potest Deus per se ipsum, cum omnia, quæ sunt in Deo, sint æque visibilia: ergo per speciem creatam. *Respondeo* concessa maiori, negans minorem; Deus enim per se ipsum determinare potest intellectum in actu primo ad visionem vnius perfectionis diuinæ, præ alia, applicans tantum omnipotentiam ad visionem vnius, & non alterius, sicut applicare potest ad producendam speciem impressam vnius, & non alterius.

Qualiter
Deus per se
ipsum deter-
minare pos-
sit ad visio-
nem vnius
obiecti præ
alio

S E C T I O IV.

Qua virtute concurrat Deus per modum obiecti ad visionem.

30. **P**Rior sententia asserit Deum ex parte obiecti concurrere ad virtutem propriam essentia distinctam ab omnipotentia. Ita Soarius libro 2. cap. 12. Molina disp. 2. Ribas disputat. 5. cap. 4. numer. 29. An autem similis virtus sit diuinis relationibus concedenda, negat citatus Ribas numero 36. cum Soario contra aliquos Recentiores affirmantes; quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa; vnde nulla operatio potest esse ita propria vnius Personæ, vt non sit omnibus communis. *Posterior sententia* docet, Deum concurrere

Placita Do-
ctorum.
P. Soarius,
P. Molina.
P. Ribas.

P. Herize.

currere ex parte obiecti ad visionem per omnipotentiam tantum. Ita P. Herize tract. 4. disp. 42. cap. 4. & communiter Recentiores.

Deus concurrat ad visionem per immensitatem.

31. Affero primò, in nostra sententia, in qua concursus ex parte obiecti, consistit in applicatione illius ad potentiam, Deum concurrere ex parte obiecti per Attributum immensitatis, & idem est de essentia diuina, & omnibus Attributis, etiam relatiuis. Probatur: Nam quælibet diuina perfectio, ratione immensitatis, est intimè præsens omni creaturæ; coniuncta autem immensitati intelligibilitate diuinæ perfectionis, ista est specialiter præsens intellectui creatò per modum obiecti: ergo quælibet diuina perfectio concurrat ad visionem per immensitatem applicantem intelligibilitatem illius intellectui.

Admisso concursu efficienti ex parte obiecti, quælibet perfectio diuina ad sui visionem per omnipotentiam concurrat.

32. Affero secundò, admissò concursu efficiente ex parte obiecti, essentiam diuinam, & quamlibet aliam perfectionem tam absolutam, quàm relatiuam, concurrere ex parte obiecti per virtutem omnipotentia. Probatur, quia omnipotentia est simpliciter infinita in genere virtutis productiuæ ad extra: ergo debet continere omnem virtutem productiuam ad extra, vt integra sit, & completa: ergo & virtutem productiuam visionis ex parte obiecti. Antecedens certum est, nam quodlibet attributum diuinum est simpliciter infinitum in suo genere. Consequentia probatur. Nam quod est simpliciter infinitum in aliquo genere, continere debet omnem perfectionem illius generis; sic attributum scientiæ continet omnem formalitatem scientiæ, & attributum volitionis, omnem formalitatem volitionis: ergo similiter attributum omnipotentia continere debet omnem formalitatem virtutis productiuæ.

Aliorū probatio minus efficax.

33. Probant alij, quia si essentia diuina haberet in se propriam eminentiam actiuam visionis ex parte obiecti, haberet illam antecedenter ad voluntatem in actu primo: sed eminentia actiuam visionis ex parte obiecti antecedere non potest voluntatem in actu primo, etiam virtualiter; & per rationem: ergo essentia diuina non habet ex se propriam

priam eminentiam actiuam visionis ex parte obiecti. Minor probatur, quia actualis concursus in visionem ex parte obiecti supponit actuale decretum liberum de visione producenda, ab eoque dependet: ergo eminentia actiua talis concursus supponit virtualiter, & per rationem voluntatē diuinam potentem liberè decernere. Consequentia patet, quia prioritas, & posterioritas virtualis, & per rationem inter principia colligitur ex prioritate, & posterioritate reali actuum. Inde omnipotentia dicitur posterior virtualiter, aut per rationem voluntate diuina, quia effectus omnipotentia supponit actuale decretum voluntatis, estque realiter posterior illo à quo: ergo si actualis concursus ex parte obiecti ad visionem est posterior decreto actuali libero de producenda visione, eminentia actiua talis concursus ex parte obiecti erit posterior virtualiter, & per rationem voluntate diuina.

34. Hæc ratio mihi firma non est, nisi virtus actiua visionis ex parte obiecti indistincta sit virtualiter ab essentia; si enim distincta sit & proprietas, sicut voluntas, non video, cur posterior esse non posset, nam voluntas diuina potest decernere visionem absque vlllo concursu immediato ex parte obiecti, cum solo mediato speciei, vt in superioribus ostensum est; virtus vero propria essentia non posset agere visionem absque diuina voluntate liberè decernente: ergo virtus propria essentia posterior esset diuina voluntate, cum essentia diuina independenter à voluntate concurrente intelligi non possit à creatura, eo quod omnis intellectio creata ineuitaliter sit Deo liberè; cum tamen intelligi possit independenter à virtute ex parte obiecti concurrente.

35. Probant tertio. Vel attributa absoluta habent in se speciales eminentias actiuas visionis ex parte obiecti, vel concurrunt tantum ad sui visionem per omnipotentiam? Si secundum: ergo idem erit de essentia. Si primum: ergo qualibet personalitas diuina habebit etiam specialem virtutem sibi propriam, qua ex parte obiecti ad visionem sui concurrat; id autem falsum est, nam visio Paternitatis non

Aliorum etiā
inefficax
probatio.

procederet ab vno principio communi toti Trinitati, sed proprio solius Paternitatis; idemque esset de visione Filiationis & cuiusuis alterius relationis: ergo. Neque vrget hæc ratio. Nam admittentes speciales eminentias pro essentia, & attributis absolutis, illas negant relationibus propter speciale inconueniens, scilicet quia, opera ad extra non essent indiuisa, id est ab vno principio toti Trinitati communi, vt expressè tenent Soarius, & Ribas, quod inconueniens non contingit in essentia, & attributis. Recentiores verò, qui eas eminentias relationibus appingunt, effugere possent, asserentes, sufficere, vt opera ad extra sint indiuisa, quod principium per modum causæ physicæ, scilicet omnipotentia, sit commune, quamuis principium per modum obiecti tale non sit, quod effugium inferius præcludetur.

Oppositæ sc.
tētæ funda-
mentum in-
fringitur.

36. Probatur ergo secundo conclusio. Si aliqua esset necessitas virtutis specialis in essentia ad sui visionem producendam, maximè, quia per virtutem omnipotentia communem etiam non obiectis, intelligi non posset, quo pacto essentia concurrat per modum obiecti potius, quàm voluntas, vel omnipotentia, quæ obiectum non essent: id falsum est: ergo. Minor probatur, quia id optimè intelligitur per vos in relationibus sola omnipotentia virtute concurrentibus: ergo simili modo intelligi poterit in essentia, vel quolibet attributo absoluto; etenim vt aliqua perfectio diuina præ alia intelligatur concurrens per modum obiecti satis est, quod virtute secum realiter identificata producat visionem ad ipsam præ alia terminatam tanquam obiectum; totum autem id præstare potest diuina qualibet perfectio absoluta, sicut potest relatiua per omnipotentiam sibi realiter identificatam: ergo, &c.

37. Tertiò. Si virtus omnipotentia non sufficeret, maximè, quia non posset denominare essentiam ex parte obiecti ad sui visionem concurrentem: id falsum est: ergo. Minor probatur, quia virtus propria essentia ideo illam denominaret ex parte obiecti concurrentem, quia produceret visionem ad solam essentiam, tanquam ad obiectum terminatam;

terminatam; idem præstat omnipotentia, cum visio ad solam essentiam terminata, ab ea producat: ergo.

38. Specialiter probatur quartò conclusio contra eminentias proprias vniuscuiusque relationis. Nam concurrente filiatione v. g. per virtutem sibi propriam ad sui visionem, operatio ad extra non esset indiuisa, etiamsi omnes personæ diuinæ per omnipotentiam concurrerent: ergo, &c. Antecedens probatur. Nam si verbum diuinum concurreret per virtutem sibi propriam ex parte termini ad vniõnem sui cum humanitate, vniõ non esset operatio indiuisa, quamuis omnes Personæ ad illam per omnipotentiam concurrerent; vnde negant omnes tract. de Incarnat. virtutem effectiuam visionis propriam Verbi possibilem esse; pariter ergo, si Verbum ex parte obiecti concurreret ad sui visionem virtute propria, talis operatio non esset indiuisa Trinitati, etiamsi omnes Personæ per omnipotentiam concurrerent; ad id enim opus est, vt eodem principio, & virtute omnes concurrant.

Relationi Verbi Possibilis non est vis producta vniõnis per modum termini propria ipsius.

39. Confirmatur. Virtus propria filiationis diuinæ, vel esset ab ea virtualiter distincta, vel indistincta, eius actio communis esse non posset, & indiuisa Trinitati. Si distincta, vel ergo esset quid absolutum, vel relatiuum? Si primum: ergo esset communis omnibus relationibus. Si secundum: ergo constitueret relationem virtualiter à filiatione distinctam; idem esset de virtute productiua propria Paternitatis, Spirationis passiuæ, & actiuæ; vnde in diuinis octo relationes essent admittendæ, quod absurdum esse constat ex tractatu de Trinitate; vbi quatuor tantum esse relationes in Deo stabilitum est, nec plures, nec pauciores.

40. Obijcies primò. Si essentia diuina (& idem dic de quacumque perfectione absoluta, & relatiua) non concurreret ad visionem virtute sibi propria, intelligi non posset, quomodo essentia diuina præstaret concursum ex parte obiecti ad visionem sui solius, quàm aliæ diuinæ perfectiones, quæ obiectum non essent: ergo, &c. Respondeo negans antecedens; essentia enim diuina præstaret concursum

Quo pacto essentia potius quàm alia perfectio præstaret concursum in visionem.

sum

sum ex parte obiecti potius, quam alia perfectiones, quia per omnipotentiam ageret visionem ad ipsam potius, quam alias diuinas perfectiones terminatam.

Disparitas
inter omni-
potentiam &
alias diuinas
perfectio-
nes.

41. Obijcies secundo, omnipotentia formaliter & per se ipsam concurrat ad sui visionem ex parte obiecti: ergo etiam essentia. Antecedens probatur in visione totam omnipotentiam exprimente, nam si ad eam concurreret ex parte obiecti per virtutem distinctam, cum integra omnipotentia sit obiectum, extra adaequatam omnipotentiam daretur virtus productiua, quod per nos impossibile est: ergo, &c. *Respondeo* concessio antecedente; negans consequentiam. Ratio est, quia omnipotentia ratione virtutis productiuae simpliciter infinita, duo praestat, & continere omnem concursum, & consequenter etiam concursum ex parte obiecti, & non pati extra se concursum aliquem; unde essentia diuina, & quaelibet alia perfectio, omni virtute spoliata manet.

42. Obijcies quarto. Integrum attributum omnipotentiae denominat immediatè essentiam omnipotentem, eminentia autem, qua voluntas diuina v. g. concurrat ex parte obiecti ad visionem sui solius, non denominat adhuc inadaequatè essentiam diuinam: ergo non integrat omnipotentiam. Minor probatur, quia haec eminentia solum denominat immediatè illud, quod potest visionem voluntatis per modum obiecti producere; essentia autem diuina non potest eam visionem per modum subiecti producere, cum per eam essentia diuina minimè videatur, sed sola voluntas: ergo eminentia illa non denominat immediatè essentiam diuinam.

43. *Respondeo* concessa maiori, de qua dubitant aliqui, negans minorem. Ad probationem, nego maiorem; eminentia enim illa, non solum denominat immediatè, quod potest visionem voluntatis per modum obiecti producere, sed etiam quod potens est producere, quamuis non per modum obiecti, qualis est essentia diuina respectu visionis solius voluntatis, quia concurrere per modum obiecti, duo dicit, & concurrere ad visionem, & esse illius obiectum;
cum

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. IV. 621

cum autem posset diuina voluntas concurrere ad eam visionem, & simul esse illius obiectum; essentia verò diuina non possit esse obiectum, quamuis concurrere possit. Inde poterit ea eminentia denominare voluntatem diuinam per modum obiecti concurrentem, quin ita denominet essentiam, dummodo illam immediatè denominet producentem.

44. Obijcies quintò. Eminentia, qua intellectus, & voluntas creata ex parte obiecti concurrunt ad visionem sui, non integrat formaliter eas potentias: ergo neque eminentia, qua omnipotentia ex se, seu ex parte obiecti concurrat ad visionem sui, integrabit formaliter omnipotentiam. Antecedens probatur, nam intellectus, & voluntas creata, solum integrantur formaliter ex eminentia, seu eminentiis vitalibus; eminentia autem, qua intellectus, & voluntas creata concurrant à parte obiecti ad visionem sui vitalis formaliter non est: ergo nec potens integrare intellectum, aut voluntatem creatam, eamve constituere. *Respondet*, permissio antecedenti, negans consequentiam. Ratio est, quia potentia illa creata, cum finita sit, solis eminentiis vitaliter productiuis formaliter integrantur; omnipotentia autem cum simpliciter infinita sit ex genere productiuo, omni virtute productiua Deo possibili formaliter integratur.

Discrimen
inter potentias
creatas,
& diuinam.



DISPUTATIO XXIII.

De obiecto visionis beatæ.

I. **P**OSITIS iam principiis visionis, eius obiectum inuestigamus, prius increatum, in quo potissima stat visionis felicitas, deinde creatum; hæc enim erit materia totius disputationis.

S E C T I O I.

De obiecto increato necessario visionis beatae.

Beati de facto vident omnes diuinas perfectiones necessarias, tū absolutas, tū relatiuas.

2. **A** Sfero primò, Beatos videre de facto omnes perfectiones necessarias diuinas, vnitatem scilicet essentiaē cum Trinitate Personarum; processiones Filij, & Spiritus Sancti, earumque discrimen, Mysterium libertatis, attributa, insuper omnia, tam absoluta, quàm relatiua. Probat. Et in primis de essentia diuina definitum est à Benedicto 12. in extrauaganti. *Benedictus his verbis. Post Christi passionem, anime Iustorum, quae nihil iam habent purgandum, vident, & videbunt diuinam essentiam immediate.* Pariter de attributis relatiuis definitum est ab Eugenio 4. in Concilio Florentino post sessionem vltimam in litteris vnionis, vbi statuitur Iustorum animas in caelum recipi, & intueri clarè Deum Trinum, & vnum, vt est in se. De attributis autem absolutis certum etiam videtur, quia nomine essentiaē comprehenduntur, vt Patres communiter interpretantur, nec vlla est ratio, vnde attributa excludi possint. Omnia comprehendit Paulus 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscant, sicut & cognitus sum.* Similia habentur Ioan. 3. *videbimus eum sicuti est.* Et ratio omnium est, quia visio in Patria respondet fidei habitæ in via; Fide autem credimus omnia necessaria quæ sunt in Deo: ergo & videntur in Patria, aliter non faceretur Iustorum appetitus videndi ea, in quorum fidei obsequium proprium intellectum captiuarunt.

3. Affero secundò, Beatos videre distinctionem attributorum ab essentia, & inter se; illam scilicet, quæ reuera fuerit inter illa extrema, Tum quia vident essentiam, & attributa secundum vltimas eorum differentias, vt statim constabit. Tum etiam, quia beati vident, & enunciant prædicata contradictoria à diuinis perfectionibus fundata.

4. Difficultas

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. I. 623

4. Difficultas tamen est, an Beati videant perfectiones diuinas secundum proprias, & vltimas earum differentias, v. g. omnipotentiam, voluntatem, relationes, &c. Prior sententia negare videtur, & tribuitur Okamo in 4. qu. 13. art. 1. Richardo in 3. dist. 14. artic. 1. quæst. 4. Bonauenturæ ibidem art. 1. quæst. 2. Gabrieli quæst. vnica, art. 3. dub.... Posterior, & communis sententia affirmat.

Vident etiã distinctionē earum perfectionum.

5. Affero tertio. Beatos videre omnia attributa secundum proprias eorum differentias, quibus inter se distinguuntur. Probat, quia ita credita sunt in via: ergo & videntur in Patria. Consequentia constat ex dictis. Antecedens probatur, quia de facto non solum credimus Deum esse trinum, & vnum, sed etiam omnipotentem, scientem, volentem, immensum, aeternum, &c. ergo sicut fidei credenti, in via, Deum esse trinum, & vnum, correspondet in Patria visio Dei trini, & vnus, ita & fidei attributorum similis eorum visio correspondere debet.

Easque inuentur secundum proprias & vltimas differentias.

6. Hinc maior alia suboritur difficultas, an scilicet beati non solum videant formaliter differentias attributorum, quibus inter se distinguuntur, sed etiam videant in vnoquoque attributo, cunctas formalitates, seu virtualitates, aut respectus ad terminos extrinsecos. Prior, & communis sententia negat; videri à beatis cunctas formalitates, aut virtualitates, seu respectus ad terminos extrinsecos, quia inde fieret, omnes Beatos visa omnipotentia penetraturos indirectè cuncta possibilia, quod falsum esse constabit infra. Posterior sententia affirmat. Ita Durandus in 3. dist. 14. Gofredus, & alij.

7. Affero quarto, videri à Beatis omnia attributa secundum omnes eorum formalitates, aut virtualitates, seu respectus ad terminos extrinsecos, secundum intrinsecum quod dicunt huiusmodi respectus. Probat, quia integra attributa, & non tantum aliquid eorum, credita sunt in via: ergo integra videntur in Patria. *Confirmatur.* Nam vt ostendi de essentia, & attributis, vnumquodque attributum ita est indiuisibile, vt nullam intra se virtualem distinctionem patiat, sed sit vnicus, & indiuisibilis respectus, adhuc virtualiter,

Et secundū omnes earū formalitates, & virtualitates.

tualiter, ad omnes terminos extrinsecos: ergo si beati clarè vident aliquid omnipotentia v.g. clarè etiam videre debent totam omnipotentiam: ergo etiam omnes illius respectus ad creaturas secundum intrinsecum, quod dicunt. Prima consequentia probatur, quia eadem virtualitas indiuisibilis non potest cognosci clarè, & non cognosci clarè ab eodem actu, cum sint prædicata contradictoria: ergo si aliquid cognoscitur clarè, tota omnipotentia clarè cognosci debet.

Obiectio,
fieri ex nostra sententia cunctos beatos omnia possibilis cognoscere.

8. Obijcies ex nostra sententia fieri omnes beatos visâ omnipotentia clarè, & distinctè penetraturos omnes illius terminos in particulari; id autem solido fundamento admitti non potest: ergo beati non vident cunctas formalitates, aut virtualitates, & respectus omnipotentiam constituentes. Sequela probatur, quia non potest videri virtus productiua Petri, vt talis, quin Petrus clarè, & distinctè cognoscatur, licet indirectè, & idem est de virtute productiua Pauli, & reliquis: ergo si pari claritate omnes formalitates, & respectus omnipotentia viderentur à beatis; omnes etiam termini clarè, & distinctè cognoscendi essent.

9. Dixi, *omnes termini*, & non omnia possibilis, vt præcinderem ab ea quæstione, an sit omnipotentia cum possibilibus connexa, quia etiam si quoad efficaciam non connecteretur, videretur cognoscendos esse terminos extrinsecos, quia non potest clarè, & distinctè videri virtus, quantum est ex se productiua Petri, si non repugnet, quin clarè Petrus cognoscatur; idemque est de virtute productiua Pauli, &c. pari claritate, & distinctione, visis omnibus sufficientis omnipotentia, omnes quoque termini simili claritate, & distinctione essent indirectè penetrandi. Quod si omnipotentia cum possibilibus connectatur, fitque vnica indiuisibilis virtualitas, plus vrgere videtur obiectio, quia non possunt clarè, & distinctè omnes illius formalitates, & respectus cognosci, quin indirectè omnia possibilis cognoscantur: ergo à beatis clarè, & distinctè omnia possibilis penetrantur. Antecedens probatur, quia omnipotentia

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. I. 625

nipotentia aliud non est, quàm vnicus, & indiuisibilis respectus, isque æqualis ad omnia possibilis: ergo non potest clarè videri, quin omnia possibilis clarè videantur, seu cognoscantur indirectè.

10. Respondeo, negans sequelam. Ad probationem concessio antecedente, neganda est consequentia. Nam indiuisibilis respectus ad plures terminos cognosci à nobis potest in ordine ad vnum, quin cognoscatur in ordine ad alterum, quotidiana id experientia comprobante. Idcirco omnipotentia, etiamsi sit indiuisibilis respectus ad omnia possibilis, videri potest in ordine ad aliqua, quin in ordine ad omnia videatur; vnde necessarium non est, quod visa integra omnipotentia, cuncta possibilis cognoscantur.

Solutio præcedentis fundamenti.

11. Sed instabis. Omnipotentia est respectus æqualis ad omnia possibilis: ergo cognoscenda à nobis est necessario in ordine ad omnia possibilis; nulla enim scintillat ratio, vnde intellectus, cognita omnipotentia, inclinet in hæc potius possibilis, quàm in alia, vel in aliqua potius, quàm in omnia.

12. Respondeo, cōcessio antecedente negans consequentiã. Ratio autem, vnde intellectus, cognito æquali respectu ad plures terminos, inclinet in hos potius, quàm in illos, sumitur ab excitatione specierum, seu determinatione intellectus, quidquid illa sit, siue qualitas intrinseca, siue modus, aut extrinseca Dei voluntas efficax. Intellectus enim ad cognoscendum indiuisibilem respectum plurium terminorum, excitari potest, vel determinatione tantum cum vno termino connexa, & tunc erumpit cognitio exprimens totum respectum in ordine ad vnum tantum terminum; quod si determinatio duobus terminis connectatur, concipitur cognitio penetrans totum respectum in ordine ad duos terminos, & sic de aliis; si verò determinatio cum omnibus terminis connectatur, pariter cognitio erit totius respectus, & simul omnium terminorum.

Vnde respectus indiuisibilis ad plura cognosci possit in ordine ad vnum, & nõ ad alterum.

S E C T I O II.

De obiecto increato libero visionis beatae.

Perfectiones
necessariae
possunt abs-
que liberis
videri.

13. Certum mihi est *primò*, posse videri perfectiones necessarias absque liberis. Tum quia possunt existere perfectiones necessariae, non existentibus liberis. Tum etiam quia virtualiter inter se distinguuntur absque vlla connexione necessariorum cum liberis: ergo poterunt videri necessaria, non cognitis liberis, maxime cum necessaria indifferenter se habeant ad quaecunque libera. Certum est mihi *secundò*, posse videri perfectiones saltem aliquas liberas, siue consistant in intrinseco tantum, siue in intrinseco, & extrinseco simul, quia in hoc nec implicantiæ vestigium apparet.

14. Difficultas tamen est, an visio intueri possit decretum, quo Deus ipsam decernit, aut scientiam visionis, qua cognoscit illam existentiam. Negat communis Recentiorum sententia. Pro clariori tamen intelligentia; suppono, decretum producendi visionem, prout de facto, esse simul decretum conseruandi illam in aeternum; vnde scientia diuina visionis, representans existentiam visionis beatae, simul etiam representat aeternam illius durationem; sicut ergo in decreto duplex conceptus distingui potest, productionis scilicet, & conseruationis, ita in scientia distingui potest similiter duplex conceptus representatiuus, existentiae scilicet visionis, & durationis eiusdem.

Visio intueri
non poterit
suum decre-
tum, quate-
nus decer-
nens aeternam
eius duratio-
nem.

15. Affero *primò*, visionem beatam non posse intueri decretum de se ipsa, quatenus decernit aeternam illius durationem. Probat, quia talis visio ex intrinseca natura sua esset essentialiter aeterna, & durationis indefectibilis; id autem implicat creaturæ, derogatque pleno Dei dominio potentis liberè producere creaturam, & productam destruere, vel conseruare: ergo, &c. Maior probatur, quia visio illa, vt potè supernaturalis, & intrinseca natura
sua

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. II. 627

sua esset essentialiter vera, & nullo pacto potens subesse falsitati; si autem destrueretur à Deo esset falsa; assereret enim se nunquam fore destruendam, sed in æternum duraturam: ergo cum nec diuinitus posset esse falsa ex intrinseca natura sua exigeret indefectibiliter durare; atque adeo nullatenus posset à Deo destriui.

16. Dices, de ratione creaturæ solum esse, quod possit Deus eam producere, & non producere; non verò quod semel producta possit à Deo destriui, nec id derogare pleno Dei dominio, quia etiamsi Deus visionem semel productam destruere non posset, absolutè tamen potuisset eius existentiam impedire, cum absolutè antecederet potuerit eam non producere. *Contra*, quia attributum indefectibilitatis, proprium Dei, non dicit formaliter existentiam necessariam, aliter decretum, & scientia libera diuina indefectibilitatem Dei propriam non induerent; sed tantum dicit, rem deficere non posse ab existentia semel habita, ut traditum est de essentia, & attributis: ergo visio illa participaret indefectibilitatem propriam Dei.

Qualis sit
indefectibi-
litas propria
Dei.

17. Affero secundò, visionem beatam posse videre decretum de se ipsa, quatenus decernit primam illius productionem tantum, præscisuiuè se habendo circa æternam durationem. Probatur, nam in tali visione nulla apparet contradictio, etenim cum tantum videret decretum de se ipsa in ordine ad primam productionem pro instanti determinato, non repugnaret illi in sequentibus destriui, nec alia repugnantia à Recentioribus aperitur: ergo, &c. Dixi *præscisuiuè se habendo circa æternam durationem*; quia eam nec positiuè excludere deberet, aliter non posset à Deo conseruari; sicut non posset destriui, si æternam durationem exprimeret.

Potest visio
intueri suum
decretum præ-
cendenda ab
æterna dura-
tione

18. Dices visionem non posse intueri decretum de se ipsa, quatenus causans primam sui productionem, quin simul intueatur, quatenus causans durationem sine termino, quia indiuisibiliter decernit eam producere, & in æternum conseruare, quin inter eos respectus, aut formalitates vlla intercedat distinctio virtualis. *Contra*. Quia etiamsi vnico
indiuisibili

Indiuisibili-
tas decreti
nihil obstat.

indiuifibili decreto visio, eiusque duratio decernantur à Deo, id nihil obstat, quominus tale decretum possit videri in ordine ad primam productionem, quin in ordine ad durationem videatur, nam indiuifibilis respectus essentialis ad plures terminos, maximè independentes, potest clarè cognosci in ordine ad vnum, quin in ordine ad alterum cognoscatur, vt communissimum est in Philosophia, & Theologia; prima autem visionis existentia independentis est ab ipsius duratione: ergo licet idem indiuifibile decretum ad vtrumque terminetur, poterit tamen in ordine ad primam existentiam videri, quin in ordine ad durationem videatur.

Instantiis res
eadem firmata.

19. Confirmatur. Nam in communi sententia, non distinguente ex parte obiecti ens, & perfectatem, vtraque est vnica, & indiuifibilis respectus ad negationem repugnantia, & subsistentiam, idemque est de animali, & rationali in sententia præcisiones obiectiuas respiciente; & de virtute diuina productiua Petri, & Pauli; & tamen respectus ille entis cognosci potest clarè in ordine ad negationem repugnantia, quin in ordine ad subsistentiam cognoscatur; Respectus insuper animalis in ordine ad sensationem, quin in ordine ad discursum cognoscatur, & denique respectus diuinæ virtutis productiua in ordine ad Petrum, quin in ordine ad Paulum exprimitur: ergo & decretum diuinum poterit in ordine ad primam existentiam visionis cognosci, quin in ordine ad æternam durationem cognoscatur.

Idem, quod
de decreto.
dicendum de
scientia.

20. Assero tertio, visionem beatam non posse intueri scientiam visionis de ipsa, quatenus exprimit æternam ipsius durationem; posse tamen, quatenus exprimit primam illius existentiam, patet ex dictis pro decreto, nam eadem est vtriusque ratio. Hæc tamen dicta sint de potentia absoluta, & respectu alicuius visionis; de facto enim conformius est, tale decretum, aut scientiam non videri, sicut in aliis effectibus contingit.

Obiectio posterioritatis
scientia, &
prioritatis
visionis.

21. Obijcies primo, scientia ista est posterior à quo suo obiecto, scilicet visione: ergo non potest etiam de absoluta potentia

D
pot
in n
quo
ten
test
22.
plic
fisti
alio
qua
xion
inde
den
23.
rem
que
fed
visio
à sci
Lice
suo
tam
pos
tia t
ad s
tanc
difer
fion
relic
24.
nes
nis
aliqu
exp
nard
quit
Dei.

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. II. 629

potentia videri ab ipsa visione. Antecedens commune est in materia de scientia Dei. Consequentia probatur. Nam quod est posterius à quo visione, supponit illam existentem vnà cum suo obiecto cui connectitur: ergo non potest esse obiectum illius.

22. Aduerte prioritatem, & posterioritatem à quo, duplicem esse, originis vnã, & naturæ alteram. Prima consistit in origine non mutua, scilicet, quod vnum oriatur ab alio, non verò è contra, & res quæ oritur dicitur posterior; quæ verò est principium, prior. Secunda stat in connectione non mutua, scilicet, quod vnum dependeat ab alio independente, & res independens dicitur prior; dependens verò posterior.

23. Respondeo igitur scientiã visionis non esse posteriorem à quo origine, neque priorem suo obiecto, quia neque scientia oritur ab illo, cum obiectum motiuum non sit, sed purè terminatiuum, neque obiectum oritur à scientia visionis de seipso, sed à decreto ipsum decernente, & à scientia simplicis intelligentiæ tale decretum dirigente. Licet autem de facto scientia visionis sit posterior natura suo obiecto, quia istud non pendet ab illa dependente, tamen non video implicantiã in eo quòd aliqua scientia, posset esse simul natura cum suo obiecto, casu quo scientia terminaretur ad visionem beatam existentem, & visio ad scientiam, tunc enim essent mutuo dependentes, non tanquam à causa, sed tanquam ab obiecto; hoc tamen discrimine, quod scientia titulo obiecti concurreret ad visionem beatam ex parte obiecti per omnipotentiam, sicut reliquæ diuinæ perfectiones; non verò è contra.

Soluitur præcedens obiectio.

24. An autem de facto Beati videant aliquas perfectiones liberas? Placet mihi pars affirmans. Tum quia communis est Patrum sententia asserentium Beatis patere diuina aliqua consilia, & rationes aliquas diuinæ prouidentię, vt exprimit Dionysius de diuinis nominibus cap. 4. & Bernardus in illud Psal. 26. *vnã petiui à Domino, Quidni, inquit, videatur cor Dei? Quidni ibi probetur, quæ sit voluntas Dei.* Et statim subdit. *Patent viscera Misericordiæ, patent*

De facto vident Beati aliquas perfectiones.

cogitationes pacis, diuitia salutis. Tum etiam quia vt constat ex dicendis plura videntur à Beatis in Verbo, quod fieri non potest, nisi aliqua libera videantur, vt ibidem constabit: ergo, &c.

Easque videt in se ipsis. 25. An autem ea libera videantur in se ipsis. *Respondeo* affirmatiuè, quia in perfectionibus necessariis videri non possunt, cum istæ nullam habeant cum liberis connexionem, & in se ipsis videri nihil obstat.

SECTIO III.

*An diuinitus possit videri essentia non visis
Attributis, & è contra.*

Sententiæ Do-
ctorum.

P. Soarius.

P. Molina.

P. Vasquez.

P. Herize.

S. Antoninus

Scotus.

Ægidius.

F. Granadus.

P. Alarcon.

26. **C**ONtrouersia est, An possit videri essentia non visis relationibus, aut attributis, vel vnum attributum altero non viso, aut vna relatio altera non visa. Prior sententia negat. Ita communiter Thomistæ, & cum nostris Pater Soarius lib. 2. cap. 22. P. Molina hîc art. 8. disp. 4. P. Vasquez disp. 43. cap. 2. P. Herize disput. 50. cap. 1. & 2. cum aliis. Posterior affirmat. Ita S. Antoninus 3. part. titulo 3. cap. 4. Scotus, & Discipuli apud Patrem Salas 1. 2. quæst. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 2. Ægidius lib. 5. quæst. 11. art. 4. P. Granadus tract. 5. disp. 5. & multi alij. Pater verò Alarcon tract. 1. disp. 4. c. 2. Distinguit inter visionem apprehensiuam, & quidditatiuam; primam asserit, posse videre essentiam, non visis attributis; non verò secundam; quia visio quidditatiua exprimere debet omnia, quæ spectant ad rei quidditatem, & entitatem.

27. Hoc tamen discrimen magna ex parte vocum est, potius quam rerum; quid videlicet sibi velit *videri*; vt voces ergo præcidantur, in quas tota inutiliter euanescere posset controuersia. Suppono bifariam dici posse, obiectum aliquod videri. *Primò*, quia intuitiuè, & in se cognoscitur, quod est propriè videri. *Secundò*, quia abstractiuè, & indi-
rectè

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. III. 63

rectè cognoscitur, siue in alio; quod non est propriè videri, licet sit propriè cognosci.

28. Affero primò, non posse videri essentiam, attributis, & relationibus non visis. Ratio est, quia licet essentia distinguatur virtualiter ab attributis, & relationibus, non tamen obiectiuè, vt statutum est disp. 7. sect. 7. quod necesse erat, vt posset essentia directè, & in se cognosci, non ita cognitis relationibus, & attributis, sed indirectè tantum in essentia: ergo essentia videri non poterit, non visis attributis, & relationibus. Quæ autem hic obijci possent soluta sunt loco citato, videas ibi. Similiter dicendum, non posse videri vnum attributum, alio non viso; nam eadem est omnium ratio, videlicet carentia distinctionis obiectiuæ inter illa. Pariter quoque dicendum, non posse videri vnam relationem, aliis non visis. Ratio est, quia nulla relatio videri potest, quin videatur essentia, cum nulla stet distinctio obiectiua inter relationes, & essentiam: visa autem essentia omnes relationes intuitiuè, & in se videri debent, si enim indirectè tantum & in alio cognoscerentur, hoc ipso staret distinctio obiectiua inter relationes, & essentiam: ergo.

Essentiã videri non visis attributis, impossibile.

Nec vna relatio videri potest non visis omnibus.

29. Quid verò dicendum, dato quod inter essentiam, attributa, & relationes, vltra distinctionem virtualem, staret simul etiam obiectiua. Affero secundò, posse intuitiuè videri vnum attributum, altero intuitiuè non viso, & essentiam non visis attributis, & vnam relationem, altera similiter non visa. Constat hæc conclusio ex dictis pro præcedenti. Et confirmatur, quia connexio vnus relationis cum altera, & attributorum inter se, & cum relationibus ad summum tantum infert, cognito intuitiuè, & in se aliquo eorum, cætera forè indirectè, & in alio cognoscenda, sicut cognita directè, & in se creatura, tantum infertur indirectè, & abstractiuè cognoscendam esse omnipotentiam, cui creatura connectitur: ergo, &c.

Data distinctione potest vnum attributum videri altero distincto non viso, & vna relatio non visa altera.

30. Obijcies. Visio intuitiua terminatur ad obiectum sicuti est; essentia autem diuina est idem realiter cum attributis, & relationibus: ergo terminatur ad attributa, & relationes.

tiones. Retorque. Productio terminatur ad Filiationem sicuti est; Filiatio autem est idem realiter cum essentia: ergo terminatur ad essentiam. *Respondeo* igitur distinguens maiorem, terminatur ad obiectum sicuti est adæquatè, nego: in adæquatè, concedo; & concessâ minori, nego consequentiam. Quia licet essentia sit idem realiter cum relationibus, & attributis; est tamen ab illis virtualiter distincta: sicut ergo virtualis distinctio inter essentiam, & filiationem, sufficiens est, ut productio ad filiationem terminata terminetur ad essentiam; similiter distinctio virtualis essentiæ ab attributis, & relationibus, sufficiens est, ut visio intuitivè ad essentiam terminata, non ita ad relationes, & attributa terminetur. Quæ omnia dicta sint, stante distinctione virtuali inter essentiam, & attributa, & attributorum inter se, nam si huiusmodi distinctio non steterit, omnia forent intuitivè videnda, quolibet eorum intuitivè viso.

31. Maior tamen difficultas est, An intuitivè visa essentia, abstractivè saltem, & indirectè, videri debeant attributa, & relationes; idemque est de vna relatione, & attributo respectu essentiæ, vel alterius attributi, & relationis.

Qua ratione cognito vno attributo, aut relatione, aliud cognoscendum sit.

32. Affero tertio, si attributum, aut relatio videatur, ut connexa cum alio attributo, aut relatione, necessario aliud attributum, aut relationem esse indirectè cognoscendam; secus verò, si non ita videantur. Prima pars probatur, quia res connexa cum alia, nequit ut talis cognosci, quin altera indirectè cognoscatur; cognoscenda enim est, ut respectus essentialis ad illam: ergo si vnum attributum, aut relatio videatur, ut connexa cum alia; ista etiam erit indirectè cognoscenda. Secunda pars probatur, quia res connexa cum altera potest clarè videri, quin ut connexa videatur, ut abunde prosequuti sumus in superioribus; ita autem cognita medium non est, ut terminus cui connectitur adhuc indirectè videatur: ergo.

S E C T I O IV.

An, & quæ creatura in se ipsis possint, & de facto videantur à Beatis.

33. **C**reaturæ tam possibiles, quàm existentes, præter Critæ, aut futuræ, duobus modis videri dicuntur à Beatis. Primò formaliter, quando per ipsam visionem exprimuntur. Secundò causaliter, quando non per ipsam visionem, sed per cognitionem ab ipsa distinctam representantur.

Quid sit videri formaliter, quid causaliter.

34. Affero primò, posse Beatos videre formaliter aliquas creaturas possibiles in se ipsis. Conclusio est communis, & probatur. Quia creaturæ possibiles habent propriam veritatem, quia in se ipsis cognosci possunt, & de facto à Deo, & Christo, & à nobis cognoscuntur: ergo poterit visio beata ad illas in se ipsis terminari; An autem de facto creaturæ possibiles ad proprium statum pertinentes videantur formaliter à beatis in se ipsis, res est mihi dubia, nam ad perfectam beatitudinem, satis est, si formaliter in Verbo videantur; aliunde nulla vrget ratio, vel authoritas Patrum: ergo, &c.

Possunt Beati aliquas creaturas possibiles in se ipsis formaliter videre.

35. Affero secundò, Beatos posse videre formaliter omnia possibilium in se ipsis. Dixi *posse*, quia necessarium non esse ea omnia videre in se ipsis, certum est; nam vnum, vel plura possibilium non cogunt ad cognitionem cæterorum in se ipsis. Probatur conclusio, quia ex nullo capite implicat talis visio: ergo est possibilis. Antecedens constabit obiectio- num solutione, qua nostra firmabitur conclusio. *Confirmatur.* Nam animæ Christi Domini de facto conceditur visio omnium possibilium, vel saltem scientia infusa eorum; quælibet autem implicantia, quæ ab Aduersariis assignari potest contra visionem omnium possibilium, militat contra scientiam eorundem: ergo cum ista possibilis sit, etiam erit visio.

Imò & omnia possibilium.

Nec inde
visio esset
comprehen-
sio Dei.

36. Obijcies primò. Si possibilis esset visio clarè, & distinctè attingens omnia possibilìa, etiã esset possibilis clarè, & distinctè attingens omnes eminentias omnipotentiæ: id autem implicat: ergo, &c. Minor probatur, quia huiusmodi cognitio esset comprehensiva omnipotentia. Huius argumenti solutio constat ex dictis de comprehensione, ubi ostendimus ad comprehensionem alicuius obiecti, satis non esse cognosci clarè, & distinctè omnia quæ sunt in obiecto, sed ulterius opus esse tanta perfectione attingi, quantum obiectum cognoscibile est.

Nec simpli-
citer infini-
ta.

37. Obijcies secundò. Ea visio foret infinita; id implicat: ergo. Maior probatur, quia cognoscere duo obiecta maior est perfectio quam vnum tantum cognoscere, & tria, quàm duo; ergo cognoscere infinita obiecta, erit infinita perfectio; visio autem exprimens omnia possibilìa cognosceret infinita obiecta: ergo esset infinita. *Respondeo* negans maiorem. Ad probationem concessio antecedente, nego consequentiam. Nam cognitio licet crescat, cæteris paribus, ex multitudine, aut maiori perfectione obiecti, non tamen crescit arithmetice, & ad æqualitatem cum obiecto, sed geometricè, & intra limites entis creati, & finiti, aliter visio Dei infinita esset, & consequenter impossibilis, quia omne creatum finitum est.

Cognitio
potest esse
respectus
realis ad se
ipsam.

38. Obijcies tertio. Si visio posset omnia possibilìa cognoscere, posset cognoscere se ipsam: id implicat: ergo. Minor probatur, quia cognitio est respectus realis ad obiectum: ergo si visio posset se ipsam repræsentare, posset esse respectus realis ad se ipsam; id autem impossibile est: ergo, &c. Hoc argumentum non probat visionem attingere non posse possibilìa ab ipsa distincta. *Respondeo* igitur concessa maiori, negans minorem. Ad probationem concessio primo Entymemate, & secunda consequentia, nego minorem, nam cognitio attingens qualitatem, aut actum vitalem vt sic, est respectus realis ad se ipsam.

39. Obijcies quartò. Cognitio causatur ab obiecto: ergo si visio posset esse obiectum sui ipsius, quoque posset esse causa sui ipsius. Inprimis falsum est antecedens, deinde illud

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. IV. 635

illud distinguimus, cognitio caufatur ab obiecto distincto, concedo: indistincto, nego; illius enim concursus suppleri possit ab omnipotentia.

40. Obijcies quintò. Visio non potest representare æternam sui durationem, vt posuimus disputatione præcedenti: ergo neque possibilia omnia. *Respondeo*, distinguens antecedens, non potest representare æternam sui durationem, vt futuram, concedo; vt possibilem, nego: nam inconueniens, quod nos inferebamus, eo quod visio æternam sui durationem videret, non sequitur, eo quod videret illam vt possibilem, nam cum possibilitate æternæ durationis stat visionem semel productam, posse destrui, non verò cum futuritione illius per visionem expressa.

Visio representare potest æternam sui durationem possibilem, non verò futuram.

41. Obijcies vltimò. Visio non potest representare cognitionem sui: ergo neque omnia possibilia. Antecedens probatur, quia cognitio visionis est posterior ipsa visione: ergo non potest ab illa representari. *Respondeo* negans antecedens. Ad probationem distinguo antecedens, cognitio visionis existens, est posterior visione, transeat; cognitio possibilis, nego: & nego consequentiam, quia sicut cognitio visionis esset dependens à visione, ita visio esset dependens à cognitione sui reflexa possibili.

Etiā cognitio sui reflexam;

42. Afferò tertio Beatos posse videre formaliter aliqua futura in se ipsis; non tamen omnia. Secunda pars constat ex dictis disputatione præcedenti, sect. 2. vbi ostendimus visionem representare non posse æternam sui durationem. Prima ostenditur, quia nulla apparet implicitantia in eo quod visio beata exprimat aliqua futura, præterita, & existentia, quæ videlicet talia sunt, quando ipsa producitur: ergo id possibile erit.

Pariter quod aliqua futura, non verò omnia.

S E C T I O V.

De visione creaturarum in Verbo.

Aliqua futura videri possunt in Verbo, non omnia.

43. **A**ssero primò, possibile esse Beatos videre in Verbo aliqua futura, non tamen omnia. Secunda pars constat ex dictis, quia visio representare non potest æternam sui durationem futuram. Prima, quia scientia visionis, & decretum sufficiens sunt medium cognoscendi futura; nam eo modo connectuntur cum illis, quo scientia efficax simplicis intelligentiæ cum possibilibus: ergo modo quo ista est medium sufficiens ad videnda in verbo possibilia, erit illa ad videnda futura.

Necesse non est, ut in Verbo omnia possibilia, futura, aut præterita videantur.

44. Assero secundò necesse non esse, ut in Verbo omnia possibilia videantur, & idem est de futuris, præteritis, & existentibus, quamuis omnia videri possint. Probatum, quia licet scientia diuina cum omnibus possibilibus connectatur quoad efficaciam, potest videri scientia, quin in illa cuncta possibilia videantur: ergo necesse non est, ut in verbo omnia possibilia videantur. Antecedens probatum est disputatione præcedenti, sectione prima, ubi ostendimus rem cum pluribus terminis connexam, posse videri, quin omnes termini clarè, & distinctè videantur, & id de facto contingere Beatis in visione clara omnipotentis; eadem autem est ratio pro scientia: ergo, &c.

Beati vident in Verbo aliqua possibilia.

45. Assero tertio. Beatos videre in Verbo aliqua possibilia clarè, & distinctè. Probatum, quia Beati vident de facto in Verbo ea, quæ ad proprium statum pertinent; aliqua autem possibilia pertinent ad proprium statum vniuscuiusque Beati: ergo, &c. Maior est communis inter Doctores, & vnicum fundamentum ad concedendam Beatis visionem aliquorum futurorum, vel existentium. Minor probatur, quia ad vniuscuiusque Beati statum pertinet videre peccata imminencia, à quibus diuina præueniente gratia liberati sunt; ea autem peccata videri non possunt, ut futura,

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. V. 637

tura, aut existentia, cum talia nec sint, nec fuerint: ergo ut possibilis. Maior videtur certa, nam ad eum statum spectat gratiarum actio pro beneficio propriæ prædestinationis, ad quam valde congrua est visio imminentium peccatorum, à quibus diuina misericordia liberati sunt: ergo, &c.

46. Affero quartò, Beatos de facto videre aliqua futura in Verbo. Conclusio est certa. Primò, quia expressè habetur in Concilio Senonensi in Decretis Fidei Decreto 13. his verbis. *Beatis peruium est uniforme illud diuinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit, illucescat.* Secundò, quia Patres eandem conspirant veritatem. Ita Isidorus libro 1. de summo bono cap. 10. *Angeli in Verbo cognouerunt omnia antequam re fierent.* Bernardus lib. 1. de consideratione post initium, de Beato ait. *Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum:* ergo ex mente Patrum Beati vident in Verbo creaturas futuras, & existentes.

Et etiã aliqua futura. Concilium Senonense S. Isidorus. S. Bernardus.

47. Sed rogabis; quænam sint creaturæ, quæ videntur à Beatis in Verbo? Res est ex parte diuinationi exposita, tradam quæ communia sunt inter Patres. Respondeo igitur primò, videre Beatos in Verbo ferè omnia Fidei Mysteria. Et ratio est, quia visio succedit loco fidei; consonum ergo est, ut in Patria videat Beatus Mysteria, quæ credidit in via, nisi specialis obstet ratio, ut in die Iudicij, cuius notitia etiam Angelis negatur à Patribus ex illo Matth. *De die autem illa, & hora, nemo scit, neque Angeli Calorum, nisi solus Pater.* Vide Soarium 3. part. quæst. 10. art. 2. rem eruditè prosequentem; Hæc tamen non ita intelligenda sunt, ut omnia indiuidua Fidei videantur à Beatis, v. g. singulæ hostiæ consecratæ, & singula baptismi sacramenta, sed satis est, quod vnum indiuiduum vniuscuiusque speciei videatur.

Videntur à Beatis in Verbo ferè omnia Fidei mysteria.

48. Respondeo secundò, Beatos videre in Verbo totum vniuersum secundum singulas illius species. Ita S. Thomas hîc, & probatur. Quia Beatus id rationabiliter appetit, estque ipsius vniuersi pars: ergo congruè illi conceditur talis visio. Vnde Beatus videt vtriusque orbis terrestris, & cæ-

Vident totum vniuersum quoad singulas illius species.

lestis structuram, Planetarum influxus, Eclipses, pluias, omnes mundi plagas, & nationes; earumque præcipua stadia, & facultates, longitudinem, latitudinem, & profunditatem maris, & recondita naturæ Mysteria.

Et in illo, 49. Respondeo tertio, in vniuerso Beatos videre in Verbo, ea omnia, quæ ad proprium statum pertinent; Rex, quæ ad ipsius regnum, Episcopus, quæ ad sui Episcopatum, Fundatores Religionum, quæ ad suas pertinent Religiones, &c. & quemlibet Beatum videre seriem suæ prædestinationis, auxilia scilicet, quibus saluus factus est, & preces, quibus pro implorando simili auxilio à viatoribus rogantur.

50. Quæres, An ea omnia videantur formaliter in Verbo, an causaliter. Dixi iam videri formaliter in Verbo, esse videri per ipsummet actum visionis beata. Videri autem causaliter esse videri per actum scientiæ à visione distinctum; immensum esset, singula in indiuiduo recensere. Idcirco ad tria capita referri possunt. *Primum* sit, eorum, quæ sunt natura posteriora ipsa visione, quia ab illa dependent; non verò è contra; huiusmodi est cognitio reflexa ipsius visionis. *Secundum* eorum, quæ visionem comitantur, vt dotes gloriosæ, lumen gloriæ, merita morte, & satisfactione consummata. *Tertium* eorum, quæ sunt visione priora, & ab illa independentia, qualis est maior pars eorum, quæ sectione præcedenti percurrimus.

Placita Doctorum. P. Vasquez. P. Herize. Caietanus. P. Meratius. P. Moncaeus. 51. *Prima* sententia negat aliquam creaturarum cognosci in Verbo formaliter, sed tantum causaliter, ita P. Vasquez hîc disputat. 50. P. Herize disput. 52. capitè 2. & alij. *Secunda*, & communis sententia affirmat. *Tertia* verò docet videri formaliter in Verbo à Beato, eas tantum creaturas, quæ initio suæ beatitudinis existunt, alias verò causaliter. Ita Caietanus 2.2. quæstione 93. articul. 4. ad 2. & 3. part. quæstione 10. articul. 2. P. Meratius disputat. 21. sect. 3. & alij. *Quarta* sententia distinguit inter res initio beatitudinis existentes, & asserit videri formaliter eas, quarum existencia independens est à visione; causaliter verò illas, quarum existencia dependens est. Ita P. Moncaeus, & alij, & fortè hæc est mens authorum tertiæ sententiæ.

52. Affero

Disp. XXIII. *Obiectum visionis.* Sect. V. 639

52. Affero primò, possibilìa quæ videntur à Beatis videri formaliter in Verbo. Probat, quia in Deo stat medium sufficiens ad ea formaliter cognoscenda, vt constat ex dictis; aliunde conformius est Patribus ea ita videri, vix aliam cognitionem creaturarum, quàm in Verbo Beatis concedentibus: propriùs autem videntur in Verbo creaturæ, sibi formaliter, quàm si tantum causaliter videantur: ergo, &c. Minor ostenditur, quia videri creaturam causaliter, non est videri in Verbo tanquam in medio, sed videri actu scientiæ infusæ in se ipsa: ergo non est ita propriè videri in Verbo, ac videri formaliter.

Possibilia videntur formaliter in Verbo.

53. Affero secundò videri formaliter à Beatis in Verbo eas creaturas existentes, præteritas, & futuras, quæ stando communi rerum cursui ita videri possunt. Huius conclusionis probatio est eadem cum præcedenti, nam familiaris Patrum locutio, quantum rerum ordo patiat, in priori sensu accipienda est.

Similiter plura futura, & existètia, non tamen omnia.

54. Hinc colliges primò, creaturas visione posteriores non videri formaliter in Verbo, quia istæ supponunt visionem existentem, & consequenter obiectum illius adæquatum. Idem dicendum est de scientia visionis diuina ipsam visionem exprimente, quia de facto est posterior visione huiusmodi scientia, & consequens ad visionem iam existentem. Collige secundò, creaturas priores, & ipsam visionem comitantes videri formaliter in Verbo, quia stando communi rerum cursui possibile est. Collige tertio, solas illas creaturas videri formaliter in Verbo, vt existentes, præteritas, & futuras, quæ tales sunt initio existentiæ beatitudinis; non verò quæ de nouo existunt; quia cum istæ initio exprimi non potuerint, neque imposterum representari poterunt, cum impossibile prorsus sit, cognitionem creatam tempore sequenti representare obiectum, quod ab initio non exprimit.

Quænam illa sint.



DISPUTATIO XXIV.

De inaequalitate visionum.

Nec omnes
visiones de
facto æqua-
les sunt, nec
inæquales
omnes.



CERTUM ex fide est, de facto dari aliquas visiones inæquales, tum ex Scriptura Lucae 6. *Qua mensura mensi fueritis, remensi tur vobis.* Et 1. ad Corinth. 15. *Alia est claritas solis, alia lune, alia stellarum, & sicut stella à stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Tum ex Florentino sub Eugenio 4. in litteris vnionis, vbi damnatur Iouinianus constituens omnes visiones æquales. Et ratio est, quia præmium visionis respondet meritis; ista autem non sunt in omnibus æqualia: ergo neque visiones illis meritis respondentes æquales erunt, cum præmium merito respondeat. Certum mihi est etiam, non omnes visiones esse inæquales, quod manifestè conuincunt infantes post susceptum baptismum decedentes, & adulti æqualibus omnino meritis morientes; inadæqualitas ergo visionum ex multiplici capite contingere posset. *Primò*, ex parte principij. *Secundò*, ex parte obiecti. *Tertiò*, ex maiori intensiōe. *Quartò*, ex perfectiori modo tendendi in idem obiectum, quæ omnia in sequentibus expendo.

SECTIO I.

An sint possibles, & de facto existentes, visiones inæquales ex parte obiecti.

1. **P**rima sententia asserit impossibiles esse visiones ex parte obiecti inæquales. Ita Salas tract. 2. disput. 7. sect. 7. *Secunda docet* possibles esse, de facto tamen omnes esse æquales. Ita Granadus tract. 5. disput. 8. *Tertia ait*, non solum esse possibles, sed de facto existere. Ita communiter Recentiores cum Herize disput. 49. capit. 3. Inæqualitas visionum ex parte obiecti duplex esse potest. Prima ex parte obiecti materialis, si vna visio plura, vel distincta obiecta materialia attingat, quàm alia. Secunda ex parte obiecti formalis, si plura, vel distincta obiecta formalia representet, siue ea obiecta tam materialia, quàm formalia creata sint, vel increata.

Doctorum mens.
P. Salas.
P. Granadus,
P. Herize.

3. Affero primò possibles esse visiones inæquales ex parte obiecti materialis, tam increati, quàm creati. Probat, quia possibilis est visio Dei simul, & creaturæ; alia solius Dei quoad essentialia, utpotè inconnexi cum omni libero, & creato; alia Dei simul, & actus liberi diuini; alia vnus creaturæ; alia plurium, & aliarum; nec vlla in hisce visionibus assignabilis videtur contradictio, cum inter obiecta creata stet realis distinctio, & inconnexio, saltem plurium, & inter obiecta increata necessaria, & libera, vltra distinctionem virtualem intrinsecam, stet simul etiam obiectiua, vt ostendimus disput. 7. sect. 7. fine: ergo, &c. Si autem inæqualitas obiectorum materialium specifica sit; visiones quoque erunt specie distinctæ. Nam vt ostendi in libris de Anima, actus discriminantur specie ab obiectis materialibus specie diuersis; si verò inæqualitas obiectorum materialium sit intra eandem speciem, quoque visiones ex parte obiecti inæquales erunt intra eandem speciem.

Possibles sunt visiones inæquales ex parte obiecti materialis creati, & increati.

4. Affero secundò, possibles quoque esse visiones ex parte

Etiā ex parte obiecti formalis tam creati, quā increati.

Ex parte obiecti creati, tam formalis, quā materialis, de facto sūt visiones inæquales.

Etiā ex parte increati si inter scientias visionis sūt distinctio obiectiua,

obiecti formalis, tam creati, quā increati inæquales. Probatur, quia nulla apparet implicantiā in eo quod vnaquæque prædictarum visionum attingat suum obiectum materiale, propter propriam illius veritatem; imò id conformius est visionis intuitiue; vt sic enim immediatius attingitur obiectum materiale, quā si attingatur propter aliud; obiecta autem materialia, eorumque propriæ veritates diuersæ sunt: ergo & formalia. Nec video quid implicet visio attingens attributa propter se ipsa, & alia attingens eadem attributa propter essentiam.

5. Affero tertio, de facto existere aliquas visiones ex parte obiecti creati, tam formalis, quā materialis inæquales. Probatur. Nam de facto, licet vnus Beatus plura possibilia non videret in Verbo, quā alter; videt tamen plura ex diuersitate meritorum, & proprii status; huiusmodi autem visionis inæquales sunt, non solum ex parte obiecti materialis creati, sed etiam formalis, nam ea omnia obiecta licet de facto attingantur in Verbo, in scientia scilicet libera, & decreto, id tamen non obstat, quominus attingantur propter propriam veritatem; cognitio enim in alio, v. g. causæ in effectu, nec arguit causam attingi propter effectum tanquam motiuum; nec impedit attingi causam propter propriam veritatem in alio, sed attingi propter propriam veritatem in se.

6. Affero quarto de facto etiam existere plures visiones ex parte obiecti increati, tam materialis, quā formalis, inæquales si inter scientias stet distinctio obiectiua. Constat hæc conclusio ex præcedenti, nam visiones inæqualia attingentes futura, attingunt illa in Verbo: ergo attingunt diuersas scientias diuinas: ergo & diuersa obiecta materialia increata. Aliunde attingunt eas scientias propter propriam vniuscuiusque veritatem: ergo attingunt propter diuersa motiua increata. An autem respectu creaturarum possibilium existant de facto visiones inæquales ex parte obiecti? Affirmatiua pars mihi verior est, quia in omnipotentia quoad efficaciam necesse non est attingi omnia possibilia; atque adeo non est vnde negetur

Disp. XXIV. *Inæqualitas visionum.* Sect. I. 643

getur vnum Beatum plura videre possibile, quàm alterum.

7. Affero quintò, respectu obiecti increati necessarij non existere de facto visiones inæquales ex parte obiecti. Ratio est, quia omnes Beati vident diuinas omnes perfectiones necessarias: ergo diuersitas visionum existentium circa obiecta increata necessaria non se tenet ex parte obiecti.

Ex parte obiecti increati necessarij nõ stat de facto inæqualitas visionum.

8. Difficultas tamen est non leuis, vnde physicè proueniat inæqualitas visionum extensiuæ ex parte obiecti. Dixi *physicè*, quia moraliter oriri ex inæqualitate meritorum nulli dubium est. *Prima* sententia ait, eam inæqualitatem oriri à lumine gloriæ. Ita Moncæus, Albelda, & alij apud Mendozam de Incarnat. disputat. 54. sect. 8. subsect. 3. §. 153. *Secunda* sententia docet, prouenire à determinatiuo, siue concursu ex parte obiecti. Ita Molina, Vasquez, Herize, & alij apud citatum Mendozam.

P. Moncæus.
Albelda.
P. Molina.
P. Vasquez.
P. Herize.

9. Affero sextò, eam inæqualitatem non prouenire à lumine gloriæ, sed à determinatiuo ex parte obiecti. *Prima* pars probatur, quia lumen de se indifferens est ad visiones distinctorum obiectorum, sicut & cæteri habitus infusi: ergo quod existat visio plura, vel pauciora obiecta representans, non prouenit à lumine, sicut non prouenit ab habitu charitatis, quod existat potius actus attingens plures bonitates, quàm pauciores. Nec dicas vni Beato concedi lumen magis extensum ex parte obiecti, quàm alteri propter inæqualia ipsorum merita, quia licet habitus charitatis, & aliæ virtutes morales supernaturales propter merita donentur à Deo; omnibus tamen conceduntur cum æquali extensione ex parte obiecti, etiamsi merita sint inæqualia: ergo idem erit de lumine gloriæ.

Inæqualitas visionum ex parte obiecti, non à lumine, sed à determinatiuo ex parte obiecti oritur.

10. *Secunda* pars probatur, quia hoc discrimen interiacet inter potentiam & obiectum, quod potentia concurrere potest ad cognitiones diuersorum obiectorum; obiectum verò ad sui tantum cognitionem, siue concursus sit efficiens, siue tantum per modum applicationis: ergo quod existat visio huius obiecti præ alio, physicè prouenit ex eo

quod

quod hoc obiectum præ alio concurrat. *Confirmatur.* In naturalibus, quod existat cognitio huius obiecti præ alio, provenit à specie impressa, nam concurrente ista, sola sui obiecti cognitio generari potest: ergo quando obiectum per se ipsum concurrat, ab illo provenit, quod existat visio huius obiecti præ alio. Si autem iterum inquiras, vnde proveniat, quod vnum obiectum præ alio in actu secundo concurrat. Respondeo id provenire, vel à diuina voluntate applicante omnipotentiam, vel ab excitatione speciei determinante potentiam; vtraque enim connexa est cum actione producendæ cognitionis.

S E C T I O II.

De inæqualitate visionum ex parte principij.

11. **D**ifficultas est *prima*, An à potentiis inæqualibus in perfectione, v. g. Angelica, & humana oriri possint cum æquali lumine visiones inæquales in perfectione, quarum vna sit substantialiter melior, & perfectior altera. *Secunda*, An possint oriri æquales. *Tertia*, An de facto æquales, vel inæquales orientur pro diuersitate, & æqualitate potentiarum.

Judicium
 Doctorum.
 Durandus.
 P. Molina.
 P. Soarius.
 P. Vasquez.
 P. Valentia.
 F. Granadus.
 P. Paludanus.
 P. Herize.
 P. Ripalda.

12. *Prima* sententia docet visiones procedentes ab intellectu Angelico, & humano, esse eiusdem speciei. Ita Durandus, Molina, Soarius, Vasquez, Valentia, Granadus, & alij apud Ripaldam tom. 2. de Ente superno disput. 36. sect. 1. *Secunda* sententia tuetur visiones ab inæqualibus potentiis procedentes, esse inæquales pro diuersitate potentiarum. Ita Paludanus, Herize, & alij apud eundem Ripaldam. *Tertia* sententia ait visiones procedentes à potentiis specie distinctis esse diuersæ speciei de facto, licet possibiles sint eiusdem speciei. Ita citatus Ripalda.

13. Difficultas procedit ex suppositione, quod actus vitales modi non sint etiam respectu potentiæ, nam si tales essent, extra dubium est, non posse à potentiis specie diuersis,

Disp. XXIV. Inæqualitas visionum. Sect. II. 645

uerlis, modos eiusdem speciei procedere, sicut de actionibus fatentur omnes. Agitur ergo controuersia de qualitate vitali ab actione distincta.

14. Affero primò cum communi sententia, à potentiis specie distinctis oriri posse visiones eiusdem speciei. Probatur. Possibilis est visio Angelica de se indifferens, ut oriatur ab homine, & visio humana de se indifferens, ut oriatur ab Angelo; huiusmodi autem visiones essent eiusdem speciei; supponimus enim ex parte obiecti, aut modo tendendi non esse specie distinctas: ergo à potentiis specie distinctis oriri possunt visiones eiusdem speciei. Minor est certa, nam ut visio Angelica, & humana distinguantur ratione potentia, opus est, ut visio Angelica ita oriatur ab Angelo, ut illi ab homine oriri repugnet, & visio humana ita oriatur ab homine, ut illi repugnet oriri ab Angelo: ergo si vnaquæque sit indifferens, ut ab Angelo, vel ab homine procedat, nullum stabit fundamentum ad eas specie distinguendas, cum tota distinctio in præsentia à potentiis distinctis haurienda sit. Maior ergo in qua est difficultas probatur. Tum quia nulla apparet implicancia, quod eadem visio indifferens sit, ut ab homine, vel ab Angelo procedat, sicut indifferens est, ut à lumine intrinseco, vel extrinseco oriatur. Tum etiam, quia eadem intellectio procedere potest à sola anima, & ab illa simul, & potentia superaddita, & idem actus contritionis procedere potest ab auxilio intrinseco in peccatore, & à gratia sanctificante in iusto; & idem actus Fidei oriri potest ab habitu fidei in homine fideli, & à solo auxilio in hæretico ad fidem reuertente. Tum denique, quia innumeri effectus eiusdem speciei oriuntur à potentiis specie distinctis; eiusdem enim speciei est calor solis, & ignis, sensatio leonis; & equi, & fortè etiam hominis: ergo, &c.

15. Affero secundò, possibles esse visiones specie distinctas, ex præcisa distinctione potentiarum specifica. Probatur, quia nulla est repugnantia in possibilitate alicuius visionis, ita natura sua exigentis ab Angelo procedere,

A potentiis
specie distinctis
oriri
possunt
visiones
eiusdem
speciei.

Et visiones
etiam diuersæ
speciei.

dere, vt penitus illi repugnet ab homine prodire, & alterius ita natura sua exigentis ab homine procedere, vt penitus illi repugnet ab Angelo produci; huiusmodi autem visiones discriminantur specie ex præcisa distinctione potentiarum specifica, sicut cognitiones repræsentantes obiecta specie diuersa distinguuntur specie ex præcisa obiectorum distinctione: ergo.

16. Dices, lumen Angelicum, & humanum non posse distingui specie pro sola potentiarum diuersitate: ergo neque visio Angelica, & humana. Nego antecedens, quia possibile iudico lumen ita exigens Angelo inhære, vt illi repugnet potentia humanæ inhære, quia in hoc nulla cernitur implicancia, sine qua potentia Dei absolutæ possibilitas alicuius effectus negari non potest.

De facto autem visiones ratione potentiarum inæquales non sunt.

17. An autem de facto visio Angelica, & humana specie differant pro potentiarum distinctione? Pars negatiua est mihi longè probabilior, quia conformior est communi rerum concursui, in quo cernimus effectus à diuersis specie potentiis prodeutes, esse eiusdem speciei, & de se indifferentes, vt qui ab vna potentia modo oritur, naturaliter eodem pacto ab alia prodire potuisset, vt conuincunt exempla pro primo asserto à nobis adducta. *Confirmatur.* Lumen Angelicum, etiamsi possit esse specie distinctum ab humano, tamen de facto est eiusdem speciei: ergo etiamsi visio Angelica possit ratione potentia distingui specie ab humana, de facto tamen minimè distinguetur.

Possunt tamen ratione potentiarum inæquales euadere.

18. Ex dictis collige, possibles esse visiones inæquales pro inæqualitate potentiarum; de facto tamen non esse. Dixi *inæquales*, id est, quarum vna sit substantialiter altera melior, ad quod satis non est distingui specie, vt patet in relationibus diuinis, quæ licet specie distinguantur; inæquales tamen non sunt in perfectione; ad id enim ultra specificam distinctionem (si hæc necessaria sit) opus est, vt vna visio sit maioris æstimationis, & perfectionis substantialis, quàm altera.

Secunda

Disp. XXIV. *Inæqualitas visionum.* Sect. II. 647

19. *Secunda pars* probatur, quia si de facto ex præcisa inæqualitate potentiarum inæquales visiones orirentur, maius præmium cum æqualibus meritis fortiretur melior, & perfectior intellectus, quàm minus perfectus: id autem falsum est: ergo, &c. Maior probatur, nam de facto Deus compensat merita intensione majori, vel minori visionis, iuxta mensuram intensiōis meritorum; unde æqualibus meritis æqualis correspondet gloria: ergo si aliunde ratione perfectioris potentiae visio melior, & perfectior oriretur, inæquale præmium æqualibus meritis responderet, cum responderet præmium ratione potentiae, quæ meritum non est. *Prima pars* ostenditur, quia possibilis est visio ita ab Angelo procedens secundum perfectionem, qua superat hominem, ut repugnet illi ab homine produci, huiusmodi autem visio necessariò esset inæqualis ratione inæqualis potentiae à qua determinatè exigit oriri, sicut cæteris paribus, cognitiones inæqualium obiectorum inæquales sunt, quia utraque æquale obiectum attingere non potest: ergo, &c.

20. Idem dicendum iudico de actionibus visionum productivis, quia licet istæ ex diuersitate specifica potentiarum omnes orirentur specie distinctæ; possent aliq̄æ esse inæquales, quæ scilicet orirentur ab Angelo secundum perfectionem, qua hominem superat; & aliæ æquales secundum perfectionem homini æqualem: ergo sicut de facto visiones inæquales non sunt ex præcisa inæqualitate potentiae; ita nec actiones. Aliter maius præmium æqualibus meritis responderet, quod dici non licet.

Idem, quod de qualitate visionis, dicendum de actione.

SECTIO III.

Soluntur obiectiones.

Quomodo 21. **O**bjicies primò. Deus non præstat concursum præstat Deus concursu ad visionem. ad visionem iuxta exigentiam intellectus creati, sed luminis: ergo cum æquali lumine non poterunt ab inæqualibus potentiis inæquales oriri visiones. *Respondeo*, Deum præstare concursum iuxta exigentiam luminis, & capacitatem potentia; unde si potentia inæquales sint, præparare poterit Deus concursum ad visiones inæquales.

Excessus vi 22. **O**bjicies secundò. Si aliqua visio Angelica posset sionis ex parte potentia non adscribendus soli natura. esse perfectior, pro maiori perfectione Angeli, & intellectus, excessus ille perfectionis referendus esset in naturam, & non in gratiam luminis, cum æquale esset; id autem dici non potest: ergo, &c. *Respondeo*, excessum illum non esse referendum in naturam suis viribus relictam, sed adiutam, & eleuatam gratia luminis, quod absurdum non est; quod autem lumen sit æquale, nihil obstat, quia perfectior visio non oriretur à solo illo, sed ab aggregato ex lumine, & intellectu Angelico, quod cum perfectius esset, potens quoque esset nobiliorem visionem generare.

visio vtram- 23. **O**bjicies tertio, respectus essentialis ad potentias specie distinctas, distinguuntur specie; tales sunt visio que potentiam respicit, Angelicam, & humanam. Angelica, & humana: ergo distinguuntur specie. Minor probatur, quia visio Angelica est respectus essentialis ad Angelum, humana vero ad hominem, qui specie ab Angelo distinguitur: ergo, &c. *Respondeo*, concessa majori, negans minorem. Ad probationem distinguo antecedens, visio Angelica est respectus essentialis ad solum Angelum, & humana ad solum hominem, nego: ad Angelum simul, & hominem, concedo: & nego consequenti. Quia cum vtraque visio vtramque potentiam

Disp. XXIV. *Inæqualitas vision.* Sect. III. 649

tiam respiciat, humanam videlicet, & simul Angelicam, nihil habet vna ex parte potentia, quo ab altera specie distinguatur.

24. Obijcies quartò. Cognitiones naturales Angeli, & hominis specie distinguuntur; non ex alio capite, nisi quia cognitio Angelica determinatè respicit Angelum, & humana hominem: ergo idem erit de visionibus. *Respondeo*, concessa maiori, & permessa minori, negans consequentiam. Ratio est, quia de facto Angelus, & homo, in naturalibus cognoscunt iuxta perfectionem potentia, quæ cum maior sit Angeli, quàm hominis, etiam maior est perfectio cognitionis Angelicæ, quàm humanæ. In supernaturalibus autem de facto operationes oriuntur iuxta perfectionem principij superni, quòd cum eiusdem speciei sit in Angelo, & homine, inde visiones supernaturales amborum eiusdem speciei oriuntur.

Discrimè inter cognitiones naturales, & supernas.

25. Instabis. Actus fidei humani, & Angelici distinguuntur specie pro diuersitate potentiarum: ergo & visiones. Antecedens probatur. Quia actus Fidei humani pendent à fantasmatibus; non verò Angelici. *Respondeo*, actus fidei supernaturales humanos pendere per accidens à fantasmatibus, quod non sufficit ad eos specie distinguendos ab Angelicis; nam isti fieri possent in homine cum ea dependentia, quod si per se dependerent, id visioni non competeret; atque adeo etiam si actus fidei humani, & Angelici specie distinguerentur, non tamen visiones.

26. Obijcies quartò, cum instrumento perfectiori semper producit cognitio perfectior, sic cum specie perfectiori impressa, non potest non fieri cognitio perfectior, cæteris paribus; intellectus autem est instrumentum respectu visionis, imò de facto non semel id præstat: ergo pariter melior intellectus producere poterit, & de facto producit visiones perfectiores. *Respondeo*, distinguens maiorem, cum instrumento perfectiori determinato ad vnam specie cognitionem, si talis sit species, transeat: indifferente ad plures specie cognitiones, qualis est intellectus,

Cum instrumento perfectiori non sit necessarium cognitio perfectior.

tellectus, nego: & nego consequentiam, quia ab instrumento indifferenti oriri possunt visiones similiter dissimiles, aut inæquales, aliter visio humanitatis Christi imperfectior oriretur visione Angeli.

Discrimē inter voluntatem, & intellectum.

27. Obijcies sextò. Melior voluntas cum æquali habitu superno producere potest perfectiores, aut intensiores actus spei, & charitatis, imò de facto non semel id contingit: ergo pariter melior intellectus cum æquali lumine producere poterit, & de facto producit visiones perfectiores. *Respondeo*, concessio antecedenti, negans consequentiam de facto. Discrimen est, quia voluntas titulo libertatis eligere potest actum perfectiorem, & intensiorem; intellectus autem cum liber non sit ad agendam visionem, neque in manu illius est eligere nobiliorem præ ignobiliori, sed illam, quam taxat Deus præeuntibus meritis. Deus autem de facto pro diuersitate potentia, sicut taxauit inæqualia lumina, ita neque visiones.

Difficilior cōtra æqualitatem actionum à potentiis inæqualibus.

28. Obijcies vltimò, contra id quod diximus, videlicet, actiones Angelicas, & humanas circa visionem posse esse æquales. Potentia respicientes actiones inæquales necessariò debent esse inæqualis perfectionis: ergo & actiones respicientes potentias inæquales, erunt necessariò perfectionis inæqualis. *Confirmatur*, eminentia à qua specificatur actio quælibet Angelica, est inæqualis cum eminentia, à qua actio quælibet humana specificatur: ergo & actiones erunt inæquales, cum ad id aliud non desideretur, quàm specificatiua inæqualia. *Respondeo*, concessio antecedenti, negans consequentiam. Ratio est, quia vt vna potentia superet perfectione alteram, opus non est, vt omnes illius eminentia meliores sint eminentiis alterius, sed satis est, quod aliqua eminentia superet perfectione omnes eminentias alterius; eo autem ipso, quod respiciant actiones inæquales, reperitur in vna potentia eminentia superans omnes perfectiones alterius, scilicet eminentia productiua actionis nobilioris; vt vna autem actio sit ex parte principij inæqualis alteri, opus est, vt eminentia à quibus vtraque specificatur sint inæquales, cum
autem

Disparitas inter potentias & actiones.

Disp. XXIV. Inæqualitas vision. Sect. III. 651

autem in potentiis inæqualibus possint plures eminentiæ æquales reperiri, inde & actiones æquales oriri possunt. Vnde patet ad confirmationem.

29. Instabis iterum. Quamuis hæc vera essent formaliter, non tamen materialiter, quia actiones illæ, saltem materialiter, specificarentur à suis potentiis adæquatis: ergo actio Angelica specificaretur ab Angelo, etiam secundum eminentiam, qua hominem superat: ergo esset etiam materialiter inæqualis, & perfectior. *Respondeo* specificationem materialem non augere perfectionem actionis, nec illam minuere, aliter omnes actiones Angeli, vel hominis essent materialiter æquales ex parte principij, cum à toto illo materialiter specificarentur, quod falsum est.

Specificati-
vum mate-
riale nõ red-
dit actiones
inæquales.

30. Instabis iterum. Diverfitas specifica hominis, & Angeli sufficiens est, vt omnes actiones Angelicæ sint specie distinctæ ab humanis: ergo & inæqualitas earundem sufficiens erit, vt omnes actiones Angeli oriantur inæquales ab actionibus humanis. *Respondeo*, concessio antecedente, negans consequentiam, quia eminentiæ Angeli distinguuntur specie ab eminentiis hominis; non verò omnes sunt inæquales. Si autem instes, cur omnes sint specie distinctæ, & non inæquales. *Respondeo*, quia ad distinctionem specificam satis est nobilis distantia, qualis reperitur inter omnes eminentias Angeli, & hominis; Ad inæqualitatem verò vltterius requiritur, quod omnes Angeli eminentiæ meliores sit eminentiis hominis, ad quod asserendum nullo solido cogimur fundamento.

Cur diversi-
tas potentia-
rum sufficiat
distinctioni
actionum, &
non inæqua-
litati.

31. Addo primò. Hoc discrimen esse inter causam, & effectum, quod causa tribuit actioni, quantam perfectionem in se habet actio; atque adeo causa debet eam continere; actio verò non accipit quantam perfectionem in se habet causa, cum non accipiat perfectionem termini, nec alterius actionis; vnde licet causa perfectioris actionis debeat esse perfectior, non tamen actio perfectioris causæ debet esse nobilior. Addo secundò, forte non omnes eminentias Angeli esse specie distinctas ab eminentiis hominis; quo concurrat totum ar-
gumentum,

Discrimen
ter causam
& effectum.

gumentum, sed eas tantum, quibus Angelus notabiliter ab homine distat.

S E C T I O I V .

De inaequalitate visionum ex maiori intensione, & modo tendendi.

Perfectio
substantialis,
& intensiva
quid differant.

32. **P**erfectio substantialis visionis hoc differt ab intensiva, quod illa est de intrinseco cognitionis constitutio, & prorsus inamissibilis; ista verò est accidentaliter, & amissibilis, nam cognitio, quæ modo intensa est, ut quatuor, potest augeri, vel remitti; quæ verò semel est substantialiter alia melior, deteriorari non potest, nec deterior meliorari.

Visiones intensivæ inaequales possibiles sunt, & de facto existentes.

33. Affero primò possibiles esse visiones in intensione inaequales, & de facto existentes. Prima pars nemini dubia est, admissa intensione qualitatum etiam vitalium. Secunda probatur, quia de facto Deus compensat merita Iustorum intensione visionis: ergo cum existant merita inaequalia, quoque existet inaequalitas visionum intensiva. *Confirmatur.* De facto habitus luminis gloriæ sunt inaequales in intensione iuxta proportionem meritum: ergo & visiones.

Inaequalitas intensiva visionis oritur à lumine.

34. Affero secundò, inaequalitatem intensivam visionis oriri ab inaequalitate luminis. Probatur, quia non est unde ea visionis intensio physicè oriatur, nisi ab intensione luminis; nam species impressa Dei non stat de facto, & quamvis existeret, munus illius non est commensurare intensivam actûs, sed extensionem ad objecta; idcirco dicitur determinativum ex parte objecti; Deus autem nullam habet in se intensivam formaliter; eminenter autem est indifferens ad innumeras intensiones: ergo quod hæc potius quàm alia physicè oriatur, non provenit ab omnipotentia; recurrere autem ad solam divi-
nam

nam voluntatem, stante causa secunda, philosophicum non est: ergo, &c.

35. Affero tertio, possibiles esse visiones inæquales ex modo tendendi, & de facto existentes. Prima pars est certa, quid enim implicat vna visio clarius, & perspicacius attingens Deum, quàm alia. Secunda probatur, nam vt posuimus sectione prima, aliqui beati vident Deum nobiliori cognitione, & clariori, quàm alij, cum proportionatum sit præmium meritis excellentioribus.

36. Maior tamen difficultas est; vnde hic diuersus tendendi modus oriatur, nam omnipotentia est à se indifferens ad omnes visiones, similiter lumen, species impressa non stat, & quamuis existeret, posset etiam determinare ad visionem clariorem. Respondeo ergo, id prouenire moraliter ex meritis, physicè verò à Diuina voluntate applicante omnipotentiam ad visionem clariorem, quia non est assignabilis causa secunda, vnde talis effectus physicè oriatur.



DISPVATIO VLTIMA

De perfectionibus visionis beatae.

1. **N**OMINE perfectionis comprehendendo omnes illas, quæ propriæ sunt visionis beatae; Aliæ autem, quæ statum beatificum commitantur, apud authores videri poterunt.

S E C T I O I.

An visio beata sit species expressa seu similitudo formalis Dei.

- Species impressa quid differat ab expressa.
2. Species impressa hoc differat ab expressa, quod impressa est tantum virtualis representatio obiecti, quatenus scilicet potentiam intelligentem determinat ad formalem representationem: species verò expressa est ipsa formalis obiecti representatio. Quærimus ergo, An visio beata sit formalis similitudo, seu representatio Dei. Negant Thomistæ cum Caietano, Bañez, Nazario, & multis aliis, quos refert, & sequitur Theologus Discalceatus disp. 2. dub. 1. §. 3. Affirmant alij.
3. Afferendum tamen est, visionem beatam esse speciem expressam, & similitudinem Dei formalem. Probatur primò ex 1. Ioan. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*: ergo visio beata est similitudo Dei, non obiectiua, cum non se teneat ex parte rei cognitæ: ergo formalis. Affirmat Augustinus lib. 14. de Trinitate cap. 12. his verbis. *Tunc perfecta erit similitudo, quando Dei perfecta erit visio*, de qua dicit Apostolus, *cum apparuerit similes ei erimus, &c.* Idem S. Thomas firmat sectione sequente adducendus pro verbo mentis, nam eodem pacto loquitur de specie expressa, & hanc esse illius mentem testatur Ferrara 1. cont. Gent. cap. 53. Idque approbant in via S. Thomæ, Sylvester in conflato quæst. 12. art. 2. Canariensis 1. part. quæst. 27. art. 1. disp. 5. Ledesma de perfectione Dei quæst. 8. art. 6. conclusionem 1. Capreolus in 1. dist. 27. qu. 2. art. 2. & 3. & in 4. dist. 49. qu. 5. ubi ait S. Thomam magis in nostram partem inclinare.
4. Probatur secundò. Tunc vna res est formaliter alteri similis, quando talis est vna formaliter, qualis alia; visio autem beata talis est intensionaliter, qualis Deus: ergo est species expressa, seu similitudo intentionalis Dei. Minor
- Visio beata est species expressa & similitudo formalis Dei S. Augustin. S. Thomas. Ferrara. Sylvester. Canariensis. Ledesma Capreolus.
- In quo stet formalis similitudo.

nor probatur, nam vt aliqua cognitio talis sit intentiona-
liter, quale est obiectum, satis est, vt cognoscat obiectum
provt est in se; inde cognitio naturalis est imago sui ob-
iecti, & species expressa illius; visio autem beata cognos-
cit Deum provt est in se: ergo, &c.

5. Confirmatur *primò*. Formalis repræsentatio est forma-
lis similitudo rei, cuius est repræsentatio, vt in cognitione
naturali fatentur Aduersarij; visio autem beata est forma-
lis repræsentatio Dei, eiusque bonitatis, aliter voluntas
Beati ex visione clara Dei moueri non posset ad amorem
illius, vt potè pendentem essentialiter à repræsentatione
obiecti: ergo visio beata est formalis similitudo Dei. *Secun-
dò*, visio beata talis est, vt ducat nos in cognitionem Dei,
provt est in se; id autem præstare non potest alio titulo,
quàm similitudinis obiecti, vt patet in cognitione natura-
li: ergo est similitudo obiecti. *Tertiò*, cognitio naturalis ob-
iecti est naturalis similitudo illius: ergo cognitio superna
intuitiua Dei erit similitudo superna illius.

6. Probatur *tertiò*. Si visio beata non esset similitudo Dei,
maximè, quia deberet esse eiusdem rationis cum obiecto;
id falsum est, nam similitudo, siue cognitio naturalis sub-
stantiæ, substantia non est: ergo neque similitudo Dei de-
bet esse Deus. Videas quæ diximus de specie impressa, nam
eadem pro ista conclusione militant argumenta. Pariter
quæ nobis hîc obijci possent, tum ratione, tum authorita-
te Sancti Thomæ, ibidem à nobis soluta sunt.

Formalis si-
militudo nõ
debet esse
eiusdem ra-
tionis cum
obiecto.

SECTIO II.

*An visio beata sit similitudo obiectiua, seu
verbum mentis.*

7. **H**Oc differt Verbum mentale creatum à vocali,
quod isto, loquimur aliis manifestando illis ob-
iecta, mentali autem quis sibi loquitur, non aliis, quia per

Discrimè in-
ter Verbum
mentale, &
vocale.

Verbum mentale non aliis, sed ipsi cognoscenti manifestatur obiectum. Negant communiter Thomistæ quos refert, & sequitur Discalceatus disputat. 2. dubitat. 9. §. 3. Ad ditque nec possibile esse produci Verbum repræsentans Deum per essentiam. Affirmant nostri, & communiter omnes alij, non solum de facto visionem esse Verbum mentis, sed implicare non esse Verbum mentis.

Visio beata
Verbum est.
S. Augustin.
S. Thomas.

8. Affero primò visionem beatam esse Verbum. Probatur primò. Nam Augustinus de Trinitate c. 16. visionem appellat Verbum. *Tunc, inquit, Verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque falleremur.* Et S. Thomas 1. part. quæst. 26. artic. 1. *Quicumque intelligit ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectus proueniens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur Verbum cordis.* Vbi vniuersaliter docet, quemcumque intelligentem producere Verbum, & infert Patrem æternum illud producere, quæ illatio vera non esset, si antecedens non esset vniuersaliter verum. *Confirmatur.* Nam S. Doctor omni alteri cognitioni, etiam illi, qua se ipsum Angelus intuetur, concedit esse speciem expressam, & Verbum. Et rationem reddit 4. cont. Gent. cap. 11. *Quia in Angelis non est idem esse, ac intelligere: ergo cum in Beatis non sit idem esse ipsorum, & videre Deum, concedenda est visioni beatæ species expressa, & Verbum mentis.*

Præclusum
Discalceati
effugium.

9. Nec placet effugium Discalceati, loquutum Sanctum Thomam de cognitione naturali, in qua produci- tur verbum; nam Sanctus Doctor ait, quemcumque intelligentem, ex hoc ipso, quod intelligat producere verbum; non autem ait ex hoc ipso quod naturaliter intelligat, hoc enim suppositum est à Thomistis generali illi Doctrinæ Sancti Thomæ; Beatus autem per visionem verè intelligit Deum; ergo & produci- tur verbum. Quæ nostra Doctrina ex plana mente S. Thomæ sequitur ex vi formæ.

Visio verbū
est mentis,
& cur.

10. Probatur secundò ratione. Nam verbum mentis nihil est aliud, quam formalis similitudo, seu repræsentatio

tatio obiecti ab intellectu producta; vnde Verbum dici solet terminus per intellectum productus; talis autem est visio beata: ergo & Verbum mentis. Minor probatur, quia in primis visio beata est formalis similitudo, & representatio obiecti, vt ostendimus sectione præcedenti, deinde est ab intellectu producta, cum visio beata nec sit improducta, nec à se, & titulo vitalitatis sit ab intellectu, tanquam à principio vitali se mouente per actionem, & non merè passiuè se habente, vt de causa visionem efficiente ostendimus supra: ergo, &c.

11. Dices, actionem intelligendi non esse effectiuam, sed intellectiuam, quæ nihil producit. *Contra* tamen, quia omnis intellectio est ab intelligente tanquam à causa efficiente: ergo reperitur vera actio effectiua, & consequenter terminus productus. *Confirmatur.* In sententia Thomistarum lumen est tota ratio agendi visionem: ergo in visione intercedit vera actio effectiua fluens immediatè à Deo, & lumine: ergo aliquid est productum per eam actionem saltem vt *quod* ab intellectu; intelligi enim non potest actio causæ efficientis, seu producentis, quin intelligatur terminus productus, sicut intelligi non valet vnio absque termino vnito, nec actio intellectiua absque obiecto cognito.

12. Obijcies primò. Verbum mentis, est imago seu similitudo obiecta, in qua cognita cognoscitur obiectum; in visione autem beata nulla est imago, seu similitudo obiectiua, in qua cognita Deus cognoscatur, cum Beatus Deum in se ipso immediatè cognoscat: ergo, &c. Maior est S. Thomæ variis in locis asserentis verbum mentis esse aliquid conceptum, & intellectum. *Respondet* deo, negans maiorem. Ad probationem dicimus S. Thomam tantum contendere verbum mentis esse conceptum, & intellectum vt *quo*; non verò vt *quod*.

13. Obijcies secundò. Verbum increatum non est in se actus intelligendi Patris, sed terminus per illum productus: ergo neque verbum creatum erit ipse actus intelligendi,

Verbū mentis non est similitudo cognita vt quod.

Discrimē inter Verbum diuinum & creatum.

telligendi, sed terminus per illum productus; iste nullus est: ergo neque Verbum. *Respondeo*, concessio antecedente, negans consequentiam. Quia actus intelligendi diuinus est improductus, & à Patre indistinctus; visio autem beata est actus productus, & ab intelligente distinctus; ideoque Verbum.

14. Obijcies tertio. Verbum constituitur per aliquam imperfectionem obiecti, quia scilicet non est per se ipsum satis intelligibile, vel sufficienter applicatum intelligenti; neutrum competit Deo respectu visionis beatæ: ergo, &c. *Respondeo*, negans maiorem; Verbum enim creatum constituitur ex limitatione potentie creatæ, quæ se ipsa absque intellectione producta, & distincta, intelligere non potest, quod longè aliter contingit in diuinis; nam Pater intelligit intellectione improducta, & indistincta, ideo Verbum cum necessariò sit quid productum, & à Patre distinctum, debet esse ab actu intelligendi distinctum.

Implicat
beatis vide-
re Deum abs-
que produ-
ctione Ver-
bi.

15. Affero secundò implicare prorsus beatum videre absque productione Verbi. Conclusio constat ex dictis, quia implicat Beatum videre Deum, nisi per visionem creatam, vt suo loco ostendimus; omnis autem visio creata essentialiter est similitudo expressa, & representatio producta: ergo & Verbum mentis.

SECTIO VLTIMA.

Dubia aliqua circa visionem beatam resolvuntur.

Visio nõ est
purè appre-
hensiuæ, nec
strictè dis-
cursiuæ, bene
verò iudica-
tiuæ.

16. **P**rimum dubium, An visio sit apprehensiuæ, iudicatiuæ & discursiuæ? *Respondeo* non esse purè apprehensiuam, quia huiusmodi cognitio est valdè imperfecta, neque strictè discursiuam, quia ad id opus est progressio vnus cognitionis in aliam, quæ visioni non congruit, cum sit simplex intuitio totius Dei. Est autem strictè, & propriè iudicatiuæ. Ratio est, quia Beatus per visionem

Disp. Vlt. *Visionis perfectio*. Sect. Vlt. 659

nem fertur in Deum euidenter propositum, ei firmiter assentiendo, & de illo affirmando, esse omnipotentem, scientem, &c.

17. Dubium secundum, An visio beata sit cognitio quidditatiua, & intuitiua; An verò abstractiua? *Respondeo*, respectu Dei esse quidditatiuam, & intuitiuam, quia cognoscit euidenter quid sit Deus in se ipso; respectu verò creaturarum esse abstractiuam, quia, vt vidimus, illas cognoscit, non in se ipsis, sed in Verbo.

Est quidditatiua & intuitiua respectu Dei, abstractiua respectu creaturarum.

18. Dubium tertium, An visio beata sit virtus mentis, & quanam. *Respondeo* primò, esse virtutem mentis, quia est nobilior cæteris omnibus cognitionibus, tam naturalibus, quàm supernis. *Respondeo* secundò, esse intelligentiam, quia euidenter attingit essentiam diuinam ex ipsis terminis. Sapientiam, quia cognoscit res altissimas, & per altissima principia. Artem, quatenus attingit in Verbo creaturas vt factibiles. Prudentiam, quatenus indirectè attingit vt agibiles morales Beatorum actiones. Scientiam quia licet attingat attributa propter se, simul etiam attingit propter essentiam, nec ad scientiam simpliciter necessarium est, vt sit cognitio deducta ex præmissis, vt patet in Angelo cuius scientia ex præmissis non infertur, satis enim est, vt sit iudicium illatiuum, id est cognoscens vnum propter aliud.

Est virtus mentis, est intelligentia, sapientia, ars, prudentia, & scientia.

19. Dubium quartum, An visio sit practica, & speculatiua. *Respondeo* affirmatiuè, quia Deum contemplatur vt existentem; creaturas verò possibiles, vt factibiles.

Est practica, & speculatiua.

20. Dubium quintum, An visio sit metaphysicè certa, & euidens. *Respondeo* affirmatiuè. Tum quia visio superat certitudine, & euidentia, omnes alias cognitiones supernaturales fidei, & scientiæ infusæ; fides autem superna, & metaphysicè certa, & scientia infusa est euidens: ergo & visio est essentialiter connexa cum obiecto ita se habente, ac repræsentatur ab ipsa, in quo stat metaphysica certitudo, & essentialis veritas. Tum denique, quia in scripturis singularissimè commendatur inter omnes visiones, claritas visionis beati; ynde dicuntur

Est metaphysicè certa, & euidens.

tur

tur Beai videre facie ad faciem, & non per enigmata: ergo visio claritate, & euidencia superat omnes alias cognitiones scientificas.

21 Obijcies. Visio potest diuinitus esse falsa: ergo non est metaphysicè certa, & euidens. Antecedens probatur, quia actus amoris Dei supernus potest esse malus, si videlicet imperetur ab actu voluntatis prauo, vel à Deo prohibeatur: ergo & visio poterit esse falsa. *Respondeo*, negans antecedens. Ad probationem permissio antecedente, nego consequentiam, quia malitia non solum sumitur ab obiecto, sed etiam à circumstantiis; ille autem autem actus amoris malus non esset, nec esse posset ex obiecto, sed tantum ex circumstantiis imperij, vel prohibitionis; veritas autem, vel falsitas actus sumuntur ab obiecto, ita se habente, vel non, ac representatur? Vnde visio non posset esse falsa, sicut nec actus supernus potest esse malus ex obiecto. Sistit hic integer tractatus noster de visione beata, cedat vtinam in Dei gloriam, eiusque sanctissimæ Matris absque vlla peccati originalis labe conceptæ, quam intendimus.





INDEX RERVM, & Verborum.

A

Accidens.



CTVS liberi diuini sunt accidentia virtualia, num.8.
pagina 120

Actus.

Quomodo actus naturalis mouere possit ad affectum
supernaturalem, n.54. p.26

Actus probabilis etiam de obiecto necessario non est intrinsecè cum
veritate connexus, n.67. p.34

Idem actus ex vno motiuo euidens, & confusus ex alio, nihil im-
plicat, n.79. p.40

Actus certus cum incerto, & clarus cum obscuro componi possunt;
similiter scientia, & fides de eodem obiecto, à n.92. p.107

Similiter actus liberi cum necessario, efficax cum in efficaci, num.96.
pag.110

Actus primus intelligendi, vide, verbo Intellectus.

Actus naturalis nequit euidenter, aut certo, ens supernaturale re ipsa
possibile existens, aut futurum attingere, n.3. p.486

Actus purissimus.

Cui potentialitati opponatur, n.32. p.439

Repugnat Deo potentialitas obiectiua, & passiuua realis formalis, n.33.
pag.440

Non verò actiua realis, nec virtualis, n.34. ibid.

Aeternitas.

Quid sit aeternitas diuina, n.3. p.367

Indiuisibili virtualitate respicit omne tempus, n.5. p.368

Creatura improprie, & per accidens potest esse aeterna, n.8. p.369

OOOO Non

Index Rerum,

Non verò essentialiter à suis prædicatis intrinsicis, n.9.	P.370
Nec ab æternitate diuina ipsi intrinsicè vnita, n.14.	P.371
Futura absoluta non coexistunt physica Deo ab æterno, n.17.	P.373
Nec Deus coexistit physicè ab æterno creaturis in tempore existuris, seu futuris, n.54.	P.388
Æternitas Dei non est indistantia absoluta ad creaturas in tempore existentes, n.55.	ibid.
Benè verò indistantia conditionata, & qualis, n.57.	P.389
Futura nobis qualiter snt Deo futura, n.60.	P.390
Æternitas Dei semper durans, n.65.	P.392
Non implicant contradictoria in eodem instanti indiuisibili diuinæ æternitatis intrinsicæ, n.64.	P.391
Æternitas non multiplicatur in singulis perfectionibus diuinis, sed vna est, eadem omnium, n.44.	P.383

Amor.

Amor amicitia Dei erga creaturas non incipit in timore, nec desinit, num.39.	P.416
Ex modo tendendi conditionatus est, n.48.	P.419

Appetitus.

Appetitus innatus quotuplex erga visionem, n.2.	P.539
Natura rationalis nullum habet appetitum absolutum innatum immediatum erga visionem beatam, n.4.	P.540
Benè verò conditionatum immediatum, n.5.	ibid.
In appetitum elicatum naturalem, innatè, immediatè, & absolute pendet natura rationalis, n.6.	ibid.
Possibilis appetitus naturalis elicatus ad visionem, n.11.	P.542
Per modum desiderij, gaudij, & amoris stricti, n.12.	ibid.

Attributum.

Attributum strictè, & propriè, quid sit, n.7.	P.235
Tres conditiones pro constitutio Attributi, n.2.	P.233
Attributa relatiua minimè neganda, n.4.	P.234
Attributa absoluta virtualiter inter se, & ab essentia distincta, tria tantum sunt, relatiua quatuor, n.9. & 10.	P.235. & 236
Attributum purè logicum, seu solo modo concipiendi, qualiter ab essentia distinguendum, n.11.	P.236
Strictè, & propriè non sunt in Deo Attributa purè logica, num.16.	
pag.238	
Attributa non includunt formaliter essentiam, n.21.	P.240

Distinctio

& Verborum.

Distinctio attributorum ab essentia, & inter se, vide, verbo Distinctio.

Attributionis objectum.

Quidditas, & natura objecti attributionis, n.9. p.5
Qualiter objecta attributa referri debeant ad attributionis objectum,
num.10. p.6

B

Beatus.

BEati vident de facto omnia necessaria Dei, n.2 pag.622
Etiam secundum vltimas differentias, n.5. p.623
Quæ alia videantur à Beatis, vide, verbo Visio.

Bonitas.

Bonitas illationis reflexè cognita non est motuum conclusionis in-
trinsecum, n.25. p.13

C

Carentia.

Carentia termini superni superna non est, num.19. pag.493
Potest viribus naturæ euidenter cognosci, n.20. ibid.
Nulla carentia connectitur suo termino, n.23. p.494
Terminus in sua carentia apprehensiuè tantum cognoscitur, num.26.
pag.496

Causa.

Quid causa principalis, quid instrumentalis. p.598.& 602
Lumen causæ principalis visionis, n.19. p.598
Intellectus instrumentalis, n.29. p.602
Vtrumque adæquata causa, à n.4. p.595
Quid causa propria, & per se iuxta Tridentinum, n.27. p.328
Deus non est causa propria peccati, etiam quoad materiale, num.13.
pag.321
Benè verò aliarum creaturarum. p.316

Certitudo.

Ad certitudinem Metaphysicam veritas actus necessario requisita, eius-
que repugnantia cum falsitate, à n.63. p.32
Non verò actus reflexus de connexionione directi cum obiecto, n.65. p.33

Index Rerum,

Discrimen inter certitudinem, & euidenciam, n.68. p.34
Metaphysica certitudo est intrinseca, & infallibilis. connexio actus
cum objecto, n.70. p.35

Cognitio.

Cognitio potest esse ordo transcendentalis ad se ipsam, n.38. p.634
Nec inde infinita esset, aut comprehensio Dei, n.36. ibid.
Prima nostra cognitio existentiae Dei abstractiua est, n.5. p.69

Comprehensio.

De fide est, Deum naturaliter à nobis incomprehensibilem esse, num.3.
pag.546
De absoluta potentia Deus incomprehensibilis à nobis, n.8. p.548
Vnde repugnat creaturae intensiua Dei comprehensio. p.556
Vnde etiam repugnat extensiua, & quid differat ab intensiua, à n.28.
pag.556
Ad comprehensionem opus non est participare modum essendi ob-
jecti, n.33. p.558

Concilium.

Concilium Nicænum, & Prima Synodus Constantinopolinata pro
subsistentiis relatiuis in diuinis, n.19. p.124
Concilium Viennense pro supernaturalitate visionis, n.14. p.525
Concilium Lateranense circa incomprehensibilitatem Dei, num.5.
pag.547
Quale lumen gloriæ definitum à Viennensi, n.65. p.585

Conclusio.

Bonitas illationis reflexè cognita non est objectum formale intrinse-
cum conclusionis, n.25. p.13
Nec solæ præmissæ objectiuae respectu omnis conclusionis, num.26.
ibidem.
Intrinseca veritas extremorum potest esse motiuum alicuius conclu-
sionis, n.27. p.14
Quomodo præmissæ necessitent ad conclusionem, n.30. p.15
Conclusio Theologica, vide, verbo Theologia, & verbo Præmissæ.

Conditionatum.

Virtus conditionatè productiua creaturarum possibilis, n.60. p.345
Talis est omnipotentia diuina, vnde creaturis inconnexa, n.57. p.343
Quid differant tendentia absoluta, & conditionata, n.64. p.347
Connexio.

& Verborum.

Connexio.

- Deus connexus absolute cum impossibilitate plurium impossibilium,
num. 52. p. 138
Non verò cum creaturis re ipsa possibilis, n. 54. p. 139
Nec cum actibus suis liberis possibilibus, n. 61. p. 143
Deus connexus conditionate cum creaturis possibilibus, numero 62.
pag. 346
Actus probabilis etiam de objecto necessario, non est intrinsecè cum
veritate connexus, num. 67. p. 34

Constitutivum.

Constitutivum, vide, verbo Essentia.

Contradictorium.

- Capacitas suscipiendi prædicata contradictoria extrinseca, nec Deo,
nec creaturis repugnat, n. 83. p. 354
Capacitas insufficiens distinctioni virtuali, n. 85. & 64. p. 355. & 285
Non implicant contradictoria in eodem indivisibili instanti æternita-
tis intrinseca diuinæ, n. 64. p. 391
Vnde in diuinis componi possunt prædicata intrinseca contradicte-
ria, & non in creatis, num. 87. p. 297

D

Decretum.

- N**on potest Deus decretum prius habitum per subsequens oppo-
situm reuocare, à num. 7. p. 401
Decretum nec cessare potest, nec incipere, à n. 21. p. 408

Demonstratio.

- Quid, & quotuplex sit, num. 20. p. 76
Existencia Dei demonstrabilis à posteriori, n. 21. ibid.
Multiplex illius denominatio, à n. 27. p. 79
Existencia Dei potest à priori negativè demonstrari, n. 46. p. 87
Attributorum verò, & relationum, etiam positivè, n. 47. p. 88
Idem de existencia intellectionis necessariæ, n. 48. ibid.
Existencia essentia positivè à priori logicè denominabilis, num. 51.
pag. 89
Non verò positivè à priori virtualiter, à n. 65. p. 95

Index Rerum,

Deus.

- Deus, eiusque natura formaliter substantia sunt, à n. 2. p. 118
 Concretum *Deus* commune est substantia absoluta constitutum, à num. 35. p. 132
 Eius unitas, & existentia. Vide verbo Unitas, & Existentia Dei.
 Deus substantia est spiritualis, & intelligens, n. 1. p. 147
 Datur actus primus intelligendi in Deo, n. 4. p. 149
 Qualiter dici possit realis formalis, qualiter non, n. 25. p. 158
 Deus est actus purissimus, & cui potentialitati oppositus, à num. 32. pag. 439
 De fide incomprehensibilis à creatura, n. 3. p. 546
 Etiam de absoluta potentia, vide, verbo Comprehensio.
 Deus est ens simpliciter necessarium, & quid hoc, n. 3. p. 393
 Ens à se, & quo pacto, n. 9. p. 396
 Immutabilis, vide, verbo Immutabilitas.
 Ignorantia inuincibilis Dei moraliter impossibilis in omnibus hominibus, n. 106. p. 114
 In nullo possibilis per longum tempus, n. 107. p. 115
 Deus qua ratione sit ens naturale, & supernum, n. 58. p. 473

Distinctio.

- Essentia, & Attribute non distinguuntur formaliter ex natura rei, & quid de ea distinctione sentiendum, n. 14. p. 261
 Aliorum placita circa distinctionem virtualem, à n. 18. p. 263
 Vera sententia circa distinctionem virtualem, à n. 39. p. 272
 Quales perfectiones, distinctioni virtuali necessariae, & sufficientes, à num. 44. p. 275
 In creatis distinctio virtualis nulla, à n. 61. p. 283
 Multiplex objectio soluta. p. 283. & 292
 Unde in diuinis componi possint praedicata contradictoria, & non in creatis, à n. 87. p. 297
 Relationes & essentia virtualiter distinguuntur, n. 93. p. 300
 Relatio spiratoris à Paternitate, & Filiatione virtualiter distincta, n. 94. ibidem.
 Essentia ab intellectione tam libera quam necessaria, n. 95. p. 301
 Intellectio & volitio virtualiter inter se distinctae, n. 96. ibid.
 Voluntas, & volitio necessaria ab essentia, n. 97. p. 302
 Et etiam ab intellectione necessaria, n. 98. ibid.
 Voluntas distincta virtualiter à volitione necessaria, n. 99. ibid.
 Nulla perfectio diuina distincta virtualiter est ab attributis transcendentibus sibi propriis, n. 100. p. 303
Distinctio

& Verborum.

Distinctio virtualis non trahit secum objectiuam. p.308
Prædicata contradictoria extrinseca non sufficiunt distinctioni vir-
tuali, n.85. p.355.& 285

E

Elevatio.

Creatura eleuari non potest ad videndum Deum per scientiam in-
creatam ipsi unitam, n.26. p.514
Nulla potentia materialis eleuari potest ad videndum Deum visione
spirituali, aut materiali, num.31. p.515

Ens necessarium.

Ens simpliciter necessarium in quo consistat, n.3. p.393
Existencia simpliciter necessaria quid, n.4. p.394
Creatura necessario existens impossibilis, n.5. ibid.
Similiter etiam impossibilis negatio, n.8. p.395
Necessitas existendi non multiplicatur in diuinis, n.42. p.443

Ens à se.

Multiplex illius vsurpatio, à n.9. p.396
Quid ens à se quatenus opponitur enti ab alio tanquam à causa, n.11.
ibidem.
Omnes diuinæ perfectiones simpliciter, & absolutè sunt entia à se, n.12.
pag.397
Quid ens à se quatenus oppositum enti ab alio tanquam à principio
reali formali, n.13. ibid.
Quæ perfectiones sint hoc pacto entia à se, n.14. ibid.
Quid ens à se quatenus oppositum enti ab alio tanquam à principio
virtuali, & quæ perfectio ita sit ens à se, n.15. p.398
Essentia à se non multiplicatur in singulis perfectionibus diuinis
sed est vna, & eadem in omnibus, n.42. p.443

Essentia Dei.

Non idem semper est constitutum, quod essentia, n.8. p.182
Regula constitutiui, seu essentiæ, tam in creatis, quam in diuinis,
num.10. p.183
Diuisio constitutiui, seu essentiæ, in physicam, & metaphysicam,
num.11. ibid.
Perfectiones liberæ non sunt de essentia materiali Dei, numero 15.
pag.185. Neque

Index Rerum,

- Neque relationes in particulari, nec relatio in communi præcisa, n. 16.
 ibidem.
- Sed solæ, & omnes perfectiones necessariæ, & absolutæ, numero 29.
 pag. 191
- Volitio necessaria non est de constitutiuo metaphysico virtuali Dei,
 num. 37. p. 195
- Nec diuina voluntas quatenus à volitione distincta, à n. 49. p. 200
- Nec actualis intellectio necessaria est de constitutiuo metaphysico Dei
 adæquato, nec inadæquato, à n. 63. p. 206
- In quo ster metaphysicum constitutiuum virtuale Dei, à numero 77.
 pag. 213
- Existencia propria essentia est de constitutiuo virtuali Dei, à num. 88.
 pag. 218
- Constitutiuum metaphysicum Dei nostro modo concipiendi, & ex
 parte objecti idem, à n. 101. p. 224
- Essentia diuina non includit formaliter attributa, à numero 11.
 pag. 240
- Quo pacto sit infinita simpliciter in omni genere, n. 38. p. 246
- Continet attributa eminenter instar principij virtualiter productiui,
 à num. 40. p. 247
- Principium est immediatum virtuale omnium attributorum, & rela-
 tionum, à n. 53. p. 253
- Distinctio essentia ab attributis, vide, verbo Distinctio.

Euidencia.

Discrimen inter certitudinem, & euidenciam, n. 68. p. 34

Existencia Dei.

- Existencia Dei non est simpliciter veritas per se nota, n. 4. p. 68
- Prima nostra cognitio existentiæ Dei abstractiua est, n. 5. p. 69
- Existencia Dei tantum secundum quid est veritas per se nota, num. 9.
 pag. 71
- Quid de propositione disiunctiua, Deus vel est, vel non est, à num. 11.
 pag. 72
- Existencia Dei demonstrabilis à posteriori, n. 21. p. 76
- Multiplex illius demonstratio, à n. 27. p. 79
- Existencia Dei potest à priori negatiuè demonstrari, n. 46. p. 87
- Existencia attributorum potest à priori positiuè demonstrari, num. 47.
 pag. 88
- Etiam intellectio necessaria quamuis sit Dei essentia, numero 48.
 ibidem.
- Existencia essentia positiua à priori logicè demonstrabilis, à n. 51. p. 89
Non

& Verborum.

16. Non verò positivè à priori virtualiter, à n.65. p.95
Existencia Dei eiusque unitas, implicite possunt fide diuina credi etiam
29. à sapientibus, & credi debent, n.83. p.103
Dei, Et etiam fide diuina explicata credi possunt, n.86. p.105
195. Existencia propria essentiae, aut attributi indistincta virtualiter ab
200. essentia, aut attributa, à n.65. p.95
Dei Existencia simpliciter necessaria quid sit, n.4. p.394
206. Existencia propria essentiae est de fide constitutio metaphysico vir-
77. tuali Dei, n.88. p.218
Existencia multiplicatur in singulis perfectionibus diuinis, numero 39.
pag.442

F

Fides.

- 2 ex
224
21. **C**ur assensus Fidei non sit intrinsecè formidolosus, numero 69.
pag.35
246 Aliquis assensus Fidei conclusioni Theologicae necessarius, num.39.
cui, pag.20
247 Scientia & fides de eodem objecto componi possunt, numero 92.
cla- pag.107
253 Vnde visio beata excludat fidem, n.103. p.113
Existencia Dei fide diuina credi potest, à n.83. p.103

Formido.

- 34 Quid sit intellectualis formido, eiusque objectum, n.71. p.36
Modus tendendi actus formidinis in objectum, n.72. ibid.

Futurum.

- 68 Futura absoluta non coexistunt physicè Deo ab aeterno, à numero 17.
69 pag.373
9. Neque Deus illis ab aeterno coexistit, n.54. p.388
11. Futura nobis qualiter Deo futura, num.60. p.390

G

Gaudium.

- 76
79
87
7. **A**ppetitus elicited ad visionem per modum gaudij possibilis, n.12.
8. pag.542

Index Rerum,

H

Habitus.

- H**Abitus Theologiæ in substantia supernus, num.90. p.45
Acquisitus non est, sed infusus, n.91. p.46
Specialis est, & distinctus ab aliis, n.100. p.50
Immediatè recipitur in sola substantia rationali, n.106. p.54
Non manet in hæretico, n.113. p.57
Nec in peccatore fideli, nec in damnatis, benè verò in animabus purgatorij, n.115. ibid.
In quibus personis sit vide, verbo, Theologiæ.

I

Ignorantia.

- I**gnorantia inuincibilis qualis, num.105. p.114
Ignorantia inuincibilis Dei moraliter impossibilis in omnibus, n.106. ibid.
In nullo possibilis per longum tempus, n.107. p.115
Benè verò in aliquo per breue aliquod spatium, n.110. p.116.

Illatio.

Illatio, vide verbo, Conclusio.

Immensitas.

- Quid sit immensitas diuina, num.3. p.367
Indivisibili virtualitate respicit omnia loca, n.5. p.368
Creatura improprie, & per accidens potest esse immensa, numero 8. pag.369
Non verò essentialiter à suis prædicatis intrinsicis, n.9. 370
Nec ab immensitate diuina ipsi intrinsicè vnita, n.14. p.371
Vna est immensitas omnium perfectionum diuinarum, numero 44. pag.383

Immortale.

- Deus est immortalis, n.27. p.438
In quo consistat immortalitas Dei, num.28. ibid.

Immutabilitas.

- Quid immutabilitas, & quotuplex opposita mutatio, n.1. p.398
Deus

& Verborum.

Deus absolutè immutabilis de fide, n.2.	p.399
Quid immutabilitas in existentia, seu entitatio Dei, numero 3, ibidem.	
Quid physica vt opposita morali, num.4.	p.400
In quo stet immutabilitas moralis, n.6.	p.401
Deus moraliter immutabilis de fide, n.7.	ibid.
Non potest decretum prius habitum per subsequens oppositum reuocare, n.7.	ibid.
Nec decretum eius cessare potest nec incipere, n.21.	p.408
Creatura entitatiuè immutabilis, impossibilis est, n.59.	p.424
Creatura physice immutabilis repugnat, n.63.	p.426
Similiter etiam moraliter immutabilis, n.66.	p.417

Ineffabile.

Deus quo pacto ineffabilis, num.30.	p.439
-------------------------------------	-------

Inclusio, Includere.

Essentia non includit formaliter attributa, n.21.	p.240
Nec attributa essentiam, n.21.	ibid.
Essentia continet eminenter attributa, & quo pacto.	p.247. & 253

Infinisum, Infinitas.

Infinitas multiplicatur in singulis perfectionibus diuinis, numero 45.	
pag.444	
Perfectio infinita quid, & quotuplex, n.10.	p.432
Solus Deus simpliciter infinite perfectus, n.11.	p.433
Essentia diuina simpliciter infinita in omni genere, numero 16.	
pag.434	
Attributa verò, & relationes in sua linea, n.15.	ibid.

Intellectus, Intellectio.

Datur in Deo non solum intellectio, sed etiam intellectus, seu actus primus, aut capacitas intelligendi, per intellectionem, à n.4.	p.149
Actus primus intelligendi realis formalis qualiter Deo negandus, & quo pacto concedendus, à n.25.	p.158
Distinctus est virtualiter ab intellectione libera, n.28.	p.159
Pariter etiam ab intellectione necessaria, n.29.	ibid.
Actus primus intelligendi imbibit rationem principij actus secundi, num.32.	p.161
Nullus in Deo remotus, sed proximus, n.66	p.175
PPpp 2	Intellectio

Index Rerum,

Intellectio necessaria distincta virtualiter ab essentia, n. 95.	p. 301
Etiam à voluntate, & volitione necessaria, n. 98.	p. 302
Solus intellectus diuinus metaphysica Dei essentia, n. 77.	p. 213
Intellectus creatus supernus possibilis, n. 23.	p. 535

L

Libertas, Liber.

A ctus liberi diuini sunt accidentia virtualia, n. 8.	p. 120
Actus liber cum necessario componi potest, n. 96.	p. 110
Actus liberi non sunt de essentia materiali Dei, n. 15.	p. 185
Nec incipere possunt, nec semel habiti cessare, n. 21.	p. 408
Nullus actus liber est perfectio simpliciter simplex, n. 9.	p. 432

Locus.

Locus Theologicus quid sit, n. 118.	p. 59
Humana historia, aut autoritas Patrum simpliciter non est locus Theologicus, n. 119.	ibid.
Autoritas Pontificis, & Concilij Generalis; & reuelatio diuina scripto, aut verbo facta, sunt strictè loca Theologica, n. 121.	p. 60
Ratio naturalis obtinet etiam strictam rationem loci Theologici, numero 124.	p. 62

Lumen gloriæ.

Lumen gloriæ qualitas est supernaturalis, n. 1.	p. 563
Nulla stat vnio intrinseca Dei in esse intelligibilis cum intellectu creato, num. 3.	ibid.
Ea vnione data lumen non disponderet ad illam, à n. 22.	p. 570
Lumen non est subjectum adhuc inadæquatum visionis, à n. 40.	p. 576
Lumen non concurrat illuminando intellectum, n. 53.	p. 580
Lumen de facto non est species impressa, n. 57.	p. 582
Possibilis qualitas, quæ simul sit lumen & species, n. 59.	p. 583
Lumen concurrat efficienter ad visionem, n. 61.	p. 584
Defectus luminis intrinseci suppleri potest à Deo, n. 64.	p. 585
Lumen non est tota ratio agendi proximo visione, à n. 4.	p. 591
Causa est principalis illius, & cur, à n. 19.	p. 598
Intellectus verò instrumentalis, & vnde, à n. 29.	p. 602

M

Motuum.

R euelatio diuina non est motuum intrinsecum Theologiæ adhuc inadæquatum, num. 21.	p. 11
	Bonitas

& Verborum.

Bonitas illationis reflexè cognita non est motuum conclusionis intrinsecum, n. 25. p. 13
De præmissis objectiuis, vide, verbo Conclusio.

Multiplicitas.

Regula pro multiplicitate diuinarum perfectionum, n. 38. p. 441
Existencia multiplicatur in singulis perfectionibus diuinis, num. 39. pag. 442
Similiter etiam perfectio diuina, n. 41. ibid.
Secus verò essetias à se, aut necessitas existendi, à n. 42. p. 443
Idem de immensitate, & æternitate dicendum, n. 44. p. 444
Infinitas verò multiplicatur in singulis perfectionibus, n. 45. ibid.

N

Natura, Naturale.

VSurpatio multiplex naturæ, à num. 2. p. 450
Quid natura, quam superare debeat ens supernum, n. 40. p. 134
Modus quo natura creata connectitur Omnipotentia, n. 50. p. 137
Naturæ diuinæ substantia absoluta concedenda, n. 30. p. 129
Alia pro natura diuina, vide, verbo Essentia.

O

Obedientiale.

Virtus obedientialis adæquatè intrinseca naturæ cum effectu superno connexa esse non potest, n. 66. p. 476

Objectum.

Quidditas & natura objecti attributionis, n. 9. p. 5
Qualiter objecta attributa referri debeant ad attributionis obiectum, num. 10. p. 6
Objectum materiale, & attributionis Theologiæ, à n. 4. p. 3
Quid sit objectum formale intrinsecum, quid extrinsecum, n. 17. p. 9
Quale objectum formale intrinsecum Theologiæ, n. 32. p. 16
Quo pacto objectum debitum sit, & connaturale actui, n. 15. p. 543

Odium.

Odium inimicitia erga peccatorem non incipit in tempore nec desinit, n. 39. p. 416
Ex modo tendendi conditionatum est, n. 48. p. 419

Omnipotentia.

Virtus est formaliter omnium creaturarum productiua. p. 315
PPpp 3. Causa

Index Rerum,

Causa est principalis peccati, etiam quoad materiale illius, n. 13.	p. 321
Bene verò aliarum creaturarum, n. 14.	p. 322
Immediatè concurrat ad omnes creaturarum operationes, n. 17.	p. 323
Eademque cum creaturis actione indivisibili, n. 23.	p. 327
Nec ita Deum non concurrere possibile, n. 25.	p. 328
Quid sit iuxta Tridentinum propriè & per se causare peccatum, n. 27.	p. 328
ibidem.	
Creatura intrinsecè, & ex se nequit esse omnipotens, n. 29.	p. 330
Nec ab omnipotentia sortiri eam denominationem, n. 30.	ibid.
Omnipotentia idem virtualiter cum voluntate diuina.	p. 334
Deus connexus cum impossibilitate plurium impossibilium, n. 52.	p. 341
Etiam cum negatione eorum impossibilium, n. 53.	ibid.
Nec verò cum creaturis reipsa possibilibus, à n. 54.	p. 342
Nec cum actibus suis liberis pariter possibilibus, n. 61.	p. 345
Deus connectitur conditionatè cum creaturis possibilibus, n. 62.	p. 346
Inconnexio Dei non expungit ab eo virtutes morales, n. 96.	p. 360
Nec liberum arbitrium conditionatum, n. 97.	ibid.
Stat in Deo potentia absolutè creaturarum productiua, n. 104.	p. 363
Ea potentia non est noua virtus productiua, quid illi addat, num. 105.	p. 363
pag. 364	

Ordo transcendentalis.

Cognitio potest esse ordo transcendentalis ad se ipsam, n. 38.	p. 634
--	--------

P

Perfectum, Perfectio.

E Ns perfectum quid sit, num. 2.	p. 430
Perfectio diuina quotuplex, n. 3.	ibid.
Perfectio simpliciter simplex declarata, n. 4.	ibid.
Omnia prædicata absoluta necessaria sunt perfectio simpliciter simplex, n. 5.	p. 431
Perfectio substantialis, & intensiua quid differant, n. 32.	p. 652
Omnis relatio perfectio simpliciter simplex, n. 6.	p. 431
Nullus verò actus liber talis est, n. 9.	p. 432
Perfectio infinita quid, & quotuplex, n. 10.	ibid.
Solus Deus simpliciter infinitè perfectus, n. 11.	p. 433
Singulæ perfectiones diuinæ simpliciter infinitæ in sua linea, num. 15.	p. 433
pag. 434	
Essentia verò in omni genere, num. 16.	ibid.

Possibilitas, Possibile.

Qua ratione possibilitas creaturæ sit à Deo, n. 74.	p. 350
---	--------

Premissa.

Quomodo præmissæ necessitent ad conclusionem, n. 30.	p. 15
Vtraque	

& Verborum.

Vitæque præmissa reuelata Conclusioni Theologiæ sufficiens, n. 37. p. 37.

pag. 19

Nulla probabilis apta, n. 38. ibid.

Aliqua fidei omnino necessaria, & qualis ista sit, n. 39. p. 10

Similiter etiam aliqua superna, n. 40. ibid.

Aliqua naturalis sufficiens, n. 42. p. 21

Quomodo eleuata à superna necessitet ad conclusionem, n. 49. p. 24

Modus quo præmissa naturalis eleuatur à superna, n. 53. p. 26

Qualis præmissa naturalis Conclusioni Theologiæ sufficiat, n. 57. p. 28

Quomodo præmissæ necessitent ad conclusionem, n. 30. p. 15

Principium.

Essentia diuina est principium virtuale attributorum, n. 40. p. 247

Principium immediatè productiuum eorum, n. 53. p. 253

Prioritas.

Prioritas logica quid & quotuplex, n. 50. p. 89

Requisita ad eam prioritatem, n. 52. ibid.

Existentia essentia posterior est logicæ ipsa essentia, n. 51. ibid.

Quomodo actus constituens prioritatem logicam attingat objectum, num. 62. p. 94

Proœmialia.

Proœmialia Scholasticæ Theologiæ. p. 1

Productio.

Productio virtualis impossibilis in creatis, à n. 45. p. 167

Productio virtualis, quæ prædicata contradictoria componar, num. 50. & 64. p. 169. & 174

In quo æquialere debeat productioni reali, n. 54. p. 171

Possibilis est in Deo, à n. 40. p. 247

R.

Relatio.

Relationes & essentia virtualiter distinctæ, n. 93. p. 300

Etiam relatio spiratoris à Paternitate, & Filiatione, n. 94. ibid.

Relationes non sunt de essentia materiali Dei, n. 16. p. 185

Omnis relatio perfectio simpliciter simplex, n. 6. p. 431

Omnes sunt substantiæ, à n. 19. p. 124

Reuelatio.

Reuelatio diuina non est objectum formale intrinsecum Theologiæ adhuc mediatum, n. 21. p. 11

Quo pacto conclusio Theologica à reuelatione pendeat, n. 33. p. 17

Scriptura.

Index Rerum,

S

Scriptura.

Scriptura Sacra, eiusque canonici libri, num. 125. p. 62

Sensus.

Quid sensus literalis Scripturae.

Sacrae quid mysticus, n. 126. p. 63

Quotuplex sensus spiritualis, & quid quisque, n. 127. ibid.

Sensus accommodatus improprius, & qualis, n. 131. p. 65

A nullo scriptore sacro usurpatus de facto, n. 132. ibid.

Sensus literalis, & spiritualis conclusionibus Theologicis aptus, numero 133. p. 66

Quid si plures sint sensus litterales, n. 134. ibid.

Simplicitas.

Simplicitas diuina non excludit compositionem rationis, n. 23. p. 437

Opponitur compositioni reali, n. 24. ibid.

In quo stet simplicitas diuina, n. 26. ibid.

Species Impressa.

Species impressa non est eiusdem naturae cum objecto, n. 7. p. 607

Possibilis species impressa Dei, n. 12. p. 609

Munus specierum de facto quale, n. 16. p. 610

De facto nulla est species impressa Dei, n. 23. p. 613

Concurrit Dens ad visionem per modum objecti per immensitatem diuinam, n. 31. p. 616

Stante concursu efficienti ex parte objecti per solam omnipotentiam, num. 31. ibid.

Species impressa quid differat ab expressa, n. 2. p. 654

Lumen de facto non est species impressa, n. 57. p. 582

Possibile lumen, quod sit species impressa, n. 59. p. 583

Subsistentia.

Omnes relationes personales subsistentiae sunt, n. 19. p. 124

Similiter etiam relatio spiratoris Patri cum Filio communis, num. 26. pag. 127

Subsistentia absoluta ultra relatiuas admittenda in Deo, n. 30. p. 129

Munus & necessitas subsistentiae absolutae & relatiuae, n. 50. p. 137

Naturae diuinae subsistentia absoluta propria concedenda, n. 58. p. 141

Secus verò attributis ut ab essentia diuina distinctis, n. 59. p. 142

Subsistentia absoluta indistincta virtualiter à natura, n. 63. p. 143

Nec personalitas est, nec Personam absolutam constituit, n. 66. p. 145

Substantia.

Deus, eiusque natura formaliter substantia sunt, à n. 2. p. 118
Etiam

& Verborum.

Etiam intellectio necessaria, quamvis non sit Dei essentia, n. 4.	p. 119
Pariter etiam volitio necessaria, n. 5.	ibid.
Similiter omnes diuinæ perfectiones necessariae, n. 6.	ibid.
Secus liberae, quæ accidentia virtualia sunt, n. 8.	p. 120
Differentia diuinarum perfectionum non est formaliter substantia, numero 14.	p. 122
Substantia creata superna impossibilis, n. 3.	p. 528

Supernaturale.

Variæ usurpationes naturæ, n. 2.	p. 450
Variæ sententiæ circa constitutum primarium entis superni, num. 7.	pap. 451
Vera sententia proposita, & exposita, n. 25.	p. 459
Conceptus respectu superandi naturam declaratus, n. 51.	470
Quid veniat nomine naturæ, quam superare debeat ens supernum, num. 57.	p. 472
Qua ratione Deus sit ens naturale, & supernum, n. 58.	p. 473
Ens supernum superare debet vires actiuas absolutas naturæ, num. 60.	pag. 474
Vires etiam passiuas superare debet, & omnem totius naturæ connexionem physicam, & intentionalem, n. 64.	p. 475
Ens supernum probabiliter potest ante rebelationem cognosci.	p. 502
Substantia supernaturalis creata impossibilis, n. 3.	p. 528
Possibilis intellectus supernus, & similiter voluntas, n. 23.	p. 535
Actus naturalis attingere potest objectum materiale supernum, num. 9.	pag. 541

T

Theologia quoad actum.

T heologiæ Scholasticæ proœmialia, tota disp. 1.	p. 1
Eius subjectum, objectum materiale, & Attributionis.	p. 9
Objectum formale intrinsecum Theologiæ quid.	p. 7
Reuelatio adhuc mediata non est objectum intrinsecum formale Theologiæ, n. 21.	p. 11
Nec bonitas illationis reflexæ cognita, n. 25.	p. 13
Nec solæ præmissæ obiectiuæ, n. 26.	ibid.
Sed complexum ex illis, & intrinseca extremorum veritate, n. 32.	p. 16
Quo pacto conclusio Theologica à relatione dependeat, n. 33.	p. 17
Qualia sint eius principia, seu præmissæ.	p. 19
Omnis conclusio Theologica est metaphysicè certa, n. 76.	p. 38
Nulla euidens nostræ Theologiæ ordinariæ, n. 77.	p. 39
Omnis quoad substantiam superna, n. 80.	p. 40
	Non

Index Rerum,

Non superat, neque æquat certitudine scientiam naturalem, n. 82. p. 42
Partim practica, & partim speculatiua, n. 88. p. 44

Theologia quoad habitum.

Habitus Theologiæ est in substantia supernus, n. 90. p. 45
Acquisitus non est, sed infusus, n. 91. p. 46
Habitus infusus Theologiæ specialis est, & distinctus ab aliis, nu. 100.
pag. 50
Immediatè recipitur in sola substantia rationali, n. 106. p. 54

Theologia Subjectum.

In Christo non fuit habitus infusus nostræ Theologiæ benè verò
Theologiæ Beatorum, n. 108. p. 55
Angeli viatores, quo pacto habuerint habitum Theologiæ, n. 110. ibid.
Quid de primis parentibus in statu innocentia, n. 111. p. 56
Beatorum Theologia non obscura, sed euidentis, n. 112. ibid.
Habitus infusus Theologiæ non manet in hæretico, n. 113. p. 57
Nec in peccatore fideli, nec in damnatis, benè verò in animabus pur-
gatorij, n. 115. ibid.
Locus Theologicus, vide, verbo Locus.

V

Verbum.

Discrimen inter verbum mentale, & vocale, num. 7. p. 655
Visio verbum est mentis, & cur, n. 8. p. 656

Veritas per se nota.

Quid sit veritas per se nota, n. 2. p. 67
Nec sat est esse notam aliquibus, n. 8. 70
Quid sit veritas respectiue per se nota, n. 10. p. 71
Ad veritatem simpliciter per se notam non sufficit identitas prædicati
cum subiecto, n. 16. p. 74

Videre, Visio.

Vnde visio beata fidem excludat, n. 103. p. 113
Possibilia visionis Dei stabilita, n. 2. p. 505
Repugnat creaturam videre Deum per scientiam increatam, num. 26.
pag. 514
Pariter videre potentia, aut visione materiali, n. 31. p. 515
Visio proptè de facto supernaturalis est, n. 3. p. 520
Vnde

& Verborum.

- Vnde visio provt de facto supernaturalis sit, n.7. p.522
- Non tantum, quoad modum, sed etiam, quoad substantiam superna,
num.11. p.523
- Visio Dei etiam vt vnus, necessario superna, n.13. p.524
- Substantia creata, cui connaturalis sit visio Dei impossibilis. pag.527.
- & 535
- Etiam cui connaturale sit donum aliquod supernum, n.19. p.534
- Possibilis intellectus, cui connaturalis esset visio, n.28. p.538
- Appetitus innatus, & elicited ad visionem, vide, verbo Appetitus.
- Nulli viatori, dempta B. Virgine, concessa fuit visio Dei, n.42. p.562
- Quando, & quandiu fuerit B. Virgini donata, n.37. p.560
- Beati vident de facto omnia necessaria, à n.2. p.622
- Etiam secundum vltimas differentias, & virtualitates, n.5. p.623
- Quomodo visio intueri possit, & non possit decretum sui, à n.15. p.626
- Non potest essentia videri non visis attributis, & relationibus, nu.28.
pag.631
- Possunt beati aliquas creaturas possibiles in se ipsi formaliter videre,
num.34. p.633
- Imò, & omnia possibilia, n.35. ibid.
- Et aternam sui durationem possibilem, non verò futuram, n.40. p.635
- Pariter quoque aliqua futura, non verò omnia, n.42. ibid.
- In verbo aliqua futura videri possunt, non omnia, n.43. p.636
- Necesse non est, vt in verbo omnia possibilia, futura, & praterita co-
gnoscantur, n.44. ibid.
- Beati vident in verbo aliqua possibilia, & futura, à n.45. ibid.
- Vident quoque ferè omnia fidei mysteria, n.47. p.637
- Totum etiam vniuersum, quoad singulas illius species, n.48. ibid.
- Et in illo, quæ ad proprium statum pertinent, n.49. p.638
- Quænam videantur formaliter, quæ causaliter, n.52. p.639
- Non omnes visiones de facto inæquales sunt, nec æquales, n.1. p.640
- Possibiles inæquales ex objecto materiali, & formali, creato, & in-
creato, n.3. p.641
- De facto stant visiones inæquales ex objecto materiali, & formali
creato, n.5. p.642
- Etiam ex parte objecti increati materialis, & formalis, n.6. ibid.
- Non verò respectu objecti necessarij, n.7. 643
- Inæqualitas visionum ex parte objecti non à lumine sed à determina-
tione ex parte objecti prouenit, n.9. ibid.
- A potentiis specie distinctis orti possunt visiones eiusdem speciei,
num.14. p.645
- Et visiones etiam diuersæ speciei, n.15. ibid.
- De facto tamen, ex potentiis diuersæ non sunt, n.17. p.646
- Visiones intensiue inæquales possibiles, & existentes, numero 33.
pag.652

Index Rerum,

Inæqualitas intensiua visionis oritur à lumine, n.34.	p.652
Visiones inæquales ex modo tendendi possibles, & existentes, num.35.	
pag.653	
Vnde ea inæqualitas proueniat, n.36.	ibid.
Visio Beata est species expressa, & similitudo formalis, n.3.	p.654
Est etiam verbum mentis, & cur, n.8.	p.656
Iudicatiua, quidditatiua, intuitiua virtus mentis, intelligentia, sapientia, ars, prudentia, scientia, speculatiua, metaphysicè certa & euidens, à n.16.	p.658

Vnitās.

Vnitās Deī demonstratur à posteriori, n.44.	p.86
Vnitās, & multiplicitas quid differant inter se, n.17.	p.435
Vnitās diuina non excludit distinctionem virtualem inter absoluta, num.20.	p.436
Neque inter absoluta, & relatiua, n.21.	ibid.

Voluntas, Volitio,

Voluntas diuina virtualiter à volitione distincta, n.99.	p.302
Et vtraque ab essentia, n.97.	ibid.
Etiam ab intellectione necessaria, n.98.	ibid.
Voluntas idem virtualiter cum omnipotentia.	p.334
Volitio necessaria non est de essentia metaphysica Dei, n.37.	p.195
Neque diuina voluntas, à n.49.	p.200
Voluntas creata supernaturalis possibilis, n.23.	p.535

FINIS.



652
35.

bid.

654

656

en-

cui-

658

.86

35

uta,

36

bid.

02

bid.

bid.

34

95

00

35

3

9

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

